BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
28 C
20

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

I.7.6

I
6
E

BERNARDINI
REALINI



BERNARDINI REALINI E SOCIETATE IESV SACERDOTIS VITAE LIBRI III.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

AVTHORE
P. LEONARDO DE ANNA
LVPIENSI EX EADEM SOCIETATE

STABIIS, Typis Iacobi Gaffari. M.DC.LVI.

Superiorum permiſſu.

Pro aditu Hiſtoriæ Authoris cau-tio, atq; prouiſio.

CVM felic. recordat. Vrbanus Papa VIII. die 13. Martij anno 1625. in Sacra Congregatione S. R. & vniuerſalis Inquiſitionis decreto ediderit, idemq; cōfirmauerit die 5. Julij anno 1634. quo inhibuit imprimi libros hominum, qui ſanctitate, ſeu martyrij fama celebres è vita migrauerunt, geſta, miracula, vel reuelationes, ſeu quæcunq; beneficia tāquam eorum interceſſionibus à Deo accepta continētes ſine recognitione, atq; approbatione Ordinarij, & quæ hactenus ſine ea impreſſa ſunt, nullo modo vult cenſeri approbata. Idem autem Sanctiſſimus die 5. Iunij 1631. ita explicauerit, vt nimirum non admittātur elogia Sancti, vel Beati abſolutè, & quæ cadunt ſuper perſonam, benè tamen ea quæ cadunt ſuper mores & opinionem cum proteſtatione in principio, quod ijs nulla adſit authoritas ab Eccleſia Romana, ſed fides tantum ſit penes authorem. Huic decreto, eiuſq; confirmationi, & declarationi obſeruantia, & reuerentia qua par eſt, inſiſtendo, profiteor, me haud alio ſenſu, quicquid in hoc libro refero, accipere, aut accipi ab ullo uelle, quàm quo ea ſolent, quę humana duntaxat authoritate, non autem diuina Catholicæ Romanæ Eccleſiæ, aut Sanctæ Sedis Apoſtolicę nituntur; ijs tantummodo exceptis, quos eadem Sancta Sedes Sanctorum, Beatorum, aut Martyrum catalogo adſcripſit.

IGNATIVS GARGANVS
Societatis Ieſu Prouincialis in Regno Neapolitano.

CVM Librum, cuius titulus eſt, *Bernardini Realini è Societate Ieſu vita Libri tres*, Authore P. Leonardo de Anna ex eadem Societate, tres eiuſdem Societatis Theologi, quibus id commiſſum fuit, recognouerint, & in lucem edi poſſe probauerint, authoritate nobis à R. P. N. Goſuuino NiKel Præpoſito Generali ad id ſpecialiter data, facultatem concedimus, vt Typis mandetur, ſi ita videbitur ijs, ad quos approbatio librorum ſpectat. In cuius rei fidem has literas manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtræ Societatis munitas dedimus. Neapoli die 26. menſis Octobris 1654.

Ignatius Garganus Prouincialis.

Locus ✝ Sigilli.

EX

EX mandato Illuſtriſſimi, & Reuerendiſſimi D. Ioannis Antonij de Paredes Epiſcopi Stabienſis, ac Regij Conſiliarij ego infraſcriptus perpendi eloquentiſſimos libros tres venerabilis ſerui Dei Bernardini Realini vitam, & admiranda eius geſta enucleantes, qui apud Patres Societatis Ieſu ſub Sanctiſſimi Ignatij Loiolæ fundatoris inſtituto præclarum nomen dedit, quos in lucem edere parauit Adm. Reu. P. Leonardus de Anna eiuſdem inſtituti Scriptor diſertus, & vidi in eis non abſq; admiratione præclaræ artis virtutes in vnum congeſtas, inuentiones raras, partes inter ſeſe aptè diſpoſitas, elocutionem dignam, elegantem, & benè compoſitam, nihilq; deprehendi, quod aut Orthodoxæ Fidei, aut Pontificijs decretis aduerſetur, præſertim Sacræ Congregatiois S. R. et vniuerſalis Inquiſitionis anni 1625. editis, atque Vrbani Octaui anno 1631. circa Sanctorum cultum, & venerationem. Typis igitur mandari poteſt ad vniuerſi vtilitatem, vt Sanctiſſimi viri vitam inſpiciens magis, ac magis in ſpirituali vita proficiat. Datũ Caſtri Maris in noſtro D. Franciſci Conuẽtu die 9. Feb. 1656.

Ego F. Ludouicus de Neap. Ord. Min. Strict. Obſeru. Sacr. Theol. Gen. Lect. & in Stabienſi Epiſcopatu Synodalis Examinator.

IMPRIMATVR.

Io. Antonius de Paredes Epiſcop. Stabien.

Illuſtriſſime, & Excellentiſſime Domine.

EX mandato Excellentiæ Veſtræ vidi Librum, cui titulus eſt, Bernardini Realini è Societate Ieſu Sacerdotis vitæ Libri III. Authore P. Leonardo de Anna Lupienſi ex eadem Societate, & nihil inueni contra Regiam Maieſtatem, aut eius iuriſdictionem, & ideò Prælo dignum exiſtimo, cùm Sanctiſſimi Viri virtutes ad Dei laudem, & gloriam contineat. Neap. die 2. Nouembris 1654.

F. Paulus del Giorno Ord. Erem. S. Aug. Prouincialis, & Sac. Theolog. Magiſt.

Viſa ſupradicta relatione IMPRIMATVR.

Soto Regens. Martinez Regens.

Illuſtrisſimis Dominis.

LVPIENSIBVS

LEONARDVS DE ANNA

E SOCIETATE IESV, FELICITATEM.

BErnardini Realini uitam, quam nunc tandem in lucem edo viri Illuſtriſſimi, ſi cui potiùs, quàm vobis dicatam vellem; profectò nec iniqui hominis notam effugerē, neq; ciuis ingrati. Nam, qui ſe veſtrum eſſe ita voluit viuens, ut duos ferè ſupra quadraginta annos, nulla eum uis, nulla ratio abſtrahere ab ſinu ueſtro potuerit, eius nunc ſi extincti memoriam non redderem uobis, an non perinde eſſet, ac ſi à pignorum cariſſimorum amplexu Parentem amantiſſimum, eumdemq; optimè meritum per ſummam iniuriam auellerem; alijſq. quod iure, ac meritò ueſtrum eſt,

eſt, non ſine piaculo darem? Ciuis uerò audirem ingratus, qui Vrbem hanc, communem noſtri omnium Parentem, unde ſpiritum hauſi, atque ubi primam aſpexi lucem, eò maximè in munere inofficioſus negligerem, quod illi & gratiſſimum certò ſcirem, & ſuo in primis iure debitum intelligerem. Quamobrem, nec mihi integrum eſt hoſce labores meos alteri tradere, qui tot nominibus debentur vobis, nec dubitare poſſum, quin, quod à me vobis offertur, gratum id, acceptumq; omnibus caſurum ſit. Etenim Bernardinus offertur, cuius nulli veſtrum non probè perſpecta virtus, cuius merita, & patrocinium, cùm in vrbem hanc vniuerſam, tùm in ſingulos ciues nemo ferè vnus Lupienſium non expertus eſt aliquando, quem vos viuentem adhuc, ſpirantemq; Patronum communis iſtius adoptaſtis, cui deniq; vos quotannis religioſiſſimè iuxtà, ac ſplendidiſſimè parentatis. Hęc itaq; neceſſitatis, & iuris veſtri ſunt, quæ me adegere, vt non poſſem alios patronos aſciſcere; illa verò officij, & voluntatis erga vos meæ. Etenim ſi nulla me vobis iura obſtringerent, ſi hic ipſe, quem offero, Bernardinus, nunquam fuiſſet veſter, ipſa me certè urbis iſtius dignitas, ac ſplendor ſatis cogerent vt ipſam mihi ante alias eligerem, cui labores dicarem meos. Et verò (liceat mihi cum Theognide Megarenſi patriam ornare meam pulchram ciuitatem) & uerò inquam, quæ decora, quæ ornamenta, quæ uerę unquam laudis inſignia patriæ huic defuere? quæ enim, Deus immortalis! vrbis iſtius pulchritudo? quę forma? quę ſpecies? quæ celebritas indigenarum? quæ humanitas ciuium? quæ dignitas? quæ maieſtas? Agrorum uerò quanta fertilitas? quàm tellus ipſa, quà fruticum, quà herbarum, quà arborum uiriditate ſpectabilis? iam quę tempeſtatum modeſtia? quàm ſudus aer, & ſerenus? &

vel

vel in hyeme ipſa uerno quodam tepore ſpirabilis? Profectò, (ut nunc de hominibus ſileam) ſi duo ſunt, quæ ſapientes uiri ad loci dignitatem requirunt; inſita ſcilicet naturę bona, & quęſita artis decora, atq; ornamenta, utra tandem pręclariſſimæ urbi defuere? & naturæ quidem benignitas tanta, ut iure Strabo terram Iapygiam non ſine admiratione commodam dixerit, & altioris fertilitatis gleba lætarific, vt quamquam videatur aquarum indiga, læta tamen ſuppeditet armentis, ac gregibus paſcua. Et ſanè quid ſolo iſto felicius? quid vberius glebis? quid aere, cœloque veſtro ſalubrius? quid denique ſitu, ac poſitione commodius fingi poteſt? Etenim vrbs inter duo maria, Superum, atque Ionium poſita, hinc per Adriaticum ſinum in Venetos, Hiſtriam, Epirum, Illyriam; inde per Ionium, in Achaiam, Siciliam, Africam vela dimittit. Camporum verò, ſolique ingenium, non aridum, non paluſtre, ſed frugum apprimè ferax, adeò vt vrbi nomen vbertas fecerit, Lupias enim ab eo, quod eſt λιπαρὸν Gręcè dictas cenſent ſapientes viri. Nec ſanè immeritò; pallent enim hinc conſita paſſim frequenti olea camporum æquora, indè quà vitium, quà herbarum copia feliciſſimè veſtiuntur. Quid hîc ego citria varij generis circa vrbem paſſim virentia? quid fructus laudatiſſimo ſapore commemorem? triticum quidem, & oleum valentiſſimum gignit; herbæ vèrò ad vſus medicos omnium efficaciſſimæ hîc habentur. Porrò vrbs in humili colle ſita vix faſtigium ſuum ſentit, vt Imperatrix Iapygię ſupercilium quodammodo neſciat. Quin & ipſe Italiæ toti imperitans Apenninus, vbi ad fines veſtros acceſſit, tam depreſſo cacumine aſſurgit, vt ad dignitatem Principis vrbis faſtum veluti

Strabo.

Galath. de ſitu Iap.

b

ſuti officioſè ponere videatur. Iam colles nemoroſi vndiq; & felici olea conſiti, non glabri, non difficiles, ſed leniter accliues, vt aſſurgere tantum modicè ad delicias dixeris. Ad hæc autem tam ingentia naturæ bona quanta artis decora acceſſere? Crebra viridaria, & horti, quibus vndiq; non ad ciuium commoda ſolùm, ſed ad voluptatem etiam vrbs coronatur, & cingitur. Aedes, quà priuatæ, quà publicæ, quadrato lapide, & leuigato ſtructiles, turres circa vrbem frequentes, Adriani haud multis millibus procul moles, ac portus, Arx nobilis, ac benè firma, muri ſpectabiles, foſſiſque præaltis validi. Iam templa inſana ſubſtructione viſenda, ſigniſque frequentibus, & columnis Corinthio opere affabrè elaboratis quantæ admirationi ſunt? in quibus non opus ſolùm, ſed materiam ipſam ſuſpicias, lapides inquam, tam molli ad erudiendum natura ſaxi, tam forti rurſus ad ſuſtinendas ætates. Quid ipſa vrbs? nonnè tota poenè artis miraculum eſt? Nam ſi penſiles hortos iure olim ſuſpexit antiquitas, quid de Lupijs veſtris dicendum eſt? quæ magnam partem penſiles, ſuperq; ingentes arcus, ac fornices poſitæ tantum admirationis habent, quantum animo, ac cogitatione vix fingi poteſt, vt nemo vnus addubitet eſſe vrbem hanc triumphalem, quæ ſuper veteres ædium ruinas poſita, de iniurijs temporum veluti triumphum deportat. Quid hìc attinet priſca commemorare? quorum tam crebra paſſim per agros ſparſa veſtigia viſuntur; An non ingentis Theatri ſpecimen aliquod hodieque extat? quod ſi ſupereſſet, nulli veterum, aut magnitudine molis, aut operis elegantia concederet. Quid marmora, quid columnas, quid ſigna, baſes, epiſtylia, & ſexcenta huiuſmodi,

Galat. de Situ Iap.

olim.

olim quidem artis ornamenta, nunc argumenta tantum, & teſtes referam? quæ hodie quoque è Lupienſi agro effodiuntur. Vſque adeò non homines ſolum, ſed marmora etiam interitum ſuum habent, & vix ſepulta quædam magnarum ſubſtractionum rudera, tamquam inſani corporis oſſa ad poſterorum extorquendam fidem ſuperſunt; ac terra demum obruuntur, quæ indè non ſine graui magnæ parentis iniuria ferro fuerant exciſa. Quodque magis mirere, Epitaphia interdum, & ſepulchra ipſa humi ſepulta eruuntur. Magno argumento, nihil eſſe ab interitu immune, quando ipſa præſidia, & caſtra ſua Libitina deuaſtat, & tumuli ipſi firmiſſimæ mortis ſtationes aliquando etiam tumulantur. Nunc verò quid de hominibus dicam? vnde maximum huic vrbi ſemper & decus, & ornamentum acceſſit. Etenim ſi primum conditorem vrbis iam indè ab vltima memoria repetamus, ecqua vrbs Lupijs, aut authoris nobilitate, aut antiquitate generis antecellit? quæ plus quingentis ante Romam conditam annis natales ſuos habuit. Namque vt eſt in annalium monumentis, centenis ferè ante dirutam Troiam annis, cum Sales Regis Cretenſium filius cum Titanis ſuis fortiſſimis viris patrijs finibus valere iuſſis Iapygiam tenuiſſet, exceptus perhumaniter ab indigenis hic ſedem poſuit, & Salentinos, hoc eſt Salentitanos veteres quondam Iapygas nuncupauit. Ab hoc itaque Daſumnus filius à Daſumno Malennius primus Lupiarum author, & conditor extitit, qui etiam proximam vrbem Rudias poſuit. Vtque eſſet inter vtramque gentem, non loci minor, quàm amoris propinquitas, per cauos terræ meatus perpetuum criptæ, (cuius hodièque

Troia euerſa eſt ãno à mũdo condito MMDCCC.

Turſ. in epit. lib. 1

Ant. Beatil. in vitaS. Iren.

extant veſtigia) tractum excauans vrbes iunxit , ſic vt vna quodammodo videretur, quo factum eſt poſtea, vt diutis ſeu vetuſtate, ſeu bello Rudijs, earum indigenæ Lupias tamquam ad alteram patriam confugerent; eoſque Lupienſes verè ciues, & propinquos ſuos in partẽ vrbis reciperent; quæ hodie quoque à veteri, & affini vrbe, Rudiarum retinet nomen. Extincto demum Malennio; Daunus filius regnare cepit. Interim Lyctius Idomeneus Cretenſium Rex à bello Troiano domum reueniens fœda in mari tempeſtate iactatus vouit, ſi patriam incolumis tenuiſſet, quodcumque ſibi primum de naui exſcenſum facienti occurriſſet, id Dijs pro hoſtia ſacrificaturum, & res ita euenit, vt primus illi fortè fortuna Regni hæres filius occurreret; ergo voti damnatus, cum illum ſpectante populo immolaſſet, incolæ parricidium abominati, Regem ſuum è Cretæ finibus eiecere; & ille Regno pulſus in Iapygiam ad propinquos ſcilicet ſuos perrexit. Cœterùm, cùm nulla Regni ſit fida ſocietas, Daunus conſortem imperij ueritus non paſſus eſt ab Idomeneo Iapygiam occupari, ea re Idomeneus ad Locrenſes veteres amicos confugiens, opibuſque ab ijs, ac milite auctus inſtructa claſſe, atque infeſtis animis in Salentinos reuertitur; quorum utrumque Virgilius attigit, cùm illa cecinit.

3. Aen. *Fama volat pulſum Regnis ceſſiſſe paternis*
Idomenea Ducem, deſertaq; litora Cretæ, &c.

Ibidem. Et mox:

Et Salentinos obſedit milite campos,
Lyctius Idomeneus, &c.

Cæ-

Cœterùm res feliciorem ſpe exitum habuere. Dauno enim ea tempeſtate ſine liberis vita functo, cùm Euippa germana ſoror Regni gubernaculum ſuſcepiſſet, ac bellum pararet, interceſſit Cleander Diomedis frater, ac res tàm bellè compoſuit, vt, depoſitis vtrinque armis, odijſque, æternum inter Idomenea, & Euippam coniugij fœdus firmaret. Igitur Idomeneus Regno adhibitus Lupias armis; viriſque mirificè auxit, cuius nepotes nongentis annis toti Iapygiæ poſtea imperitarunt. Extat autem præclariſſimum rei monumentum in marmore alterius marmoris indice, in quo hæc inſcripta carmina olim inuenta ſunt.

Vt marmor docuit, hic olim fortè repertum,
Victori Iomeneo fuerat iam Regia quondam
Hic, vbi fundarat noſtram Malennius vrbem.
Victori, haud quod Marte ſuo ſuperaſſet & armis
Hos Salentinos fortes, Iapygumque ſodales,
Victus nam illis ad Locros confugit amicos,
Sed quod coniugio ſibi iuncta Euippa, potentis
Filia Malenni, Daſumnique inclyta neptis,
Proneptiſque Salis, Dauni ſoror vnica, & hæres;
Nomine dotis ei dedit hæc fortiſſima Regna;
Quæ nullo ille prius poterat conuellere ferro.

Ergo ita vrbs totius Iapygiæ Regni caput ſubiectis circa populis per tot ſęcula iura dixit, donec ſequuta commune Orbis terrarum fatum, & ipſa in Romanorum tandem ditionem concederet; ſic tamen, vt & Lupiæ aliquando Romæ, atque adeò Orbi terrarum duos ſapientiſſimos Imperatores dederint, Marcum Aurelium Antoninum Verum, cognomento

Turſ.l.4. epiſt. mento Philoſophum, à puero Stoicum, à quo comprobatam vocem illam Platonis dicas, tùm demum beatas fore Reſpublicas, ſi aut Philoſophi regerent, aut Reges philoſopharentur, ac Lucium Verum Philoſophi iſtius germanum fratrem. ſic enim habet

Iul. Capitol. Capitolinus. *Natus eſt Marcus Aurelius Romæ VI. Kal. Maij. Auo ſuo iterum, & Augure, & Conſule, in monte Cælio in hortis, cuius familia in originem ſuam recurrens à Numa probatur ſanguinem trahere, vt Marius Maximus docet, item à Rege Salentinorum Malennio, Daſumni filio, qui Lupias condidit.* Et Eutropius.

Eutr.l.8. *Marcus Aurelius haud dubiè nobiliſſimus, quippe cum eius origo paterna à Numa, materna à Salentino Rege penderet.* Sed quantò illud illuſtrius, quòd viros morum ſanctitate percelebres vrbs hæc aut tulit, aut nutrijt? Donatum Lupienſium Antiſtitem Cataldi Sanctiſſimi Tarentinorum Epiſcopi germanum fratrem, & Iuſtum ciuem Corinthium, Martyremque fortiſſimum, qui primus ab Apoſtolo Paulo miſſus Chriſti fidem Lupias inuexit. Ad hæc Diuos indigenas, ac populares veſtros Orontium, ac Fortunatum, & ipſos Lupienſium Antiſtites, ac Martyres præclariſſimos, quorum quidem vos omni tempore, ſed nunc vt maximè, non ſine ingenti vrbis commodo præſentiam experti eſtis; cùm ſæuiſſimam luem, quæ tota fermè Italia hoc anno graſſata eſt, ſuis apud Deum precibus, non modo ab vrbe veſtra, verùm etiam à totius terræ Iapygiæ finibus, aditúque prohibuerunt. Inter quos ciuem etiam ſuum repetit Dionyſium ſummum Chriſtianæ Religionis Hierarcham, ac Martyrem, vt de ea multò verius, quàm de Vrbe Roma dici debeat.

Felix

Felix prole virum, qualis Berecynthia mater
Inuehitur curru Phrygias Turrita per vrbes
Læta Deûm partu, centum complexa nepotes
Omnes Cœlicolas, omnes ſupera alta tenentes.

Sileo bellicæ virtutis gloriam, quæ enim Roma-
norum ſtatio militum fuit, quid illi huius laudis de- *Plin. l. 3. c. 11.*
fuiſſe putandum eſt? Certè vt contra barbarorum
Macedonum præſertim & Epirotarum excurſiones
vrbs veſtra propugnaculum Italiæ eſſet, eò Colonia
à Romanis deducta eſt. Quod ſanè non ſemel præſti-
tit. Gothis enim olim Italia potitis, Lupiæ, quæ per *Procop. 3.*
id tempus Orientis Imperio parebant, nullis victri- *de bell.*
cium armorum viribus frangi potuere, ſed tamdiù de- *Goth.*
bacchantis vbique illius incendij ſuſtinuere impe- *Leonard. Aret. 3.*
tum, donec à Beliſario primùm, mox à Narſete for- *& 4. de*
tiſſimis Ducibus erecta Italia, ſæuum barbarorum iu- *bel. Ital.*
„ gum excuteret. Iterum verò proxima maiorum *Galath.*
„ noſtrorum memoria capto, vaſtatoq; à Turcis Hy- *de ſitu*
„ drunto, vt ait Galatheus, prouincia tota perterri- *Iapyg.*
„ ta, atque in fugam verſa, vrbs hæc prima Turca-
„ rum furori obſtitit, quouſque auxilia à Ferdinan-
„ do miſſa prouinciam firmarent, venientem poſtea
„ ab Hetruria exercitum noſtrum penè fractum, ac
„ inopem, & longo itinere fatigatum reparauit, atq;
„ ſuis bonis refecit. Demum poſt captam Gallipo-
„ lim Venetis, totius ferè prouinciæ, nemine prohi-
„ bente, potitis, niſi hęc vrbs fuiſſet, tota fermè Apu-
„ lia in poteſtatem Venetorum deueniſſet.

Ex hac uerò tanta maiorum gloria mirum quan-
tum ſplendoris, ac dignitatis ad generis veſtri nobi-
litatem in poſteros fluxit! In ea enim vrbe, quæ prius
per nongentos annos tot Regum ſedes extitit, in

qua

qua mox nihilo priſcis Regibus minores tot Comites Northmanni, Brehennenſes, Engenij, Vrſini deniqueimperitarunt, quæ Tancredum vtriuſque Siciliæ Regem Neapoli dedit, quæ quadringentis annis Apuliæ, & Iapygiæ viris, atque opibus præſtitit, quæ hodièq; Salentinorum caput eſt, quanta nobilitate pollere ciues dicendum eſt? qui tantis maioribus gaudent, qui Dynaſtias plures, eaſque antiquiſſimas retinent, qui primos denique ipſos Neapolitani Regni Proceres ſanguinis propinquitate contingunt: Sed nihil æque vrbem commendant, ac ſapientes viri, quorum Lupiæ ſemper feraces extitere. equidem ſi natales vrbis ſpectemus, illam vnicè factam ad literas inueniemus. Qui primus enim Lupias condidit Malennius, idem mox Palladi in ijs templum erexit, vt meritò futura mox tot ſapientium mater, atque altrix, ſororem in cunis vrbs habuiſſe Palladem videretur, vnaq; cum ipſa eodem parente progenita ſapientia cenſeri poſſet. Quid porrò ſequutis temporibus? An non publicum Philoſophiæ Gymnaſium Lupiæ extitere? in quibus Pherecides Syrus celebrem ludum aperuit. at quantus Philoſophus Deus immortalis! qui, vt teſtatur Cicero, omnium primus docuit hominum animos eſſe ſempiternos, à quo fluxit omnis Italica Philoſophia, qui nullius vnquam magiſtri diſcipulus, & plurimum per ſe ipſe doctrinæ adeptus eſt, & Pythagora in primis auditore gloriatur. Quid? nonnè iure veſter eſt Ennius? quem Rudium fuiſſe nemo non rudis ignorat. Rudij enim, ac Lupienſes vnius quidem gentis, quanquam diſtinctarum vrbium nomina ſunt. duabus enim urbibus idem populus habitabat, ut olim Neapoli, & Palepoli accidiſſe ex annalium monumentis accepimus.

Galath. de ſitu Iapyg.

An. Beatil. in vitaS. Iren.

1. Tuſc. quæſt.

Galath. de ſitu Iapyg.

Agi-

Agite quot inde literarum anteſignani, & ſapientiæ Principes extitere, quot egregios Philoſophos? quot primæ notæ Oratores, Poetas, Mathematicos, Iuriſperitos, Concionatores dederunt Lupiæ? quot extant hodieq; minimè degeneres ſapientes ſapientium filij? Nec verò id cuiquam mirum videri debet qui loci, ac regionis iſtius ingenium nouerit, quod mira temperie præditum, liquido, ac ſereno cœlo fruitur, quare congeneres ſui alumnos gignit acres nimirum, ac viuidos, capitales deniq; & acutos; hinc illa morum commoditas, illa humanitas, qua ad omnem officij rationem facti, conformatiq; videntur. hinc ille candor animi, ac nitor, quo nihil ſubdolum, nihil vafrum, nihil intus lacunoſum occulunt, nihil inuium anfractibus claudunt. placidi iuxtà, & aperti, fallere neſcij, ac fallidifficiles, vtpote qui & ingenij, & iudicij acri vi pollent. hinc illa deniq; ſubita animi vegetioris alacritas, & quædam ignea vis, qua ad ardua quæq; aggredienda de facili excitantur, ac feruent. Hæc ſunt ciues mei vel naturæ, uel artis, uel maiorum ueſtrorum decora. Cœterum nullum maius urbis iſtius decus, nullum preſidium firmius datum uobis à Deo credite, quàm Bernardinum, cuius quemadmodum ante hac in afflictis rebus ueſtris præſentem ſemper opem experti eſtis, ita nihilo minorem in poſterum erga uos ſenis eiuſdem preſentiam expectare optimo iure debetis.

c PIO

PIO LECTORI AVTHOR.

QVI laboribus ſuis publicam lucem impertiunt, illum iam ſibi morem fecere, vt lectorem in ipſo aditu ſcriptionum ſuarum reddenda ratione morentur. Ego verò quanquam conſuetudine iſta ſuperſedere iure meo poteram, quod in ſcribendis Sanctorum virorum hiſtorijs, ipſa ſuſcepti operis dignitas pro ratione eſt; tamen quorundam vel obtrectationi, vel admirationi potius occurrendum duxi, qui id quantulumcumque operis noſtri ſuperuacaneum fortaſsè dicent, quòd Bernardini Realini vitam ſatis iam quidem certè luculenter ediderint alij, quà Italicè, quà latinè: quibus occurrere vno verbo ſit; non continuò in hoc, ac tali argumento eripi poſteris è manibus ſtylum, quòd eundem locum maiores aliquando cum laude occupauerint. Quis enim vſque eò impiè deſipiat, vt tres ipſos ſacri Euangelij Scriptores accuſet, quòd Vindicis, ac Seruatoris Ieſu hiſtoriam à Matthaeo antea luculentiſſimè ſcriptam attigerint? Quòd ſi domeſtica inſpiciamus, Sanctiſſimi Parentis Ignatij, ac Franciſci Xauerij res praeclariſſimè geſtas longè plurimi, ijdemque mi-

minimè vulgaris notæ Hiſtorici memoriæ tradidere; nec tamen nullum ſe facturos operæ pretium ſequuti à primo Scriptores exiſtimarunt. Et quidem iure: facit enim ad magnorum virorum commendationem, cùm ſatis illi pro dignitate laudari non poſſint, habere certè quamplurimos rerum ſuarum præcones, ac buccinatores egregios, vt numerus ſaltem pro magnitudine ſit. Illudque præclarum in cæteris Sanctorum hominum geſtæ res habent, vt, quemadmodum compactiles ex vnguentis exoticis pilulæ affrictu latius odorem fundunt; ſic eæ quantò Scriptorum ſtylo teruntur magis, tantò ſuauius redoleant. Sed verò ad id operis me longè alia, nec ſanè leuiora iamdiù ceſſantem adegere. Nam, vt ingenuè fatear, quod fuit reapſe; ſuberat primo tacitus quidam Prouinciæ noſtræ ſeù pudor, ſeù lamentatio, quòd in Viri laudatiſſimi memoria poſteris commendanda ſegniores, quàm par erat, aliquanto fuerimus; ſic, vt, quos alijs hac in re prælucere verius fuiſſet, præripi tamen nobis ſcriptionis iſtius laudem ab alijs Prouincijs pateremur; Iam ſi meritò dolor iſte cæteros, quantò Lupienſes tangebat acrius? me verò ita inprimis vrgebat, vellicabatq. vt pœnè religioni mihi ducerem, ſi id, quantulumcumque ſeu ingenij, ſeu diligentiæ, quod in me eſſet, non Parenti de Patria mea optimè merito totum impenderem. Quid? quod illud propriè acceſſerat. Debebam enim illius vitæ ſtylum reddere, qui Parentis mei pœnè depoſitè aliquando vitam præſenti ope firmauit. Hæ me igitur cauſſæ vrgebant quidem certè ſummoperè; cæterùm numquam tantum otij à docendi laboribus nactus eram, vt huic vni vacare pro viribus, ac dignitate poſſem. Tandem diuino propè conſilio factum eſt, vt ſimul & moderatoris imperium, & ceſſatio à doctoris munere acceſſerint. quæ vbi nactus, nihil mihi antiquius duxi, quàm ſtatim ad rem

aggredi, ſimul vt imperata exequerer, ſimul vt otij mei ratio conſtare poſſet, ſimul deniq; vt vel pietati, uel officio meo ſatisfacerem. Cœpi itaque diligenter rerum à Bernardino geſtarum monumenta peruoluere, eaque potiſſimum, quæ Antonius Beatillus (cui longè plurimum, cùm alijs nominibus, tùm hoc in primis debemus) primus, ac præcipuus vitæ iſtius Scriptor; quanquam nondùm edita in lucem, poſteris tradidit; vndè cæteri, qui Realini geſta vulgarunt, hauſire; mox aliorum etiam editas ſuper eadem re Typis Hiſtorias, in quibus niſi mea me fallit opinio, vt ſint pleraque laude digna, diuerſa tamen deſiderari animaduerti, & in Beatillo quidem, vt eſt Author ille luculentus ſanè, & copioſus ideòque verborum fortaſsè plus nimio amans, multa inerant amplè nimis, & fusè dicta, quæ ſtylo eſſent ſeueriore depaſcenda, nonnulla ſæpiùs iterata, diſtracta quædam, & veluti membratim diſcerpta, quæ aptiùs in vnum corpus colligeres; alia, quæ melius premeres, denique mole ſua pleraque laborabant quibus ordinandis, regerendiſq. Authori vel conſilium, vel vita defuit. Alij rurſus, qui è Beatillo ſcribendæ vitæ argumentum ſumpſere, quamquam elegantiore ſtylo, tamen, (vt multis quidem uidebatur) pro rerum magnitudine, nimis preſſo, caſtigatoq. ſunt uſi; multa enim ab ijs fortaſsè pro temporum conditione ſilentur, quæ ſunt poſterorum memoria longè digniſſima; aliqua (exemplorum, ut credo, & amanuenſium iniuria) deprauata, atque à rei ueritate non nihil detorta, ſic ut interdum temporis, nominum, ac perſonarum, interdum ratio cum rei ueritate non congruat. Itaque ſi minus ingenij, locus mihi certè aliquis relictus induſtriæ videbatur, in quo pro virili elaborarem. Quod an reapſe præſtiterim, Spartamque meam adornauerim, aliorum iudicium eſto. Nunc, quod eſt in Hiſto-

ria

ria præcipuum, ſi quis à me veritatis rationem repoſcat. Primum illam eſſe Hiſtorico impoſitam legem ſciat, vt ne quid falſi dicere audeat, non item eam; vt vnde quæ dicit, hauſerit promat, & caput indicet: Quanquam ſcio Liuium ſæpè Authores laudare, ſed tunc præcipuè, cùm ij diſcrepant inter ſe, ne quid per oſcitationem diſſimulaſſe videatur. Deindè nihil à me prætermiſſum, intelligat, quod Hiſtorici, ſacri præſertim, munus exquirit. Et primò ſi aliorum exemplo unius Antonij Beatilli ſcripta proferrem; ſatis profectò hic unus multorum inſtar veritatis idoneus Author cenſeri poſſet. Enimuerò longè plurimum Scriptoris iſtius induſtriæ, laboribuſque debemus. Neque eſt, cur ea, quæ literis de Bernardino edidit, in dubium poſteri reuocent; nam & pietas viri longè religioſiſſimi mendacij ſuſpicionem abſtinet, & diligentia ſocordiæ, & ſapientia temeritatis. Nihil ille hauſit ex vano, nihil pro arbitratu commentus eſt, plureſque annos pro diuerſa temporum ratione cum Bernardino Lupijs in eadem domo verſatus, eſt, plura teſtis oculatus agnouit. Quæ verò accepit ab alijs, ea fuere huiuſmodi, vt de Authorum fide, præſertim eorumdem authographo firma ambigi, nefas eſſet. Extant autem hodieque huiuſmodi aduerſaria in Neapolitanæ Prouinciæ tabulario; quæ, cùm hæc ſcriberem, fuere domi apud me; in quorum pleriſque iuris iurandi religione interpoſita, plurimorum etiam teſtium chyrographis quæque ſuis firmata ineſt authoritas; quæ ego ſedulo, diligenterque peruolui. Ad hæc non ſine Numinis prouidentia ſuperſunt ad hanc diem, nec pauci noſtræ Societatis homines, viri ſapientes, qui Bernardinum facie noſcitauerint, cum eoque pluſculos annos egerint, quos ego coram conſului, præſertim ubi aliquid, quod ad ipſos pertineret, ſcribendum fuit. Publici ve-

rò

rò instrumenti tabulas ritè confectas, originarias quidem videre, quanquam omni adhibita diligentia, non potui: Cæterum legitimum aliquod earum exemplum habui. Denique multum ad rem iuuit, loca ipſa, de quibus agitur, vidiſſe; vtpote in quibus natus, altuſque ſum, familias, homines ſæpè ipſos apprimè noſſe. Quod ſi quid à Bernardino nouiſſimè editum addidi; id enim uerò ab idoneis Authoribus ſic accepi, vt publicis plerumque tabulis, aut iuriſiurandi religio, aut teſtium complurium fides accederet. Quæ ſi cui non ſatis adhuc eſſe viſa fuerint ad faciendam fidem, ne is ſuperbè nimis longè ſe pluris æſtimat, quàm vt tot oculatis, iuratiſque teſtibus, tot authographis, tot denique religione, ac ſapientia pollentibus viris perſuaſionem ſuam vendat. Cæterùm Hiſtoriam habes, non qualem fortaſsè nonnulli cuperent, regionum longinquitate diſtractam, negotiorum magnitudine amplam, euentorum expectatione ſuſpenſam, magnis denique rerum ſucceſſibus admirandam: Non hic tibi, vt in Xauerio magno, patefactus Euangelicæ prædicationi Oceanus; non extremi terrarum fines aditi, non euerſæ impiorum Numinum aræ, non diruta Deorum inanium Fana, non deleti ritus, & ſuperſtitiones legendo animum oblectabunt, ſed intra vnius penè vrbis fines cum Realino verſaberis. Rurſus neque cum Ignatio aditas ſolitudines, nec ſuſceptas longiſſimi itineris peregrinationes, nec iacta noui Ordinis fundamenta, nec excitatas inuidiæ flammas, calumnias, carceres, ludibria inuenies. Vixit enim (quod in Sanctis viris, & rarum ſanè eſt, & admirabile) vixit inquam ſenex noſter, ſic ſecurus ferè ſemper inuidiæ, ut nullis appetitus iniurijs, nullis falſis criminibus circumuentus, æquè ſummis, medijs, infimis carus, acceptuſque ſemper extiterit. Sed vt iſtiuſmodi legentium il-

il-

illecebræ deſint, magnos profectò in ſolida virtute pro-
ceſſus inuenies, rerum admirabilium effectionem ſatis
amplam, uaticinationes, oracula, uiſa, quæ non mino-
rem fortaſſe legenti iucunditatem, & admirationem da-
bunt. Et uerò curioſi animi eſt, non pij, religioſique in
re ſacra huiuſmodi diuerticula quærere: uirtuſque ma-
gnorum hominum ſingularis profectò ſemper, non tamen
ſemper eſt peregrina: manet in ſtatione ſua aliquando,
nihilo in quiete ſua minus, quàm in motu ſpectabilis:
atque ut in mundo, ſic in militantis Eccleſiæ cælo, plus
fixa, quàm errantia non rarò ſuſpicimus ſydera. Hinc Cant. 7.
in ſacris literis, & ſponſæ deambulantis laudantur greſ-
ſus. & eiuſdem ſub umbra illius, quem deſiderauerat, Cant. 2.
ſeſſio commendatur, & quies. Sponſus item, & ſaliens in Cant. 2.
montibus placet, colleſque tranſiliens, & in meridie ne
uagari incipiat ſponſa poſt greges, quæritur ubi cubet. Cant. 1.
Sed uideo me longius, quàm deſtinaueram, progreſſum.
Itaque ad rem uenio.

BERNARDINI REALINI E' SOCIETATE IESV SACERDOTIS VITÆ LIBER PRIMVS.

Parentes, Ortus, & Educatio Bernardini. *Caput I.*

CArpi vetus Æmiliæ oppidum,viris,& indigenis frequens, eam Galliæ citerioris regionem occupat, quam Gabellus olim, nũc vulgò Secia fluuius ex Apennino cadens, flexo in Septemtriones curſu rigat,qui mox in Padum influens, priore amiſſo, adſcitoq; maiori nomine, ingenti alueo nauium patiens in mare ſuperum ſe exonerat. Huius igitur ad ripam fluminis ſitos, quos modo nominauimus Carpos natale ſolum habuit Bernardinus,cuius de moribus, ac vita Deo Duce ſcribere aggredimur. Eſt verò Carpis vetuſta gens Realina in primis honeſta,& nobilis,vnde armis iuxta,ac literis inclyti ſemper viri extitere. Ex ea Franciſcus Realinus Bernardini Pater ortum habuit, qui, vbi per ætatem licuit, Eliſabetha Bellintania æquè clari generis fœmina

in matrimonium ducta, quinque ex ea ſuſcepit liberos, quorum natu maximus Bernardinus hic noſter fuit. Editus autem in lucem eſt Kalendis Decembribus, Anno a Virginis partu MDXXX. quo anno ingens ſupra Italiæ Cœlum cometa viſus ad futuram pueri Sanctitatem, ſi coniectare licet, præuio fulgore præluxit. mox VI. Id. Dec. ipſo ſcilicet conceptæ ſine peccati labe Virginis ſolenni die, Chriſtiani fontis lauacro communem generis maculam poſuit. Puerum mater liberaliter educauit, diſtracto interim procul à penatibus patre, quem ſcilicet aliò Gonzaga gens, cuius tunc ille commodis nauabat operam, procul ab domio auocauerat. Igitur Puer piæ fœminę inſtitutione, ſuoq; ipſius prono ſatis ad pietatem ingenio, non vulgares ad virtutem progreſſus faciebat in dies. In primis verò ſtudium erga Deiparam ingens hauſit à matre, ſic, vt illi iam inde quotidie certum Salutationis Angelicæ numerum ad calculos coronarios abſolueret. Mox, vbi primum per ætatulam licuit, cùm didiciſſet exactæ diei à ſe rationem repoſcere, dictaq; & facta omnia expendere, religioni ducebat ſibi non id diebus ſingulis chriſtianæ pietati penſum exoluere. Et verò prę ſe puer indolem ferebat omninò egregiam, quæ nec vulgarem, nec irritam ſpem optimæ frugis afferret. Inerat morum ſuauitas ingens, atque os ad hilaritatem modeſtè explicatum, & vultus pueri liberalis cæteros ad amorem ſui facilè trahebat. Tanta verò in parentes obſeruantia, vt ne adultior quidem, vnquã illis moleſtiam exhibuerit. Præcipuo autem amore, cultuque matrem proſequebatur, vnde prima ſcilicet purioris vitæ præcepta hauſerat. Infantiæ fines egreſſus, cepit primis literis imbui: atque, vt erat ingenio puer acri, & probè ad literas facto, facili negotio prima illa rudioris literaturæ præcepta tam altè tenuit, vt breui multum & Latinè, & Græcè proficeret. Quare Gramma-

maticæ rudimentis inſtructus cępit ſtatim humanioribus diſciplinis excoli: Doctoremq; id ætatis eruditione inprimis, & literis nobilem nactus Franciſcum Paſium popularem ſuum, quique ipſum propinquitate contingebat, diligenter audijt: quo duce æquales ſuos, vel antę ibat omnes, vel certè pręuertebatur à nemine: nullumq; ſibi diem, quo non aliquid literarum ediſceret, inanem excidere patiebatur. Otij quam qui maximè oſor nunquam ceſſare, ſed omne tempus, vel lectitando, vel commentando aliquid traducebat: idemq; literarijs in ſchola, vt fit, velitationibus exercitus victor ſæpè, victus nunquam plures domum palmas referebat. Cæterùm ea inerat adoleſcentulo, vel humanitas, vel modeſtia, vt nemo vnus ab eo vinci ſe ægrè tulerit: quin immo peroſus, qui ſe magnificè circumſpicientes ab alijs cultum ambitioſiùs exigerent, negabat eum inter homines hominem habendum eſſe, qui non ſeſe præſtare cæteris humanitate ſtuduiſſet. Iam in familiares benignitate vſus, omnes qua poterat ope iuuabat; multoſque adoleſcentium, qui domeſticis difficultatibus preſſi parentibus ad literarum ſtudia parum commodis vterentur, etiam libris, interdum emptis de ſuo, donabat: vſurpabatque illud identidem, nihil æquè ſibi in votis eſſe, ac poſſe aliquando ſe eum euadere, vnde omnes benignitatis, & munificentiæ ſuæ præſidium certum opperirentur. Neq; alius erat in pauperes; quorum inopiam alere, à pijs parentibus, matre præſertim, præclare didicerat. Ad hæc inolitæ pietatis officia accedebat cultus ingens, & veneratio rerum diuinarum. Quare adire frequens templa, Religioſorum virorum conſuetudine vti, iam cum ſæculi hominibus agere humaniter, vniuersè cum omnibus. Cæterùm cum Annibale Pio, & Ioanne Baptiſta Alexandrino expertæ virtutis viris vſus longè frequentior, & neceſſitudo intercedebat. Agebat Carpis id tem-

poris Paulus quidam; Brixianus, publicoque ſtipendio Græcas literas docebat; vir oppidò eruditus. Non paſſus igitur eſt Bernardinus ſe tanto Doctore græcè neſcire: Nauare itaque ſedulam nobiliſſimæ linguę operam cępit: tantumque inde profecit, vt nobilium ſcriptorum opera mox ſanè plurima latinè redderet; eodemque vno tempore ſimul legum inſtitutis, ſimul Dialecticæ, ac Philoſophię nauabat operam. Verum, tametſi tantę diuerſarũ facultatum varietati par illi erat ingenium; animaduertit tamen nobilium diſciplinarum ſtudijs animum in partes diſtrahi; eaſque ſimul complexas ſibi mutuo non nihil officere. Quam ob rem repetere omnes in florentiſſimis academijs procul ab domo paterna conſtituit.

Bernardini literarum ſtudia.
Caput II.

INter hæc egregiæ indolis argumenta ſextum iam ſupra decimum ætatis annum attigerat; cum incredibili diſcendi ardore actus, Carpis profectus, Mutinam vicinam Vrbem & ſatis celebrem petijt, qua tempeſtate in ea Ludouicus Caſteluetrius, vir ab ingenio iuxta, editiſque in lucem literarum monumentis apprimè clarus, ac nobilis, inclytæ Academiæ præerat. Ad hunc itaque appulit, eumq. biennio audijt. Et quanquam inchoata Philoſophiæ ſtudia interim curabat abſoluere; tamen cùm eſſet ad humanioris literaturæ cultum ſuopte ingenio propenſior, Antonium Bandinellum virum amœnioribus muſis longè excultiſſimum gręcas, latinaſque literas docentem Mutinæ frequentauit. Cumq; ad id ſtudij non leuiter literis tinctus acceſſiſſet; egregium ſcilicet ingenioſus, ac nauus adoleſcens operę pretium

tium fecit: nam cùm ingenio eſſet viuido iuxta, ac peramœno, ac præceptore doctiſſimo vteretur; vtriuſque linguæ peritia excultiſſimus euaſit breui; eamq; ſcriptorum interpretandorum lucem eſt aſſecutus, vt nullum Latinæ, Græcęue ſcriptionis genus eſſet, quod non facili negotio Bernardinus enuclearet. Quare ex vtriuſq; linguæ authoribus multos notis egregijs illuſtrauit, multa etiam ſcribere adoleſcens aggreſſus eſt, vt extaret aliquid, vnde vixiſſe ſe poſteri ſcirent; quorum nonnulla in lucem edita hodieq; libenter à doctis leguntur. In his commentarij duo ſunt, alter in nuptias Catullianas Pelei, ac Thetidos, Chriſtophoro Madrucio Cardinali Tridentino dicatus; alter in Cornelij Galli veteris poëtæ elegias, aliæque in ſcriptores varios notæ Bononiæ typis excuſæ, eidemque Cardinali Madrutio nuncupatæ. Ad hæc quamplurima opuſcula, quæ apud gentem Realinam ſcripta manu ſeruantur, quæ nos infra loco ſuo numerabimus. Iam dum hìc ageret Bernardinus, Madrutius Cardinalis, vt Franciſco Realino parenti, quo ipſe tunc equorum magiſtro vtebatur, pergratum faceret, Bernardinum filium, de cuius egregia indole audierat, Papiam mittere, eodemq; loci ad ſtudia literarum alere de ſuo cogitauit; ſed renuit Bernardinus, ne à Bãdinelli interim eruditione diſcederet; gratijſque humaniſſimè actis, Mutinę ſubſtitit. Verùm cũ inter ęquales non ſatis religioſos, & integros, non dum confirmata virtute adoleſcens verſaretur, vt eſt ille flexus ætatis inconſtans, ac lubricus, cœpit per iuuenilem licentiam, ac luxum de pietatis ſemita aliquantum deflectere, ac de ſtudio rerum diuinarum non nihil liberiore viuendi vſu deterere. Sed profectò non diu hæſit in ſcopulis, redijt enim illicò ad mentem, Deiparę Cœli Reginę, & cuſtodis Angeli opera adiutus. Certè huc illud referri poteſt, quod ipſe poſtmodum ſenex in magni beneficij loco

co

cò poſuit; ſic enim memoriȩ prodidit. Iam quantum illud eſt, quod cum ego tam lubricum iter eſſem ingreſſus, venit ad me Angelus, atque erroris admonitum reſtitantem à gehennȩ aditu abſtraxit, atque ad Cœleſtis gloriȩ ſemitam reuocauit: hęc illa ſcilicet amica vis eſt, qua intrare compellimur. Quare patronȩ Virginis opē implorans, vſque eò liberioris illius conſuetudinis odiò exarſit; vt nunquam aliàs in poſterum huiuſmodi hominum neceſſitudine teneretur. Iam ſe biennium circumegerat, & Bernardinus in exitu anni duodeuigeſimi, vt Medicinæ vacaret, & Philoſophica integrè abſolueret, Bononiam ſe contulit, bona cum Eſtenſis Ducis venia; qui vetuerat quenquam ditionis ſuæ aliò ſe ſtudiorum cauſa conferre: ſed Franciſcus pater Duci ſuo apprimè carus exeundi poteſtatem facilè impetrauit. Igitur ad vigeſimum vſque ætatis annum Dialecticis, ac Philoſophicis diſſertationibus ſedulò vacans, celeberrimos eius gymnaſij philoſophos audijt: Quo tempore à Madrutiò Cardinali ampliſſimo diplomate inter ſodales ſuos adſcitus eſt. Verùm hìc agentem reuocauit Pietas domū, vt matri grauiter decumbenti præſto eſſet. Adfuit igitur amantiſſimus filius, opem præſtitit, & diligenter & piè: ſed cum lentè illa conualeſceret, ſe literis reddidit: cùmque Ferrariam ad ſtudia inſtauranda, & domeſtica quædam negotia expedienda petijſſet; haud ita diu eo loci moratus eſt: extincta enim interim Eliſabetha matre, à parente domum ad commune ſolatium eſt reuocatus. Paruit illicò Bernardinus, doloremque patris mœſtiſſimus ipſe lenire vix potuit: eoq; pietatis officio functus, Ferrariam primum, mox inde Bononiam repetijt; vt ſupremam Philoſophiæ ſtudijs, quę iam pridem inchoauerat, nauaret operam; vnde inſtructior mox ad Medicinam, quam diù iam animo coquebat, accederet.

Iuris

Iuris Prudentiæ operam nauat. *Caput III.*

COEterum, quamuis ad hanc medicinæ artis peritiam iam pridem animum appuliſſet; mutare nihilo minus mentem inita interim, dum Bononiæ ageret, cum Clara præclariſſima fœmina conſuetudo paulatim coëgit. Et quidem non ab re ſuerit aliqua hic de muliere attexere, quicum Bernardino tam diuturna,& familiaris neceſſitudo interceſſit; cuius deſideriũ, vt mox loco ſuo reddam, tam grauiter, & iniquo animo tulit. Erat verò hæc Bononiæ præclaris ſanè natalibus orta; nec ſatis adhuc pro comperto eſt Claræ vocabulum an fœminæ, an familiæ fuerit:certè Bernardinus in illa ætate carminum apprimè amans,vt eſt conſuetudo poëtarum, inflexo paululum ad dulcedinem nomine,Chlorin appellat. Et verò virgo erat, vel ab ingenij, vel à ſanctimoniæ dotibus longè digniſſima,quam Bernardinus & amaret plurimum, & ſuſpiceret: florebat enim,& maximè ſubacto,excultoque optimis diſciplinis ingenio,nec pęnitendam ſcientiæ operam dederat.Philoſophiæ partes, & Poëticæ facultatis numeros tenebat omnes,ſic,vt identidem Italicis modulis non inuenuſtè plurima ſcriberet. Iam pietatis,ac pudicitiæ, adeo ſeueris addicta legibus,nihil vt in illa ad vitæ ſanctimoniam numeris omnibus abſolutam requireres. Igitur hæc cũ Bononiæ templum neſcio quod,frequens adiret, & ſacris religiosè intereſſet, peractis mox ritè myſterijs, eodem loci in ædiculam ad pias commentationes ſecedere conſueuerat: atque dum hic ſola cum Deo ageret; Realinus,qui forte eodem ſacrorum cauſa conuenerat, ſępe virginem conſpicatus, pietatem mirari primum, mox etiam cœteras virtutes,quarum Bononiæ,vt in fœmina

mina illuſtri,fama ingens, ita ſuſpicere, vt nec ſentientem amor, & alloquendæ Virginis cupido ingens inceſſerit. Contra cùm etiam Clara neſcio qua via de adoleſcentis egregijs virtutibus cognouiſſet, in mutuam admirationem conuerſi,amare inter ſe vehementer cęperę,atque inde,vt erant ambo egregiè ad numeros facti, vltrò, citroque ſcriptionibus, ac numeris neceſſitudinem alere: quorum hodieq; nonnulla extant,in quibus tamen nihil reperias, quod non modeſtiam, atque honeſtatem redoleat. Nec mirari cuipiam eſt adoleſcentem, quanquam longè à ſęculi amoribus alienum, Virginem adamaſſe; cum nihil æquè in illa, atque animi virtutes ſupra ætatem,& ingenium, ac literas ſupra fœminam ſuſpexerit.Non tamen illud abnuerim fuiſſe, in Bernardino præſertim, quod in amore corrigeres: modum enim exceſſit, quod maximè poſt Claræ obitum patuit: & Bernardinus ipſe iam ſui compos, plus ſe nimio fœminam, quanquam honeſtè, interituram tamen, & fluxam amaſſe doluit. Adeo mulierum conſuetudo, etiam intra modeſtiæ fines, ſæpè viris magnis imponit.Igitur Bernardinus vbi Bononiam,poſt matrem elatam attigit,& Clarę neceſſitudine vti cœpit;eius ſuaſu, quanquam ægrè, tamen à medica facultate abduxit animum: iam tùm ſcilicet ita adoleſcentis ſtudium per fœminam regente Deo, vt quod illi ex vſu poſtmodum futurũ eſſet, ediſceret;abijceretq; ea,quæ nullũ in Societate pretium operæ factura erant. mirũ enim quãta cũ proximorũ vtilitate iam ſenex ſiue audiẽdis cõfeſſionibus,ſiue cõſilijs dandis peritia iſta legũ, & iuris eſt vſus. Et quidẽ ire primo obuiã ſuadẽti Bernardinus,ac negare ſe immẽſis ediſcendi iuris laboribus id ætatis parẽ eſſe;non id à ſe tot euigilàtas Philoſophicis commentationibus noctes repoſcere, vt ijs nunc oleum pariter, & operam perditam velit : & qui aliquam inter Philoſophos

phos ingenij famã collegerit, videri ſcilicet turpe, ſi inter aſſeclas iuris magno natu poſtremum nomen obtineat. Verùm illa inſtare, vrgere, omnia tempeſtiuè aggredi, vbi labor ſolers, & induſtria, temporis diſpendia compenſet. Denique illud crebrò vſurpare, nihil volenti difficilè. Igitur Bernardinus, quando nihil non etiam à ſapientibus amor extorquet, vt fœminæ, quam vnicè ferebat in oculis, morem gereret, abdicato medicinæ conſilio, ad iuris prudentiam tandem adiecit animum, Doctoremq; ea tempeſtate prænobilem adijt Marianum Socinum. Hoc adeò alite, vt aiut, bona factum vel inde creditur. Conductitias ædes vnà cum contubernali ſuo habebat Realinus: in ijs ſuſpenſa forte de tigno cauea Luſciniam clauſerat, quæ plures dies aut cantum omninò preſſerat, aut mæſtiſſimis modulis, ac voce pene intermortua veteres Terei iniurias queri propemodum viſa erat. verùm vbi primum iuriſprudentiæ daturus nomen Bernardinus, vt domo pedem efferret, illac præterijt; enimuerò ales illico geſtiens hilarem cantum attollere, atque iteratis minuritionibus hoſpiti ſuo gratulari, & quantum viminei carceris ſpatia ferrent, certiſſima lætitiæ ſigna dare inſtituit: mox abeuntẽ conſpicata, redire ad triſtitiam ac rurſus ad hilaritatem, vbi redeuntem aſpexit: id verò triduum tenuit: quam auis muſicæ lętitiam auſpicatam ſibi ducens Bernardinus; iam inde ſibi honoris aliquid ab initis legum ſtudijs animo præſagiebat: quod ambitioſæ mentis conſilium caſtigauit poſtmodum ipſe, factus modeſtiæ, quàm vanæ diuinationis amantior. Cęterum tanto cum animi ardore iuris prudentiam eſt aggreſſus, vt ne capiendi quidem cibi neceſſitas hominem à ſtudio auocaret; quo ſemel per diem vti aſſueuit, vt reliquum temporis literis daret. Obire interim Chriſtiana myſteria, & religioſas domos frequentare, quorum monitis iuuari ſe plurimum ſen-

ſerat, iniectus enim iam inde eſt animo pietatis quidam ſenſus,ac ſtimulus, quo omnem viuendi rationem religioſè componeret. Ad hæc mortis aliquando oppetendæ neceſſitas, humanæ illum conditionis admonitum præclarè in officio continebat. Æternitas autem in primis animum ſtimulabat, ſic vt cogitatio tam ſalutaris illius animo per omnem vitam inhæſerit:ac ſenex identidem iteratò æternitatem inclamans, illius ſe timore correptum maximè diceret. Sed dum legibus vacat, non eſt paſſus ameniores muſas torpeſcere: nam inter Academicos Bononienſes,quibus à fumo nomen eſt inditum, vt aliquam lucem ingenij daret, multa edidit, quorum ſupra neminimus. ſed interpellauit ſtudium intenta Realinæ genti lis, quæ illum Ferrariam auocauit, vbi Magium Philoſophum nobilem, & Giraldum interioris eruditionis hominem,multóſque inſuper alios inſignis literaturæ viros adijt: quo tempore inter Eſtenſes Familiares adſcriptus,apud Principes viros in magno pretio eſt habitus, humaniterque tractatus, & menſæ etiam ab Hercule Duce interdum ſodalis adhibitus: quo factum eſt, vt reliqui nobiles aulici Bernardinum magnifacerent,atque in eius cultu,& honore certarent. Verum breui non modo Ferraria, ſed ex omni Eſteſium ditione caſus diſtraxit: etenim Franciſcus pater, cum componendæ liti arbitrum elegiſſet,qui alteram partem propinquitate contingebat,hic nullo perito iuris in cõſilium adhibito, per ſummam iniuriam propinquo ſuo cauſam adiudicauit:mouit itaque indignitas rei Bernardino quamquam mitiſſimi cęteroquin ingenij bilem; atque aliquid otij à ceſſatione ſtudiorum nactus, cum Carpos repetijſſet, forte arbitrum in locis aliquando ſolis offendit; itaquè accenſus, & iurgio, pugionem ſtringens aduerſario circa frontem leue vulnus inflixit: quod vbi Ferrariæ reſcitum eſt, quanquam apud plurimos flo-

florebat gratia Realinus, tamen nihilominus ab Eſtenſi Duce ægrè habitum eſt, adeo vt dexteræ illum, & vertendi ſoli damnaret: ſed exemplum anteuertit Bernardinus, ac Bononiam repetijt, vbi ſtudijs inſtauratis III. Non. Iunij Anno milleſimo quingenteſimo quinquageſimo ſexto, ſummo omnium conſenſu doctrinæ lauream eſt aſſecutus.

Mediolanum profectus, præſentiam Angeli ſentit, & Felizano præficitur. Caput IV.

IVris prudentiæ adeptus inſignia, Mediolanum illicò vnà cum patre contendit, vbi non leue ſibi à Gubernatore præſidium futurum ſperabat. Præerat fortè ea tempeſtate Inſubribus Cardinalis Tridentinus cognomento Madrutius, quicum genti Realinæ, vt vidimus, neceſſitudo vetus intercedebat. Igitur ad veterem Patronum Franciſcus ſimul adijt, amantiſſimè exceptus filium commendat. enimuerò iampridem Madrucius de egregijs Bernardini dotibus cognouerat, magnamque adoleſcentis optimi opinionem conceperat. quare omnia ab ſe ſperare iuſſum, lętum dimittit, breui magiſtratum pollicitus. Interim, ne ſua in cohoneſtãdo adoleſcente ceſſare videretur humanitas, Bernardinum Ciuitate Mediolanenſi donauit; addiditq; diplomati elogium, teſtatus id ſe eò facere, vt ab tanto ciue nobiliſſimæ vrbi ſingulare ornamentum, ac decus accederet. Per eos dies apud Triuultios Bernardinus diuertit, qui viri modeſtia ſingulari, egregijſque virtutibus cominus perſpectis, tanti illum facere, adeóque in oculis ferre, vt nunquam poſtea toto octennio, quo in Inſubribus eſt verſatus, hoſpitalem cum alijs teſſeram mutare hominem ſiuerint: neque, cum ſe ſe res dediſſent, præſidij, ac

patrocinij ſui opem deſiderari vnquam ſint paſſi. Cęterum Bernardinus ſub idem tempus, quanquam curis ſæcularibus maximè intentus, nihilo certe minus diuinarum rerum vſu, fructuq; pollebat: nam in reliquis illud ſibi collatum cœlitus donum id temporis ad familiarem quẽdam ſuum ſcripſit, vt verſari ob oculos mentis aſſiduè Cuſtodem ſui Angelum cerneret, cuius monitis, tanquam ſtimulo adhibito dies, noctesque ad virtutem incitaretur. Animaduerterat autem, vbi ſe facilè illi fingendum dediſſet, euchi ſibi mentem ad cœleſtia, ſic, vt mortalia pro nihilo haberet. Neque verò animi ſolum, ſed corporis etiam oculis aliquando ſe ſpectabilem Angelus præbuit; quod Bernardinus ipſe non ita multò poſt quàm Mediolanum tenuit, datis ad Hieronymum Zoppium literis, apertè teſtatus eſt, viſum ſcilicet ſibi humana ſpecie cæleſtem patronum tanta oris venuſtate, vt nullo alio argumento citiùs cœli Ciuem conficeres, ac ſubdit: Mecum ille modeſtè gradiebatur,
„ atque inter alloquendum verbis ſuauitas inexplicabilis
„ inerat, iam frons, iam oculi ita ſplendeſcere, vt luce ſo-
„ lem præirent, oris verò totius habitus, ac facies modeſtè
„ hilaris, & grauis. Illud vnum non ſatis arriſit, quod atrã
„ veſtem induiſſet, vnde aliquid infortunij colligerem:
„ nec fortaſse coniector vanus eſt habitus, vt in obitũ Claræ mox referemus. Iterum Cœleſtis idem Genius cũ Bernardino grauiter ægrotanti apparuiſſet, ſanitatem repentè diuinitus attulit: lectulo enim frigentem, & intermortuum attollens, macte eſſe animo iuſſit, ac viue, inquit, tuas enim olim præclarè res geſtas nulla ætas obliterabit. Quod Cœli munus Bernardinus ad Familiarem ſuum ſcripſit, & Italicis numeris, vt moris ſui erat, incluſit. Aliàs dùm aliquid ſcriberet, aliter viſus. Etenim aliquando cum de ſomno, & vigilia per noctem, neſcio quid ex Philoſophi ſenſu commentaretur, inſolenti

lenti luce per trinoctium inter ſcribendum eſt circumfuſus, quod equidem tutelaris Angeli clienti ſuo dum ſcriberet præſentis fuiſſe munus crediderim. Interim Mediolani bimenſem ſubſtiterat, cum Felizano præficitur. Ea res ita habuit. Madrucium honeſtandi adoleſcentis occaſioni intētum Felizanenſes adeunt, ac Bernardinum ſibi præfici, Triuultijs, vt creditur, authoribus, poſcunt. nihil Gubernatori accidere potuit optatius: quare illum volēti animo nobiliſſimi oppidi præfectum renunciat, & Bernardinus inſtauratæ ſalutis anno MDLVI. ante XI. Kal. Ian. magiſtratum inijt, quem toto anno tam ſanctè geſſit, vt nihil ad viri integritatem, æquitatemq; quiſquam deſiderauerit. Itaque oppidani, Prætoris ſui ſanctimoniam mirati, hominis innocentiam publicis tabulis teſtati ſunt: nec poſtquam magiſtratu abijt cenſori ſubijci, vt moris eſt, rerumque ab illo geſtarum rationem repoſcere vllam voluerfit, quin eius diligentiæ, vigilantiæque florentes oppidi res tulere acceptas; nec non ſeruatæ conſtanter æquitatis, ac pacis laude donatum inuiti dimiſere.

Bernardino Chriſtus apparet, ac mærentem placidè affatur. Cap. V.

INterea Madrucij Præfecturæ tempus exierat, qui ſucceſſorem Ducem Albanum habuit. qua rerum ſuarum tutela ex nec opinato deſtitutus Bernardinus, quàm nihil in humanis præſidijs firmitatis ineſſet, de ſuo cæpit periclitari, & quanquam Madrucius pro veteri neceſſitudine Bernardinum abducere ſecum Romam voluit, non continuò, incertum quibus de cauſis, id iuueni perſuaſit; neque vllis conditionibus adduci potuit, vt Romanæ aulæ lucem aſpiceret. Igitur gratijs

Ma-

Madrucio in præſenti actis, Mediolani ſubſtitit; quid ſibi interim dies eſſet allatura haud ſatis gnarus. Quare cum ſe hic ab omni amicorum præſidio nudum, & extorrem laribus patrijs aſpiceret, luctu paulatim contabeſcebat. Forte Felizani die quodam agebat de more triſtis cum leuandæ ægritudinis, animique ab ſublimiora erigendi ſe illi Chriſtus Dominus luce palam videndũ dedit, ac Bernardino propior factus, ecquid, inquit, inani mærore conficeris? an te humanis opibus deſtitutum doles? age, & veternum exue, Regiamque illam maieſtatem ſupplex adi, vnde certiſſimam rebus afflictis opem non nequicquam miſeri expectant. Recreatus tam facili alloquio Bernardinus, redit illico ad mẽtem, frontemque explicat. Cœterum diuinorum adhuc ignarus, cœleſtis magiſtri monitum longè aliter, ac ſenſus erat, interpretatus, credidit ſibi, non Cœli Regem, ſed Philippum ſecundum, maximum ea tempeſtate Regem Hiſpaniarum his vocibus deſignari: quæ falſa verborum acceptio, illi gemina videri poteſt, qua Sanctiſſimi Ordinis parens Franciſcus Chriſti eiuſdem imperiũ olim habuit, cum ſcilicet Eccleſiæ ruenti ſuccurrere, & militiam ſequi iuſſus, labentem ædiculam inſtaurauit, & in Apuliam tranſgreſſus arma induit, & ſacramento rogatus miles ſtipendia meruit. Igitur Bernardinus 11. Kal. Octobr. Ann. MDLVII. boni animi plenus ad Philippum Regem literas exarat, eo argumento, vt in fidẽ, & clientelam ſuam ipſum acciperet, non de nihilo id ſibi ab humaniſſimo Rege polliceri, neque temerè ad Regiam benignitatem adire auſum, habere nempe ſe fiduciæ huius ſponſorem ipſum humani generis vindicem Ieſum, qui id ſibi author fuiſſet, ac nuperrimè vigili, videntique manifeſtè viſum id imperaſſe. An huiuſmodi literas miſerit, equidem haud pro certo affirmare auſim, miſiſſe quidem, non leuibus coniecturis facilè adducor
vt

vt credam. illud profectò conſtat ſecundum eas; hoc ipſo anno Bernardinum ab Ioanne Figueroa nobiliſſimo equite, qui per id tempus pro Albano Mediolani curabat, Alexandriæ patronum Fiſci renũciatum; idque ſe cùm viri innocentiæ tùm doctrinæ, ſpectatæque in Regem fidei dare teſtatus eſt. quæ cura biennio Realinum diſtinuit; in qua tam integrè officium ſuum facere eſt viſus, atque ita Regis tueri iura, vt neque per inertiã perire ex ijs quicquam pateretur, neque rurſus per nimiam exigẽdi iuris ſeueritatem commodis priuatorum officeret. Ipſe verò à lucri cupiditate ſemper alienus, & intactus ab auaritiæ ſordibus ſingularem in eo munere obeundo cùm integritatis, & vigilantiæ, tùm prudentię, & æquitatis laudem adeptus eſt.

Bernardinum Claræ obitu afflictum viſa Cœleſtiâ erigunt. Caput VI.

BIennio Regij magiſtratus exacto nouam præfecturam inijt, à Gonſaluo Ferdinando Corduba, qui Albano ſucceſſerat, Caſſinarum prætor dictus, anno proximi ſeculi ſexageſimo ineunte. Agebat porrò hic Bernardinus haud ſatis præſenti rerum ſuarum ſtatu contentus: & erant quæ animum coquerent multa. ac primò grauis annonæ caritas hoc anno plebem maximè fatigabat; quod virum alienis commodis vnicè factum acerbiſſimo ſenſu doloris angebat. Ad hæc imminuta, vt rebatur, honoris dignitas mærorem auxerat; qui enim modò in nobiliſſima vrbe Fiſci patronum egerat, nunc in oppido ſatis quidem celebri, cęterùm cum Alexandria nullis partibus componendo, ruſticus Prætor ius dicere cogebatur. igitur ſe dolori dedere, totos mærere dies, noctesq; nec ſomnum capere vt hominem

nem tàm hilari ceteroquin ingenio, vrbanoq; tàm repente mutatum ſuſpiceres. & fortaſſe (vt ſunt amantium ſępè diuinæ mentes) tacita quædam, nec dum ipſi cognita, ſed altior mæroris cauſa ſuberat: nam dum Caſſinis ageret, Bononiæ Clara, cuius ſupra meminimus, feliciſſimè mortem oppetijt; cui graui anteà morbo diù conflictatæ, ſub vitæ exitum ſalutare Crucis lignum apparuit, mox ipſas patere ſibi Cœli ianuas vidit, quibus veluti certis æternæ ſalutis argumentis confirmata placidiſſimè obijt. Hoc adeò vbi ex Amicorum literis reſcijt Bernardinus, incredibile dictu eſt, quantum noua calamitas iam vltro mærore contabeſcentem afflixerit. Igitur lacrymas intemperanter profundere, rerum humanarum inconſtantiam queri, neque iacentem animum erigere ipſe, neque vllam leniendo dolori rationem adhibere. Verum nequa dedecoris nota Claræ nomini adhæreſceret, neu quis deſiderium tàm impotens malignè interpretatus, ſupra vulgarem neceſſitudinem deterius aliquid ſuſpicaretur, ſeceſſit in ſuburbanum, vt cariſſimæ virginis manibus luctu liberiore ſemotis arbitris parentaret. atque hìc mærentem Franciſcus Realinus Pater filij vicem ſolicitus Carpis accurrens adijt, molliſſimeq; affatus aliquam recenti vulneri medicinā facere conatus eſt: neque obſequens filius Parentis officium reſpuit; viſuſq; eſt aliquid de triſtitia remittere: cœterùm patris conſolatio breui finita eſt; nam vbi ille Carpos repetijt, Bernardinus inſtaurare luctum, & reuocare lacrymas cæpit tàm impotenter, vt in morbum inciderit; adeoq; fouere triſtitiam, & rationis imperium detrectare, vt mentis impotem penè ad exitum vitę malus dæmon adegerit; cogitauit enim an intempeſtiuè ſibi mortem conſciſceret: ſed tempori adfuit amica tutela Numinis, & à nefario ſcelere Cœli patrocinio eſt prohibitus: etenim noctu per ſomnium Claræ ſpecies obie-

obiecta, noua luminis acceſſione auguſtior apparuit, quæ veterem amicum humaniſſimè affata, turpe necis conſilium accuſans, ad ſaniorem mentem redegit: quo ille oſtento ſic eſt animo recreatus, vt abſterſo luctu, corporis etiam morbum excuſſerit, curaſq; ad intermiſſum Præturæ munus reuocauerit. Cœterùm vt dolorem leniret, Italicis, & Latinis numeris extinctæ laudes complexus eſt. Neque verò ſemel, aut iterum, ſed ſæpius Clara eadem per quietem obiecta, ſalutaribus monitis hominem ad ſanctiorem vitæ rationem ineundam inſtruxit: & quidem vertentis ſeculi anno ſexageſimo ante 15. Kal. Maij cum Bernardinus plorando feſſus victa lumina ſomno compoſuiſſet, adfuit iterum Clara cum eodem lumine, atque ita mærentem eſt alloquuta: Haud lateat tibi, inquit, Bernardine, te quoque ad Cœli gaudia, quibus ipſa in præſenti fruor, à ſummo Numine inuitari, quin te igitur expedis, & inanes haſce curas reponis? Age, & ſi me amas, ad hoc te para, vt inter Cœli ciues adſcitus, vterque caſtiſſimè amemus inter nos aliquando. eadem mox VI. Idus Maias, eadem Kalendis Nouembribus lætiſſima in ſomnis apparuit, ſic vt Bernardinum ſumma voluptate ſemper afficeret, demum ſępè aliàs per quietem viſa, increpare ſemper amici lacrymas, & ad ſpem Celeſtium rerum erigere conata eſt. Quibus viſis Bernardinus hoc eſt aſſecutus, vt, & luctū leuaret, & mortalia omnia deſpiceret, nihilque optatiùs haberet in votis, quàm mortem, per quam ſe ad Claræ conſpectum venturum ſperabat. Verùm longè aliam Dei mentem fuiſſe arbitror, qui talibus oſtentis Bernardinum ab amore ſæculi abſtractum, paulatim ad ſeuerioris vitæ rationem ineundam, atque ad religioſa caſtra traducere moliebatur. Quod proxima viſione multò liquidiùs apparebit.

Viſa Bernardino Deipara ad Religionem inuitat. Caput VII.

IAm ſui potens animum Bernardinus à mærore collegerat, ac cęleſtibus viſis per quietem imbutus, mortalia, & fluxa pro nihilo habere ſenſim didicerat: ſed nondum ad religioſæ familiæ cuiuſpiam leges amplectendas ſedulò applicauerat animum, cum oſtentis clarioribus Deo volente, & manifeſta Deiparæ Cœli Reginæ viſione, ac vocibus ad ſanctioris vitæ inſtitutum allici eſt cæptus. Ea verò res ita ſe habuit; anno ſæculi elapſi milleſimo quingenteſimo ſexageſimo primo, V. non. Iulias, matutinis horis cum ſe à ſacro, cui piè interfuerat, in cubiculum recepiſſet, ſecumq; & cum Deo ſolus ageret, diuina erga ſe beneficia tacitus recolebat, nec aberat interim aliquis amiſſæ virginis dolor: cum ecce tibi recolenti talia ſuauiſſimæ neſcio cuius vocis ſonus in hæc verba ad aures appellit: Amice veni mecum, conuerſuſq; vt vocantem aſpiceret, vacare quidem arbitris locum, cœterùm virginem longè pulcherrimam in nube candida deliteſcentem appellere ad ſe paulatim videt, quæ dexteram porrigens, illum venire iubebat ad ſeſe, & vt Bernardinus ipſe ſcripto memoriæ prodidit, ad felicioris vitæ ſtatum amantiſſimè inuitabat. quod illi oſtentum admirationem quidem non mediocrem attulit, ſed longè maiorem, cum eadem propiùs adſtans, & Bernardini dexteram ſtringens, ſedentem attollere viſa eſt. hac viſione mirificè lætus, quanquam tunc quidem animum ad nobiliora facinora adiecit, non tamen ſanctiſſimæ Cœlitum Reginæ præſentiam, ſed potius ex recenti deſiderio Claram ſibi tunc adfuiſſe credidit; ſed falſum ſe animi dixit in Societate, & Mariæ Virginis beneficium tandem ſerus agnouit. cœterùm, tametſi ne

his

his quidẽ adeò luculentis ſignificationibus ad Religionem animum appulit (quod illi poſtmodum in Societate mirum quantum doluit) tamen ad labores omnes Chriſti cauſa fortiter ſubeundos,& Chriſtianę ſapientię placita amplectenda, ſeriò mentem firmauit; vt omnes cruciatus pro nihilo duceret, quod ex ipſius literis per
„ id tẽpus ad Patrem datis cognoſcere eſt: Accepi,inquit,
„ literas tuas,ex quibus non ſolum febri,ſed oculis etiam
„ laborare te intellexi: hoc adeò mihi dolorem nõ leuem
„ creauit:cœterũm illud tibi perſuaſum habeas velim,Pa-
„ ter, quos Deus ſibi vnicè caros habet, eos continentet
„ nouis doloribus exercere: equidem rebus aduerſis ferẽ-
„ dis patientia pectus firmaui;& contra fortunæ ictus ve-
„ luti clypeum ſpem certam in Deum oppoſui, atque ad-
„ uerſus ſtygij veteratoris inſidias, fidem: quare te etiam,
„ atque etiam Pater hortor, vt mala, quibus affligeris,
„ æquo animo de manu Domini accipias,eiuſq; te volun-
„ tati conformem ex toto habeas; noſtris enim ſemper il-
„ le commodis ſtudet,quamuis tam certas vtilitates no-
„ ſtra hæc appetens deliciarum caro non videat.equidem
„ infirmitas,Dei munus ſingulare eſt, ac proinde illam ſi
„ minus corpori, animo certè maximè opportunam exi-
„ ſtimare debemus. ſic mihi te citò valentem Deus reſti-
„ tuat, quod breui futurum ſpero. ego niſi in vno Deo
„ nuſquam terrarum ſolatium inuenio, nec malis vllam
„ medicinam, niſi à Deo fieri exopto, qui nihil æquè,ac
„ noſtram ſalutem procurat. Igitur ad eum ſupplex adi
„ Pater,neminem enim benignitas illa cum ſupercilio au-
„ dit,qui in eius fide omne ſibi præſidium poſitum certiſ-
„ ſimè perſuaſerit.

Caſtri Leonis Præturam init. *Caput VIII.*

HIs ergo cęleſtium monitis, quanquam apprimè ad pietatem inſtructus, nondum tamen Religioſæ vitæ propoſitum certum ſuſceperat; illud probè aſſequutus, vt ad ſeueriores Chriſtianæ ſapientiæ leges ita facta, ac dicta omnia exigeret vt, qui à Religioſorum hominum ſeptis profeſſione abeſſet, inita viuendi ratione monaſtæ cuilibet ex aſceterijs in paleſtra virtutis videri par meritò poſſet. Interim integritas viri ſecundis famæ rumoribus vecta ad Ferdinandum Daualum Piſcariæ, & Vaſti Toparcham peruenerat; qui apud Inſubres complura ditionis ſuæ oppida numerabat; in his verò vnum, cui Caſtro Leonis nomen inter Cremonam, & Cremam. factus itaque de Realini virtutibus certior, huius oppidi præfectum dixit, imperatoque ampliori ſtipendio, & honorificis de viri innocentia literis ad commune datis, Bernardinum oppidanis vnicè commēdauit. nec Bernardinus vbi præturam inijt, conceptam integritatis, & ſapientiæ opinionem falſam habuit, quod cùm in ceteris magiſtratibus, tùm in hoc longè cumulatiùs pręſtitit, publicorum enim ſcelerum vindex acerrimus, alea, cædibus, ac furtis ſeuerè in primis animaduertendis, ſubiectos continere in officio, neque pati reorum cauſas apud ſe conſeneſcere, quòd diceret, eas non ſine aut innocentiæ delatorum, aut iuſtitiæ publicæ iniuria comperendinari: quos autem lege damnaſſet, ſi quid in eos miſericordiæ poſſet impēdere, libenter præſtare, ac per literas rogare Daualum, mitiùs vt ageret, rationemque, qua id fieri commodè poſſet, oſtendere. ad hæc diſſidentes popularium voluntates reconciliare, & in gratiam reducere: qua in re tantum valuit, vt veteres mul-

multorum inimicitias, qui in partes diſtracti odijs inteſtinis, mutuiſque cædibus debacchati plurimos annos in oppido fuerant Daualus Bernardinum authorem, & pacificatorem ſequutus, nullo negotio compoſuerit. iam in imperio facilis, & commodus, in conſilio ſagax, & prudens, in conuictu decori memor, & honeſtatis, idem conſeruandæ quietis publicæ vnicè ſtudioſus, idē adiri facilis, idem æqui, rectique ſeruantiſſimus; iam orbos, & viduas, indigamque opis alienæ gentem patrocinio ſuo tegere, neque munerum, neque pecuniæ appetens, aurumque coloratam argillam dictitans, procul habere illius cupiditatem. famæ ſcilicet, ac nominis integri, quàm diu tiarum, & lautæ ſupellectilis amantior, vt facile eſſet præſtare ceteros, qui ſe tam ſanctè, religioſèq; præſtabat. nihil in eius domo non ad frugalitatem, honeſtatemque compoſitum; familiares integri, caſtum ſatellitium, & pium; in pauperes verò, quantum rei familiaris anguſtiæ paterentur, benignior. denique ſæculi oſor ſpes omnes in Deo poſitas, ac fixas habere, cuius interim mirum quantum amore intabeſcebat, quod deſiderium per id tempus ſic expreſſit.

O me felicem tali ſi torrear igni!
Vre ò vre animum flamma beata meum.

Hanc verò conceptam cælitus diuinæ charitatis flammam piæ commentationes alebant. Recolebat enim identidem ſuperioris vitæ crimina, eorumque maximè pertæſus, ne in huiuſmodi commiſſa dilaberetur, infirmitatis humanæ memor extimeſcebat: augebatque timorem illa cogitatio, cùm ſe ab omni præſidio nudum, communeſque mortalitatis hoſtes vſque eò validos cerneret, vt ſe illis imparem infinitis partibus noſceret. contrà faciebat animos certa fiducia in Deum, cuius præſidio victorem ſe hoſtium fore ſperabat. interdum Chriſti cruciatus, & immanes pendentis è cruce Numi-

nis

nis dolores verſabat animo; quorum recordatione in lacrymas effuſus, ſe potiſſimùm atrociſſimi ſceleris inſimulabat, qui tantum nefas, ac tam immane concepiſſet, vt in eius expiationem victimam ſe Dei filius offerre Patri, ac tantum pœnarum in caput ſuum ſuſcipere voluerit. Crucem verò ipſam munitiſſimam nauim dicebat eſſe, quà per rerum humanarum pelagus nequicquam ſæuiente fluctu, & aduerſis tentationum flatibus vectores ad ſempiternæ trãquillitatis portum tuti traijcerentur. Lignum etiam ſalutare vocabat alteri illi oppoſitum, vnde primi ſatores hominum, pomi exitialis guſtu, commune mortalitatis venenum infeliciter hauſerant. inter hæc ita pungebat ſubinde animum Claræ recordatio, vt lacrymis temperare non poſſet, ſed ſtatim dolorem ſuum incuſabat, nefas ſibi ducẽs lacrymas tam inutiliter perdere: quid enim fleret, quam non amiſſam, ſed cœlo receptam inter beatarum mentium cætus viuiſſet? interdum diuinæ dexteræ patrocinium implorabat, ne inter mortalium rerum vices, variante æſtu, abſorberetur; atque hos ille pios animi ſenſus Italicis numeris elegantiſſimè includebat. & verò per hæc ipſa tempora quà Latinis modulis, quà Hetruſcis multa edidit, quorum extat hodieque apud ſuos numerus ingens. argumenta verò pia ſeligebat, ac primò ſacras vtriuſque inſtrumenti literas illuſtrauit notis: mox de inanitate rerum humanarum commentariolum piè iuxtà, atque eleganter elucubrauit: ad hæc decadem diuinorum in hominem beneficiorum, quam mox, inita ſocietate, fratri legendam miſit; cuius item ſuaſu id temporis de ducenda vxore prudentiæ, ac pietatis plenam opellam commentus eſt. hæc Bernardinus Caſtro Leonis Præfectus agitabat, non minus foris iuſtitiæ vindex, quàm domi modeſtiæ tenax, quibus artibus magnum ſibi apud populares, magnum apud Daualum nomen parauit;

qui

qui illum extraordinariæ etiam poteſtatis priuilegio auxit. Cœterùm cum obtrectatores ſuos plerumque habeat innocentia, non defuit, qui Prætoris integerrimi vulgò famam attereret. ſed enim infamis veterator impenſæ turpiter operæ pretium nullum fecit; niſi ſi exercitam viri patientiam, & caritatem excipias, qui obtrectatoris ſui à popularibus, apud Daualum infamiæ poſtulati eleuare crimen, & factum excuſare non deſtitit: quam viri modeſtiam, atque in diſceptādis cauſis æquitatem, iterum, exacto biennio, Caſtri Leonis Indigenæ publicè teſtati ſunt; neque geſti magiſtratus, vt fit, ab eo rationem repoſcere, neque cenſorem pati hominem voluerunt; at Bernardinus moris ſui tenax prouinciâ perfunctus, iteratis precibus extorſit à Daualo, vt cenſorem rerum ſuarum mitteret; quò de iniuria expoſtulantibus, ſiqui tamen extarent, rationem redderet, ac ſi quà læſi eſſent ſatisfactionem æquam acciperent; quod non tàm neceſſitate, quàm viri precibus, & ſeruandi moris Daualus præſtitit. verum is, cui cenſuræ munus eſt demandatum, Realini integritate probè perſpectâ, Iſabellam Gonzagam Dauali coniugem, quæ interim profecto in Hiſpaniam viro, ditioni præerat, per literas monuit quanti apud omnes Bernardinus eſſet ob egregiam viri prudentiam, & æquitatem. quibus nobilis fœmina vehementer gauiſa Bernardinum continuare magiſtratum, nouiſque literis in aliud biennium ingenti cum popularium gratulatione Prætorem eſſe iterum iuſſit.

Ber-

Bernardini geſta Neapoli.
Caput IX.

REdierat interim ex Hiſpania maturè Dauàlus, ſed domeſticis negotijs rurſũ aliò auocantibus, Neapolim cogitabat; cùmque vellet eò ſecum Realinum deducere, morbo, quo ille per id tempus tenebatur, eſt prohibitus. Igitur ſequi iuſſo vbi conualuiſſet, ſolus diſceſſit; neque ita multò poſt Bernardinus, cùm ſe meliuſculè haberet, vt Principi viro morem gereret, cõparat ſe ad iter: Mediolanum venit: inde Neapolim, vbi Daualus, rebus affectis, vt calidiorem anni tempeſtatem, & cęli mutationem præuerteret, domuitionem parabat: ſed tempori adfuit Bernardinus, vt cum illo Daualus de ditione ſua rectè adminiſtranda commodùm ageret: nam cùm viri prudentiæ longè plurimum tribueret, Marchio, voluit ab homine experiente rationem edoceri, quam ipſe commodiſſimam duceret, vnde reliqui ditionis ſuæ prætores inſtruerentur; quam Bernardinus ſapientiſſimè ſcriptam Daualo ſtatim tradidit: atque hic ſub diſceſſum, vt hominem quanti faceret, oſtenderet, vniuerſæ ditionis ſuæ, cui Neapoli imperitabat, inſpectorem Realinum dixit. Paruit non grauatè Bernardinus, atque vt tanti muneris prouinciam ea, qua par erat, diligẽtia adminiſtraret, cepit illicò eorum, qui præerant, rationes diligenter inſpicere, vt ſi qui deflecterent, reuocaret in viam. agebat interim ipſe Neapoli apud cognominem ſuum Bernardinum Mocciam equitem Neapolitanum, ac Dauali germanis fratribus familiariſſimè vtebatur, qui viri modeſtiam, & ſuauiſſimos mores vnicè ſuſpiciebant. Hæc agenti, forte, dum vrbe vagatur aliquando, duo homines è Societate Ieſu obuiam in publico fiunt: eminebat in ore incedentium ſingu-

ſingularis quidam modeſtiæ cultus, & pudoris Angelici nitor. Igitur in hos cùm oculos coniecifſet Bernardinus, illicò amabili ea virtutis ſpecie captus, nec dum gentis noſtræ ſatis gnarus, rogauit ecquæ illa gens, aut vnde ij eſſent, quorum vſque eò virtus vel in vultu emineret, ac ſtatim è Societate Ieſu homines eſſe cognouit, qui cùm cęteras in animo virtutes, tùm modeſtiam ſingulariter in oculis ferrent. quo audito ſtatim, & genus, & mores probauit; & cupido inceſſit in eórum album adſcribi, tantumque extima illa oris ſpecies Bernardino inolitę virtutis ſpecimen dedit, vt ſocios omnes iam inde Angelos nuncuparet, & crederet, quem ſemper in literis poſtmodum morem ſeruauit, atque hoc illi Societatis ineundæ initium fuit: etenim gentis noſtrę admiratione captus, cùm ad Collegij ædem adiret, aliquando fortè ita euenit, vt commodùm concionator verba facturus ſuggeſtum aſcenderet. Erat is Ioannes Baptiſta Carminata domo Panormitanus, Eccleſiaſtes oppidò egregius, qui præclaram, ſi vnquam aliàs eo die orationem habuit, mirabileſq; cęleſtium rerum amores excitauit, in Bernardino præſertim, qui ſtatim apud illũ de peccatis cõfiteri cõſtituit. Igitur exeũte hebdomada in Collegium reuerſus, per æditimum, Patrem rogat, vt ſibi tantiſper vacet, & confitenti aures accommodet. Negauit primò Carminata commodùm id fieri in præſentia poſſe, quòd proximo manc verba facturus memoriæ conſultum iret, ſed neſcio qua religione tactus mutauit illicò mentem, accirique ad ſe hominem iubet: adeſt itaque Bernardinus, ingreſſuſque cubiculum, ſtatim abijcit ſe ad pedes; cùm repente alia Sacerdoti inie-cta diuinitùs, vt creditur, mens eſt; dicere enim exorſum interpellat, rogitans, ecquid, vt id maiori cum fruge perageret, paratus eſſet aliquot ſe pijs ante commentationibus excoli? annuenti, confeſtim dilata in aliud tem-

D pus

pus homologeſi,cępit Pater è ſanctiſſimi Parentis Ignatij ſpiritualium,vt vocant, exercitiorum libello ipſum rerum contemplandarum initium , ac fundamentum exponere: ac Bernardinus ad rem alacri animo aggreſſus,reliquis curis valere tantiſper iuſſis,ſecretus à publico per octiduum à Carminata eſt exercitus ; tandem iam inde ab vltima pueritia reuocare memoriæ crimina exorſus,totius ante actæ uitæ commiſſa manantibus ubertim lacrymis apud eundem ſacra confeſſione depoſuit,vnde ad pietatis opera habitiorem ſe in dies ſenſit,& ſacrorum voluminum lectioni vacans,quæ legendo hauſerat, reputare ſecum aſſiduè,ſacra myſteria frequentius obire,eodemque vitæ magiſtro,vnde melioris vitæ ſpiritum duxerat, cæpit vti.

Chriſti, ac Deiparæ monitis Societatem Bernardinus ingreditur. Cap. X.

HÆc agitanti amantiſſimus hominum vindex Ieſus adfuit,nouiſque identidem ſtimulis vrgere, nouaſque veluti admouere lateri faces non deſtitit, quare die quodam, vt ipſe datis ad patrem literis prodidit, ſic eum Chriſtus Dominus eſt alloquutus:
„ Hoc tibi Bernardine perſuaſum habeas , non poſſe te
„ ſæculi amorem cùm Dei famulatu coniungere,proinde;
„ niſi mortalia oderis, amore meo nunquam dignaberis;
„ contra,ſi me rebus inanibus ante habitum voles, expe-
„ di animum, & tricas exi. At Bernardinus,qui ſæculum nondum totus exuerat,velle quidem ſe eius veſtigijs inſiſtere; coeterùm poſſe & in hoc vitæ ſtatu , quem nec ipſe damnauerit,famulari Deo reſpõdit: ſed longè aliam illi vitæ rationem ineundam , & ſeuerioribus inſtitutis imbuendum , ſi ſummum gradum virtutis,& perfectæ,

abſolutæque ſapientiæ numeros tenere vellet, Chriſtus edixit; quibus ille mirificè captus, cæperat Religioni animum adijcere. ſed dum hæc animo verſat, interuertit ſalutare conſilium amor in patrem; & obiecta animo falſa quædam pietatis ſpecies retardauit: nefas quippe ducebat ſibi, ſenem, & affecta iam ætate parentem, vnde non modò vitæ ſpiritum hauſerit, ſed opes, ac dignitatem, mærentem intempeſtiuè negligere: non hos illum ſcilicet tot laborum, ac vigiliarum ſuarum fructus ab amantiſſimo filio expectare; neque hunc haberi honorem parentibus ipſum velle Deum, vt tunc illi per ſummam iniuriam deſerantur, cùm laboribus, & ærumnis feſſi, à liberis meritam vicem repoſcunt. quid enim? defectum ne viribus, & ſenecta grauem etiam filius, vnde præſidium iure opperiretur, impiè iuxtà, & intempeſtiuè desereret? quin ipſe contra expectaret pauculos dies, donec ille ſuperſtite filio ſecurus animam, & quietus efflaret? nullius eſſe id virtutis officium, quod in parentes obſeruantiam adeò pro nihilo haberet. an non idem occidenti facere, qui religionis obtentu patrem importunè ad mortem mærore adigat? ergo his curis diu conflictatus hærere incertus animi: ſed ceſſantem iterum diuina gratia, & cęleſte ſubſidium iuuit: etenim Septembri menſe, anno proximi ſæculi ſexageſimo quarto, cùm ſe in receſſum ad ſalutandam precario ſerto Deiparam contuliſſet, ac piè in preces effuſus calculos de more percurreret, ecce tibi inter precandum Cœli Regina ſe Bernardino clara in luce viſendam exhibuit vnà cum cœleſti pignore: quo cœli munere ita eſt recreatus, vt omnis è veſtigio, & caligo mentis, & ſæculi amor abſcederet; edixitque inter abeundum cœleſtis officij magiſtra, vt Societati ſanctiſſimi filij ſui Ieſu nomen quàm citiſſimè daret. Cæpit itaque Bernardinus cœleſtibus monitis ſeriò animum ad Societatem adijcere; confe-

ſtimq; ſe ad Carminatam, qui ſibi tunc à confeſſionibus erat, conferens, propoſitum bonæ mentis aperuit; habitam tamen hanc à Deipara Virgine inſignem viſionem ſilentio preſſit: ille rei neſcius, forte vt conſtantiæ periculum faceret, cæpit homini alia omnia ſuadere, quid enim viro tam magno natu religione opus? poſſe etiam in eo vitæ ſtatu Deo famulari: verùm vbi ſatis tenacem propoſiti reperit, ad Alphonſum Salmeronem inſignem ea tempeſtate, & virtutis, & literarum opinione virum deducit; qui toti Prouinciæ moderabatur: & Salmeron, qua erat ingenij ſagacitate, cùm virum ſtatim probaſſet, ad Lainium Generalem ſcripſit, vellet ne, iuberetque tam adultæ virtutis, & ætatis virum Romæ an Neapoli in Societatem adſcribi; ſimul Realinum tempeſtiuè monet vti ſe, ſuaque omnia expediat, quòd breui in Sociorum numerum eſſet adſcribendus. Quo ille nuncio lætus ſuarum partium duxit à Daualo bonam veniam impetrare, quod ſtatim præſtitit datis ad Principem virum piè officioſis literis. Interim Lainius Prouinciali reſcripſerat, & Bernardinum tyrocinium Neapoli iubebat ponere, vt Romam mox ad abſoluenda literarum ſtudia tranſmitteretur: quo cognito Bernardinus ſtatim ſe ad ingreſſum comparat. Duæ illi res pietatis impetum morabantur, quarum vtrique ante initam Societatem conſultum omninò vellet, altera, quòd delere, ſi poſſet, ex hominum memoria, & abſtinere à publico optaret lucubrationes in Catullianas nuptias, quas ediderat: altera, quòd Euangelici memor præcepti, ſi quid illi è domeſtica ſupellectili ſupereſſet, id omne in pauperes piè conferre vellet. Primum illud curauit quidem ſedulò, ſed ita, vt, quamuis vndique omnia è typographis, ac bibliopolis exempla corraderet, nec labori, nec ſumptui parcens, quæ mox omnia in ignem coniecit, tamen longè plura ſuperfuerint, diſperſi enim vbique terrarum literarij

terarij doctiſſimi viri labores, eius diligentiam fruſtra habuere; quare hodie quoq; & ſunt ad manus, & à viris doctis magni æſtimantur. Cæterùm Bernardinus hæc ſcriptionum ſuarum veluti analecta ita doluit poſtmodum in Societate, vt & cęcum ſe, qui in nugis huiuſmodi tempus contriuerit, diceret, nec ſine lacrymis auditus ſit aliquando ſe, vel ſanguine ſuo, ſi poteſtas fieret, redempturum ſcripturam fuiſſe, ne poſtmodum purgatorio igni, niſi ſi etiam inferno, huius amentiæ pęnas luere teneretur. Ad hæc cum aliqua æris alieni nomina feciſſet, chyrographo ſuo ſingulis creditoribus debitum teſtatus eſt, vnde illi ſibi iure poſſent conſulere, atque à Franciſco parente debitum repoſcere; quod non grauatè præſtitum iri ab homine filij amantiſſimo pro certo ſibi perſuaſerat. Per idem tempus ad patrem, vt ſuſcepti nuper à ſe conſilij certiorem faceret, literas dedit; quas, cùm apud Carminatam recitaret, obortis inter legendũ lacrymis, flere vbertim cæpit; cuius ille modeſtè veniam petijt, cauſatus ſe naturæ officium prohibere non poſſe.

„ Ad fratrem etiam humaniſſimè ſcribens, ſalutaria moni-
„ ta addidit in hæc verba: nec grauaberis frater ab homi-
„ ne tui amantiſſimo paucis moneri. Primum itaque illud
„ hortor, ut Dei tui frequenter memineris, neque enim
„ humana mens rebus ullis poterit unquam acquieſcere,
„ niſi hæreat in Deo, ut propterea iactatus quondam re-
„ rum humanarum fluctibus, hãc ſibi Regius vates quie-
„ tem optauerit cùm diceret: Conuertere anima mea in
„ requiẽ tuã, cùm Dominus benefecerit tibi. Alterum il-
„ lud eſt, quod te etiam, atque etiam rogatum uelim, ut,
„ quoniam ita res tulit, ut ego à cariſſimo parente diuel-
„ lerer, tu ſaltem uicem utriuſq; noſtrum unus impleas,
„ neque ullis in eum officijs deſis; ſenectæ illius ætati præ-
„ ſidium adhibe; hoc enim à te uel pietas exigit, uel eius
„ in nos amor, ac diligentia iure ſuo repetit. Tertium

deni-

„ denique, vt ſi te in poſterum ab omni peccati labe ſer-
„ uare velis immunem,& carnis illecebras pro nihilo ha-
„ bere, nouiſſima illa quatuor homini, ſeù commoda,ſeù
„ mala imminentia,tecum animo verſes aſſiduè, nempè
„ magnum, & ſupremum diem, magnamque diuini iudi-
„ cij acerbitatem, infernos ignes, ac rurſus nullo aeuo fi-
„ nienda beatarum mentium gaudia; quare nullus tibi
„ dies omnino talium rerum immemori excidat, quin
„ ſaltem horæ quadrantem his attentè penſandis impen-
„ das: quod præſtare facilè poteris,etiam inter agendum,
„ ſtandum, deambulandum, illud identidem reputans,
„ neque poſſe diu bona iſthæc fluxa conſiſtere,& vitę etiā
„ huius ærumnas aliquando finiri, ſic tamen, vt rerum
„ omnium à nobis acerrimus ſcelerum vindex Chriſtus
„ rationem repoſcens,impios ſupplicijs ſempiternis addi-
„ cat; idem contrà hominibus pijs, qui ſuas leges,ac iura
„ ritè ſeruauerint, felicitatis nunquam interituræ præ-
„ mium elargiatur. Hæc dies,noctéſque animo tuo frater
„ obuerſari perquam maximè cuperem; ſimulque illud
„ intelligas velim, tempus hoc ad vitæ vſuram datum;
„ momentum illud eſſe vnde tota pendet ęternitas;quod,
„ qui caſtè, integreque traduxerit, æuo ſempiterno frue-
„ tur; qui ſecus,ſupplicijs inferorum æternis mactabitur.
Rebus itaque in hunc modum compoſitis parabat in-
greſſum;ſed remoratus tantiſper currentem eſt Cęſaris,
& Ioannis Dauali Piſcariæ Marchionis fratrum Nea-
poli diſceſſus, & Cæſar quidem reducere Bernardinum
in Galliam Mediolanum cogitabat ſuſcepti ab eo con-
ſilij planè neſcius, vt tanti viri prudentia Marchio pro-
piùs vteretur; ſed alienum ſe ab eo itinere Realinus
oſtendit, quod ille grauiter ferens, non leue negotium
Bernardino, vt ipſum tranquillaret, faceſſit. Verum vt
aliquem nobili viro morem gereret,diem vnum, ingreſ-
ſum diſtulit. Igitur a.d.III.Id.Oct. anno poſt Chriſtum
natum

natum M.D.L.XIV. trigeſimum quartum ętatis annum agens,in Societatem ingreſſus eſt,cuius ſanè diei,tanquã natalis ſui memoriam poſtmodum quotannis non ſine ingenti in Deum grati animi ſignificatione tranſegit.

Bernardini Tyrocinium.
Caput XI.

SOcietate iam inita,Collegij Rector, vbi tyrones exercebantur,Ioanni Nicolao Pedilongo Bernardinum piè erudiendum, & ad Societatis leges formandum tradidit. Erat verò Ioannes Nicolaus & literis, & vitæ ſanctimonia longè ſpectatiſſimus; qui cùm iuris prudẽtiæ operam nauaſſet in ſæculo, tanta doctrinæ laude florebat, vt inter principes patronos ea tempeſtate ſit habitus. Iamque eum vitæ curſum erat ingreſſus, vnde expeditiſſimum ſibi ad honores, ac magiſtratus apertum iter videret: ſed diuino conſilio factum, vt res illi longè aliter cederet: etenim cùm vidiſſet aliquando damnatum capitis à Iudicibus hominem,quem ipſe innocentem certò ſciret, Iudicum ſubſellijs, & ſeculo valere iuſſis, ſe intra Religionis ſepta recepit; ac ſtudia literarum,vt Deo,& ſibi vacaret impenſiùs,ex toto dimiſit: confeſſionibus audiendis ſedulam operam nauans, vnde illi poſtea vulgò confeſſarij nomen eſt inditum. Elucebat autem in oculis modeſtia tam ſingularis,vt,ne adhibita quidem à multis diligentia, attollere vnquam illos viſus ſit. Igitur cùm tanta virtutis laude floreret, tyronum illi ad Societatis normam imbuendorum prouincia eſt demandata, quam ille fideliter,ac ſtrenuè toto vitæ curriculo tenuit; clauſitque ſupremum diem apertiſſima mortis ſuæ vaticinatione edita: quidam enim ſociorum Romam iturus,cùm Ioãnem Nicolaum,

vt eſt domeſtici moris,amplecteretur, Age abi hinc Pater,inquit Pedilongus,nam mox ſimul in Cœlum commigrabimus:abijt ille, cœterùm inter eundum equi calce lethaliter ictus,eodem planè tempore,& hic Romæ,& Ioannes Nicolaus Neapoli obijt. In huius igitur tam expertæ virtutis viri diſciplinam traditus Bernardinus, dici vix poteſt quantos quotidie in ſolida virtute proceſſus fecerit,ac primùm humiliter de ſe,ac demiſsè ſentire,labori ſe factum,& ſeruitio dicere,non literis,proinde non inter ſcholaſticos cenſendum, ſed inter eos, qui domeſticis muneribus deſtinati, adiutores temporarij dicuntur, ac religioſam, & piam ſeruitutem Deo ſeruiunt: rogatuſque ecquid hanc ſibi viuendi rationem præoptaret, ſe verò nulli alij idoneum rei reſpondit, ad hoc, illud vitæ genus magis ſibi cordi eſſe, in quo plus otij ſuppeteret ad precum orbiculos Virgini percurrendos. neque continuò non ſe maiorum arbitrio fingendum ſtatim dedit, quin ſe & expeditum, & alacrem ad omnia,quæ vellent, oſtendit. Igitur pijs commentationibus in receſſu,vt moris eſt, ſeſquimēſem exercitus, hinc coquinarijs miniſterijs, vt coquo præſto eſſet, adijcitur,qui tyronem intuitus,illicò nigram è textili craſſo lacernam nouo commilitoni induens, hæc, inquit, tibi veſtis nuptialis eſto, quicum in Agni nuptias ingrediaris; ea re tam vehementer gauiſus eſt Bernardinus, vt: poſitis genibus, non ſine magnis lætitiæ ſignificationibus vile indumentum amplexus, & oſculatus ſit, quòd diceret nihil uſpiam locorum pretioſius inuentum unquam à ſe. Iam inter coquinæ ſordes ita uerſari ſedulus,ut dici uix poſſit.Primus ſcopis humum conuerrere, ollas,ahænum,ac reliqua id genus uaſa abluere,haurire aquam, ligna conuehere, nec ſocium pati, nam ſe & robuſtiorem ferebat cœteris, & animi affectionibus malè domitis magis obnoxium, ac proinde uni ſibi præ cęte-

ris

ris huiuſmodi exercitationibus indulgendum. Ad hæc nullius ſe frugis credere, nulliſque vſibus idoneum, ac vereri, nequandò à maioribus, quòd ineptum ex toto hominē nacti eſſent, cum ſtomacho è Societate dimitteretur. Petijt à magiſtro aliquando, vt ſibi de Chriſti vulneribus pium aliquem libellum daret: at ille Chriſti pendentis è cruce ſimulacrum tribuens, addidit, nuſquā de ijs melius agi; vnde factum creditur, vt ſemper poſtmodùm in domeſtico ſacrario Crucifixi Domini effigiē religiosè coluerit; ſi quid edoceretur, ſubmiſsè, & ſtudiosè excipere, neque unquam in omnem vitam obliuiſci, aut negligere, illud in hanc rem vſurpans, quæ à tyronibus ediſcuntur, ea nunquam eſſe ex animo obliteranda; ſolere enim Deum ea vſurpantibus, liquidiſſimæ voluptatis ſenſum elargiri. Conſilia ad Deum ſua referre omnia, ipſumque ſibi inter agendum finem præſtituere, illum ſiuè in aditu, ſiuè in actu, ſiuè in exitu operis vnum ſpectare, opemque diuinam præcipuè cùm ad opus aggrederetur implorare: idem vbi rei manum ſupremam impoſuiſſet, ad æqui, rectique normam exigere: & ſi quid fortè peccatum eſſet, à Deo pacem, veniamque expoſcere. In obediendo tam alacer, vt cùm aliquandò, quò expeditior ad imperij vocem accurreret, ſolitas operis initio precationes omiſiſſet, illi Chriſtus apparuerit, atque intermiſſi moris negligentiam acerbè incuſauerit. His accedebat Dei iugis, & ſuauis recordatio, cuius, ob oculos mentis, ſpecies verſabatur aſſiduè, eamque religioſo homini multò iucundiſſimam, & proficuam maximè exercitationem dicebat eſſe. Iam ob ſuperioris vitæ commiſſa mirum quantùm diſplicebat ſibi, ſed quę illi dolebant in primis tria erant. primū profanos libros adoleſcentulum lectitaſſe; alterum lucubrationes aliquas edidiſſe in lucem; tertium denique luſiſſe numeris iuueniliter multa, in quibus tamen, vt rem ad

viuum reſeces, nihil non intra modeſtiæ fines inueneris.

Bernardini ſtudia literarum in Societate, & caſtitatis donum inſigne in eundem cœlitùs collatum. Caput XII.

VIx primum tyrocinij annum abſoluerat, cùm de more temporum viſum moderatoribus eſt altero probationis ipſius anno erudiendum literis tradere. Vacauerat Philoſophiæ annos plures, vt ſupra memorauimus, Bernardinus: ſed cùm neque id ſuperioribus exploratum eſſet, neque ipſe, pro ea, qua præditus erat animi demiſſione, ac modeſtia, indicaſſet vnquam, iuſſus vt ſe ad philoſophica compararet, paruit illicò. Igitur gymnaſium frequentare, audire docentem attentè in diſputationibus, reliquiſque eius muneris exercitationibus multus eſſe, in quibus ob egregium acumen ingenij inter primos facilè numerabatur. Cœterùm ipſe fatigare precibus moderatores, vti ſe ab ſtudijs abſtinerent, ſibique homini ſcilicet nihili, omninò literis interdicerent; quid enim ſtipes fruſtrà tempus, & operam perderet? quantò maius poſſe à ſe operæ pretium fieri, ſi inter adiutores domeſticos aliquid laboris impenderet? Iam inter philoſophicas concertationes, ſi quando à præceptore, alijſue ob egregium aliquod ingenij ſpecimen editum laudaretur, pudore ſuffuſus, id caritati laudãtium citiùs, quàm ingenio ſuo tribuebat: omnium vices, ſi quà condiſcipuli deficerent, ſubibat: idem preſto erat omnibus, tàm demiſsè, vt iam inde sãctus audierit. Igitur Bernardinus abſoluto tyrocinio, cùm ſatis virtutem

tem ipſe ſuam Salmeroni probaſſet, iuſſus ab eodem eſt Sacerdotio initiari, atque à Mario Carafa Neapolitano Antiſtite inauguratus, commodùm feſto Euchariſtici corporis die magno cum animi ſenſu ad aras primam Deo victimam obtulit, quibus deinceps myſterijs quotidie ritè obeundis tanta diuinitùs animo voluptate perfundebatur, vt nimiam illam cœleſtium deliciarum vim mortale corpus, & interiturum, pati poſſe minimè crederet, niſi ſi panis ipſius viuifici robur, ac virtus illi pro pharmaco accederet. Ergò cùm tam vbere donorũ cœleſtium copia difflueret, tantoſque in ſpiritu profectus oſtenderet, cæpit hoſtis tartareus tantam homini felicitatem inuidere, & callidè occultas animo cogitationes immittere, quibus diuiniſſimi myſterij veritatẽ, ſi poſſet, quaſi per cuniculos labefactaret. ſed adfuit ſtatim diuina lux, ac teterrimum veteratorem, non ad humanæ rationis modum rem exigens, ſed ſimplici Fidei confeſſione facilè repulit. Interim quanquam nuperrimè à tyronibus exceſſerat, tamen, vt erat ſpectatæ integritatis, ac prudentiæ vir, rerum ſpiritualium prouincia illi à moderatoribus demandatur. Excipiendis itaque domeſticis Collegarum confeſſionibus, & aſceticis rebus præficitur, quod munus, cum non ſingularem modo vitæ integritatem, ſed interiores literas, & tractandorum animorum vſum repoſcat, Bernardinus, tantum non tyro maturitate morum, & cœleſti ope egregiè ſuſtinuit. Et verò viſum eſt numen ipſum hanc illi prouinciam præſentia ſua confirmare: non rarò enim accidit, vt ij, quorum mentes humani generis hoſtis tentationibus ſolicitaret, cùm ſe, quò fluctuantem animum componerent, ad Bernardinum conferrent, vix ad cubiculi eius limen appulſi, omnem è veſtigio euaneſcere hoſtis impetum ſenſerint: quare pacatiores tranquillo animo facti, ne pulſato quidem Patris oſtio, ad cubiculum ſe

recipiebant. Addita inſuper tyronum cura, ac primò magiſtri ſocius, mox magiſter ipſe, quos Bernardinus præclarè inſtituebat, Deo ſcilicet eius labores leuante, qui tametſi tot curis diſtinebatur, non continuò quidquam de ſcholaſticis muneribus intermittebat; ſed lectionibus excipiendis, vt antea, celebrare gymnaſium; diſſerere, audita recolere, nihil denique de communi more remiſſum velle. Inter hæc tyrones ad omnem vitæ purioris rationem excolebat; in primis verò ingenti erga Deiparam ſtudio molles animos altè imbuebat; illudque potiſſimum obſequij demandabat, vt percurſa frequenrer ad calculos ſalutatione Angelica, Virginem commendarent; atque vt haberent vnde religioſæ diſciplinæ haurirent exempla, ipſe morum ſeueritate præibat omnibus: ac ſi quid vel leuiſſimè peccaſſet, errata ſua coram illis fateri publicè, minimè erubeſcebat. Quamobrem aliquādo procumbens in genua faſſus eſt palam, ſe manè, cum excipiendis confeſſionibus nauaret operam, oculos in hominem egregiè comptum ſibi è regione adſtantem, incautè conieciſſe, quod ſanè non leuem hominis in oculorum cuſtodia diligentiam, & ſtudium ingens integritatis oſtendit. Et fuerat per id tempus Bernardino collata cælitùs inſignis caſtitas: etenim, cùm non ita multò poſt initam Societatem ſeceſſiſſet aliquandò in ædiculam, vt Virginem, cui ſtudebat vnicè, precaretur, poſitis genibus ante Deiparæ imaginem, totum ſe in illius fidem, & clientelam contulit. Ecce autem inter orandum Virgo mitiſſima ſe illi cœleſti lumine circumfuſam exhibuit, ac blandiſſimè precantem affata, mox omnem ex animo penitùs immundæ cogitationis nubem abſterſit, quod inſigne Virginis beneficium diù ſecum occultum habuit, verùm in extrema ſenecta dum Petro Antonio Spinello Prouinciali intimos de more receſſus animi aperiret, rem vulgauit,

gauit, ſed ea lege, vt illi fidem ſuam ſilentio Spinellus obſtringeret: vnde præter deletas omninò ex animo inhoneſtæ voluptatis imagines, nihil aliud excerpi potuit, niſi viſionem illam fuiſſe, & luculentam, & magnam, qualem ipſe nec fando audierit, nec legendo vſpiam inuenerit; legerat autẽ huiuſmodi viſa vir doctus iuxtà, ac pius longè plurima, vt eiuſdem edita de Virginis throno monumenta teſtantur: creditumque non temerè à nonnullis eſt, hìc etiam à Virgine, quò alijs in hac re ferret opem, præclaram abigendi impuri dæmonis rationem edidiciſſe. nam cùm per hos dies adijſſet ad Bernardinum ſpectatæ indolis adoleſcens, qui haud ita multò ante Societati nomen dederat, vt ab illo contra carnis illecebras, quibus vrgeri ſe longè ſolito acrius ſentiebat, aliquid opis acciperet, cùm aliam omnem induſtriam inanem eſſet expertus (afflictauerat autem ſe, & cruciatus omnes corporis adhibuerat) vbi id Bernardino aperuit, ſtatim egregius magiſter, Iubeo, inquit, te bono animo eſſe, abi, & diebus ſingulis circa cor ter crucis ſignum exprime, & his verbis Deiparam voca: Per
» ſanctam virginitatem tuam puriſſima Virgo emunda
» carnem meam, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti; ac pro certo habe nunquam fore, vt nequiſſimus hoſtis hac in re tibi negotium faceſſat in poſterum. Paruit ille, neque vnquam exinde per omne vitæ ſpatium, quod ſanè quam longiſſimè extendit, libidinis ſtimulos ſenſit: quod ipſe iuratus poſtmodum pro teſtimonio dixit, addiditque hoc ipſum ſe communicaſſe cum alijs ſæpius in Societate, cùm magiſtratus gereret, opera nunquam irrita. Interim Bernardino vixiſſe patrẽ nunciatur; quod vbi reſcijt amantiſſimus filius, pluribus ſacris piacularibus patris animum procurauit, ac iam inde in ſingulas deinceps hebdomadas, quod uni antea matri, vtrique poſtmodùm parenti hoc ſingulare pieta-

tis

tis officium exoluit, vt ſalutarem pro ijs Deo hoſtiam immolaret; cùmque affecta demum ætate facere ad aras non poſſet, precarijs calculis eoſdem Virgini commendabat.

Bernardinus Neapoli ad proximorum ſalutem diligenter incumbit. Caput XIII.

IGitur, cùm tam egregiæ ſanctitatis laude floreret, & Neapoli agens non dum ſtudiorum curriculum abſoluiſſet, viſus eſt Borgiæ tunc Generali idoneus, qui ſolennem quatuor votorum profeſſionem emitteret: Anno itaque poſt Chriſtum natum MDLXXI. Kal. Maij cum tertium theologici laboris annum perageret, vnà cum præceptore ſuo Hieronymo Soriano quatuor ſolennibus profeſſorum votis ſacræ huic Chriſti militiæ eſt authoratus. Cœterùm tam ſingulare Maiorum de ipſius virtute iudicium, nihil illi inſolentiæ addidit, quin potius maiore quàm anteà animi demiſſione tanquam vnus è multis obire eadem ſtudiorum munia cum reliquis, nemini ſe prælatum velle, ſed omnibus de facili vltrò concedere, quam ſingularem viri modeſtiam, non domeſtici modò, ſed exteri admirantes magnifacere, atque vt aliquem inde profectum in ſpiritu caperent adire certatim cæpere. Plurimi ergo ad illum, vt per homologeſim peccata deponerent confluebant, augebaturq; in dies numerus, quòd viderent præſertim ijs, qui ſanctiſſimi viri ductu, conſilioque vitæ ſuæ rationes inſtituiſſent, bellè omnia cadere, omniaque ex voto ſuccedere: & inerat homini in pelliciendis ad Deum animis mira dexteritas cum incredibili morum ſuauitate coniuncta: quò fiebat vt carus omnibus, acceptuſque eſſet;

cum-

cùmque omnibus omnia fieret ex Apoſtoli monitu, omnes Chriſto lucrifaciebat:quare externorum etiam auditorum, qui Societatis gymnaſium ea tempeſtate frequentabant, confeſſionibus audiendis eſt deſtinatus: quam ille prouinciam fructuoſam admodùm reddidit; etenim non modò ijs, qui noſtrorum opera erudiebantur, ingentes ad pietatem ſtimulos addidit, verùm etiam eos, qui literis nullis vacabant, excoluit, eo ſucceſſu vt illo authore multi arctioris vitæ ſemitam ingreſſi, ſe mox ad religioſa caſtra contulerint: cœteri verò, qui ſæculo adhæſerant, non vulgares in virtute progreſſus fecere. Ex horum numero, atque adeò è Bernardini ludo extitere viri è primaria nobilitate inter cęteros duo, Ioannes Baptiſta Conſtantius, qui ad Conſentinas infulas euectus, cùm cœteræ virtutis, tùm ſingularis in primis vigilantiæ, & charitatis ſpecimen edidit; & Petrus Antonius Spinellus, qui Societati nomen dedit; cuius egregia in omni vitæ ratione integritas, & virginalis pudicitiæ candor, Bernardini inſtitutionem commendant; cuius etiam rei illud argumentum eſt. Adoleſcens nobilis, cui Carolo Maſtrillo nomen, Nola à parentibus Neapolim miſſus, vt literis operam daret, enimuerò alia omnia agebat: eam ob rem Gregorius germanus frater, qui Societati nomen dederat, iratior, neſcio quam illi mulctam eſt comminatus: hanc vt exiret Carolus, poſiturum ſe apud Bernardinum per ſacram homologeſim totius ante actæ vitæ delicta pollicitus eſt: quo promiſſo pacatiore germano vſus, mox ad fidem ſuam liberandam, ante Bernardini pedes ſe reum ſiſtit; cùm ecce tibi illapſa menti de repente diuina lux ita Caroli animum criminum dolore percuſſit, vt ingentem illi vim lacrymarum excuſſerit, ac iam inde ad ſanctioris vitæ frugem ſe recipiendi conſilium cæperit: quod pręſtitit etiam luculenter: in Societatem enim adſcitus, factuſque Eccleſiaſtes

egre-

egregius, Italiam penè omnem concionibus, laboribuſq; non pænitendis excoluit. Per idem tempus duo fœminarum collegia ſacris monitis, ac ſermonibus iuuit; alterum, quod à Spiritu ſancto nuncupatum ſacras Virgines ſeruat: alterum earum, quæ à turpitudinis cæno emerſæ, ad gynæceum, tanquam ad pœnitentiæ ſalutaris aſylum ſeſe receperant: nec pios viri labores ſequutæ morum in multis conuerſiones fruſtrà habuere. Cœterùm ad tam præclaram hominum exiſtimationem non ſine magnis virtutibus Bernardini nomen euaſit: etenim domi non vulgaris modeſtiæ, frugalitatis, demiſſionis exempla præbebat omnibus, paſſus doceri ſe non modò à ſapientibus viris, ſed etiam à laicis interdum adiutoribus, aut tyronibus, quos de recti, honeſtique finibus, deque virtutum officijs rogabat. Fortè aliquando Nolã, vbi tyrones agebant, ſe contulit; ab ijſque ſcitatus ecquã religioſo homini virtutem magis idoneam cenſerent; alijſque aliam ſentientibus, ipſe omnes, tãquam harum planè ignarus, ac rudis, adnotatas in ſchedula, in omne vitæ tempus diligenter ſeruatas apud ſe habuit. Iam cibo ita penè nullo vtebatur, vt inedia tanta multis naturæ vires excedere videretur: quadragenarij ieiunij tempora ſupra exiguum ſecundarium panem, vix elixis cauliculis ſine vllis cõditionibus veſcebatur. Reliquum anni ſola panis intrita ex vino contentus: aut vbi latius obſonaret, caſei fruſtulum addebat pani: qua victus inedia, corporis vires non mediocriter fregit, ſic, vt priſcus ille viuidi oris nitor, & omnis vegeti corporis vigor abſceſſerit: nec tamen ille ſegniùs ad labores incumbere: vix dum enim confecto ſtudiorum curriculo, ſtatim ſuperiorum iuſſu habendis concionibus operam dedit, quibus idoneum ſe multis iam antea experimentis probauerat. Igitur ſingulis diebus feſtis ad populum mane de ſuperiore loco concionem habebat. Idem à prandio

ſacras

ſacras Neapolis ædes habendis lectionibus obibat. Porrò eius dicendi ratio ſimplex, eloquentiæ vis, vt magnæ quidem, ita minimè curioſa ſectantis, neque admodùm in verba ſolicitæ: ardere autem docendo viſus, adeò vt facilè ad rerum diuinarum amorem audientes pelliceret. Fortè cùm aliquandò verba faceret, ita euenit, vt neceſſarium ſuum neſcio quis ad dicentem adduceret: erat verò ille perditis moribus, & planè ſceleribus coopertus: Bernardinus interim hominis ſcelera omnia, actamque peſſimè vitam inter dicendum graphicè veluti penicillo deſcribere: ergo ille ſuccenſere ſcilicet familiari ſuo, & impoſitum ſibi queri, quòd ſe apud dicentem ſcelerum antea ſuorum inſimulatum, mox etiam imprudentem ad eundem traxiſſet, à quo publicè tanto cum dedecore argueretur. contra amicus inficiari, ac perſanctè iurare, neque vnquam anteà ſibi de his rebus conuentum Bernardinum dicere; quibus ille permotus ad mentem rediens: Age dum, inquit, quando ita me Deus per concionatorem iſtum, monitum voluit, placet opportunè vocantem ſequi: neque ita multò poſt, animi ſordibus confeſſione expiatis, ſanctiorem, & Chriſtiano homine dignam vitæ diſciplinam amplexus eſt. Sed tam egregios viri in vinea Domini labores inuidus dæmon ferre non poterat: inſectari igitur hominem, vexare, turbare operam etiam in minimis; in cubiculo lucernam euertere interdum, interdum ſcripta, libros, lucubrationes, quorum illi vſus neceſſarius eſſet, loco ſuo mouere, abducere aliò, atque occultare, quod inde reſcitum eſt. Perierat cuidam è ſocijs ſacrarum icuncularum neſcio quid, quod cum furtim ſublectum è conclaui crederet, acriter apud Rectorem conqueſtus eſt. Ea re commotus ille animo, peracerbè mulctatum iri à ſe grauiter minatus eſt, niſi maturè reſipiſceret quiſquis huius ſe ſceleris alligaſſet. aderat Bernardinus, ac ne ſuſpicando

quidem crimini locum dari paſſus, modeſtè Rectorem
rogauit,vt ſibi ius,faſque eſſet ſuper ea re vnum, aut alterum verbum proferre ; factaque dicendi poteſtate :
„ Certè quidem,inquit,Patres,quæ Dei in nos benignitas
„ eſt,non ita in Societate viuitur, vt quiſquam è ſocijs in-
„ iuſſu, vel in aliena pedem inferat, vel quod multò dete-
„ rius ſuffurari inde aliquid audeat:quare id profectò mali
„ dæmonis opera factum eſt,quò aliquid de ea, qua ama-
„ mus inter nos charitate diminuat : quod quidem peri-
„ culis meis didici ; mihi enim ſępenumero hoſtis hic in-
„ tempeſtiuus operam turbat, ac ſupellectilem huc, illuc
„ diſtrahit, ac diſſipat; quare agite,& quod interuerſum
„ creditis,diligentiùs in eo ipſo cubiculo exquirite; neque
„ enim labor erit fruſtrà.Itum eſt illicò,ac locus luſtratus,
nec ſine ſucceſſu, omnia enim,quæ credebantur amiſſa,
ibidem inuenta.Ergo Bernardinus hac ipſa dæmonis infeſtatione acriùs ad proximorum ſalutem incumbere,
frequens Neapoli ædes ſacras obire, vbi pueros prima
Chriſtianæ doctrinæ rudimenta docebat ; quod domi
multò anteà munus exercuerat. Eam autem rationem
potiſſimùm docendo tenuit. Neceſſaria primum ſanctiſſimæ Religionis placita ſtrictim,ſed ad captum vulgi dilucidè percurrebat: mox ea ipſa explanare vberiùs,
in iiſque diutiùs immorari conſueuerat: docentem porrò magna confluentium corona ſtipabat; nec pretium
operæ aberat. Per idem tempus Chriſtiana cathecheſi
infideles cæpit imbuere.erant autem id genus homines
Neapoli ſanè permulti, quos Bernardinus ad Chriſti fidem pijs adhortationibus,& Chriſtiana humilitate traduxit omnes, ſi vnum excipias, cuius obfirmata in
Maumetica ſuperſtitione durities nullis precibus, nullis
minis,nulla denique pij inſtitutoris opera frangi potuit;
quamuis & grauiter decumbenti præſto eſſet, inſtaret,
moneret,obteſtaretur,quà blanditijs,quà minis,conatu

ſem-

ſemper irrito; vt non ſine ingenti Patris mærore, cuius operam peſſimè eluſerat, extremum diem infeliciter clauſerit. Ad hæc ſocios domi ad omnem virtutem pijs alloquutionibus hortabatur; cui muneri ſuperiorum iuſſu biennium vacauit. Præfuit etiam ad id locorum ſacro hominum ſodalitio,quod à religioſo viro è Dominicana familia, cui Ambroſio Saluiæ nomen, ad ædes à Spiritu ſancto dictas, ante aliquot annis fuerat inſtitutum: ſed euecto ad Neritanas infulas pij cætus authore, magiſtro indigebat,qui recens coalitam piorum hominum Societatem certis legibus temperaret, cui rei Bernardinus deſtinatus non penitendam nouæ ſodalitati nauauit operam; etenim quæ ab ipſo ſapientiſſimè ſunt inſtituta, à Neapolitano Antiſtite confirmata poſtmodum, ſodalitati ipſi opportuna non mediocriter extitere, adeòque ſibi ſodalium animos Chriſtianæ caritatis officio conciliauit, vt Lupijs deindè agētem Bernardinū per literas frequenter conſuluerint, quæ autem ab illo reſcribebantur maximi facerent ſic, vt epiſtolam eius vnam etiam nunc inter ſacra lipſana cultu maximo, ac veneratione cuſtodiant. Neque apud hos ſolùm,ſed iam inde apud omnes ſāctitatis eius fama increbuerat,adeò, vt plerique veſtium aliquod præſegmen,aut certè eorū vnum aliquid, quæ à Bernardino tractata eſſent,ſibi ad reliquias depoſcerent: nec raró accidit, vt dum confitentes exciperet,aliqui,reſecta clanculum veſte,fruſtulū panni ſublegerent. tanti ſcilicet apud omnes, quibus cum ageret, erat. Nec virtutem modò,ſed ſapientiam etiam hominis ſuſpiciebant: & verò, vt ſupra meminimus, erat non tinctus modò literis, ſed planè imbutus, ac plenus: quare qui labores ſuos vulgandos typis dabant non niſi conſulto anteà Bernardino,atque eius cēſuræ traditos prælo ſubijciebant: quibus ille vt faceret ſatis, magna cum ſedulitate, curaque locos omnes, ſi

quos ab authore laudatos inueniſſet,ad ipſa capita,vnde hauſti eſſent, referebat. Cœterùm in tam præclara hominum fama nihil ille animo efferri,quin contrà ſubmiſsè de ſe,rurſus & ſentire de alijs, & loqui perhonorificè; nemo vt vnus, quamuis è multis, eſſet, qui ſi quid ageret,is præcone,atque authore operis ſui Bernardino non vteretur.Eſt domeſtici moris vt inter diſcumbendũ ſępè à ſcholaſticis noſtris conciones habeantur. Ex his aliquando nonnullæ,incipientium præſertim,& in eloquentia tyronum, frigidæ, & exangues audiuntur: at Bernardinus, quanquam acri iudicio, ſapientiaque vir, libenter omnes excipere,commendare ſtudium, operã, animos denique facere conſueuerat; quibus ille rebus omnium erga ſe ſtudia facilè conciliabat. Iam inter has proximorum curas Bernardini animus,quanquam vſq; adeò diſtinebatur,nihilò ſeciùs hoc tempore intimæ illi cum Deo conſuetudinis, & familiaritatis vſus ſanè ingens erat, adeò vt ad nouos labores inde vires hauſiſſe non pauci crediderint, infundente ſe in eius animum cęleſti Numine,ac per viſiones interdum cęleſtia ac diuina edocente.Illud certè reſcitum eſt à moderatoribus, oranti aliquandò,ſupremam illam beatarum mentium felicitatem ſub amæniſſimi cuiuſdam viridarij ſpecie oblatam,quo viſo mirificè recreatus prę ſe poſtmodùm cęleſtium gaudiorum ſpecimen tulit; eratque ſemper tranquillo,pacatoque animo,vt continenter pace multa frui videretur,qualem ijs,qui legem Domini diligunt, ſacræ literæ pollicentur. Interea decennium Neapoli ab ingreſſu Societatis exegerat, cùm non ſine diuinæ mentis conſilio Lupias abductus reliquum vitæ tempus, ipſos ſcilicet quadraginta duos annos in præclariſſima vrbe magna cum virtutis, & ſanctimoniæ laude tranſegit,vt ex ijs,quæ mox referemus,facilè quiuis intelliget.

Diſce-

Diſcedit Neapoli Lupias, vbi proximorum commodis vacat.
Caput XIV.

LVpiæ, celeberrima Promontorij Salentini vrbs in extrema Iapigiæ,atque adeò totius Italiæ parte, inter Brunduſium, & Hydruntum ſita ijs rebus omnibus pollet, quæ cohoneſtandis vrbibus maximè opportunæ cenſentur:nam & ductam iam inde à multis ante Romam conditam ſæculis vetuſtatem originis ſuæ repetit, & cùm antehac, tùm in præſenti ſupra cœteram laudem,ciuium nobilitatem, frequentiam, indolem,opeſque, & diuitias oſtentat: ſed in maximis ornamentis nihil æquè vrbem commendat,ac pietas, quam ciues ſuopte nutu, ingenioque facilè concipiunt in Deum; atque inde eſt vt Religioſas familias intra muri ambitum plurimas numeret. eò igitur per id tempus Societatis fama perlata, ac ſecundis aucta rumoribus, è veſtigio miros in id genus homines amores excitauit, quo factum eſt,vt à Salmerone totius prouinciæ Præfecto, ciues excolendæ vrbi Patrem Marium de Fabricijs multis tãdem precibus impetrauerint.Is porrò Septembri menſe, anno proximi ſæculi ſeptuageſimo tertio Lupias profectus,ſacris concionibus, ceteriſque Societatis muneribus obeundis,& præclarum operæ pretium fecit, & diſcedens maximum totius gentis deſiderium reliquit. Igitur guſtu expertæ recèns vtilitatis facti ciues auidiores Euerardum Mercurianum,qui tum familiam ducebat, enixè rogant, vt quoniam certis redditibus domui ſtabiliendæ in præſenti ciuitas ab alieno ęre nõ eſſet,ſaltem hominem mitteret,qui,quam dies mox eſſet allatura, rei benè gerendæ occaſionem teneret, interim verò profeſſorum domum concederet:neque ab-

nuit

nuit Euerardus Sacerdotem ei mittere, deſtinatuſque operi Marius idem eſſet, quem vnicè ciues poſcebant, niſi longè ille alijs implicitus curis ab ea prouincia ſubeunda maximè auocaretur: quare peropportunus huic operi Bernardinus viſus eſt; qui ſtatim ſe dedit in viam. cœterùm antequam Neapoli pedem efferret, vbi illum aliò abiturum reſcitum eſt, multi deſiderium hominis non ferentes, moras itineri nectere, moliri omnia ne diſcederet: ſed enim verò eò hominem diuinæ mentis nutus vocabat. Igitur cum adornaret iter, è domeſticis multi, quibus ipſe à confeſſionibus erat, diuinam ex eius manibus Euchariſtiam capeſſere voluerunt, quam non ſine ingenti omnium fletu, & ſuis ipſius, qui cęleſte epulum diſpertiebat, lacrymis dedit. Iam abeuntem amplexi fauſtam ſibi ab illo precationem extorſere. Aliquid etiam veſtium, aut rerum, quas pro lipſanis colerent, nobiliſſimis fœminis dandum fuit. Lupias igitur Bernardinus XIV. Kal. Ianuarij anno inſtauratæ ſalutis milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo quarto tenuit vnà cum adiutore Hiſpano. Vbi verò aduentus eius in vrbẽ eſt cognitus, incredibile dictu eſt, quanto viſendi ſtudio effuſa ciuitas omnis ſalutatura hominem accurrerit: nam & vrbis Syndicus Seluagius Guarinus illuſtri genere ortus, & Hydruntinæ prouinciæ Præſidis filius Carolus de Ianuario eques Neapolitanus, alijq; viri nobiles longè plurimi equis inſtratis ſolenni pompa extra vrbem Bernardino obuiam iuere (qui honos aut ingredienti tùm primùm prouinciam Præſidi, aut id genus regijs magiſtratibus haberi ſolet, præterea nemini) egregiam viri ſanctitatem iam anteà cognitam viſere coram geſtientes: neq; verò ſua illos exiſtimatio falſos habuit; ipſo enim in ore, vultuque ob inſignem viri modeſtiam, animi integritas eminebat. Poſt vbi in vrbem ingreſſus eſt, nobiles fœminæ aut in ſummis ædibus, aut in feneſtris,

ſtris, ac menianis, vnde venientem conſpicarentur, frequentes erant: reliqui turmatim principes vrbis viri conuento domi Bernardino ſoſpitem eum aduenifſe ſũt gratulati. Poſtridie eius diei Paulus quidam cognomento Torriſius, qui Societati poſteà nomen dedit, adit ad Patrem, ſuamque operam, ſi quid opus ſe adminiſtro eſſet, pollicetur. Bernardinus hominem commodùm aduenifſe ratus, eo duce ad Dominicum Petruccium Apoſtolicæ Sedis Vicarium (Epiſcopus enim ea tempeſtate longè gentium aberat) ſimul officij cauſa ſe contulit, ſimul vt exercendorum Societatis munerum facultatem acciperet; qua facilè impetrata, ad Principem vrbis ædẽ conceſſit, & Canonicorum Collegium ſalutans, ecquid in vrbem venerit paucis exponit: dein omnem diligentiam, atque operam ſuam ijs modeſtè pollicitus, iuberent modò, quod è re ducerent, ſe nihil vnquam labori parſurum recepit. Poſt cum rem diuinam feciſſet, eodem Turriſio duce in cuſtodijs publicis habitos viſit; eoſque affatus humaniter, ad noſocomia ſe contulit, illud in primis, quod extra vrbis pomęrium erectum elephantiaſi laborantes habent. poſtremò religioſorum hominum aſceteria, quibus ſe omnibus officijs, ſtudijſq; præſto futurum ſpopondit; neq; in rem ſegniùs incumbere, etenim detentos carceribus frequenter inuiſere, alloqui, ad virtutem hortari, ſacris confeſſionibus expiare quamplurimos cæpit, capitis verò damnatis, & noxas extremo ſupplicio perſoluturis ſedulam nauare operã, plures cum illis dies tranſigere, & ſacra homologeſi ad oppetendam piè mortem inſtruere, ad vſque ſupplicij locum præſto eſſe, animos facere: mox vbi ſecuritati publicæ noxiorum ſanguine litatum eſſet, conſcenſis feralibus ſcalis opportunè concionem vniuerſam ad vitam cum officio honeſtè tanſigendam monere; viſuſquę ita dicendo exardeſcere, vt frequenti populo lacrymas

ex oculis interdum excuteret. Quòd ſi quis ita obfirmaſſet animum, vt ſalutem negligeret; huic enimuerò, vt reuocaret ad mentem, omnem humanitatem, curam omnem ſedulus impendebat quouſque demum importunam duritiem Chriſtiana charitate molliret. Et fuit qui ad ſuſpendium, ignemque damnatus, cùm per vrbē ad ſupplicium duceretur, candenti forcipe carnibus viuis admota combuſtus, tanto doloris ſenſu excruciaretur, vt omnem ex animo æternæ ſalutis curam abijceret, ac temporarij ſupplicij acerbitate fractus de æternis minimè laboraret, monitaque ſalutaria reſpueret: at Bernardinus non continuò deſpondit animum, ſed vnā currum conſcendit, ac miſerum humaniſſimè alloquēs, oſculari, & lingua, expreſſum igneæ forcipis morſu ſanguinem circa vulnera lambere peramanter occepit: qua ille germanæ charitatis ſignificatione victus, ſalutaria monenti demum faciles aures præbuit, conſtanterque capitis pęnam ſubijt. Nec minor leuandis corporibus Bernardino labor adhibitus: animaduerterat ſcilicet carcere vinctos, per æſtatem præſertim, aquæ penuria laborare, puteo, vnde hauriebatur, ſummis caloribus exhauſto: cui malo vt occurreret, curauit vt certi homines id etiam in miſeros Chriſtianæ charitatis officium impenderent, hauſtamque è vicinia frigidam ad leuandos æſtus, ac ſitim, deportarent: quod ipſum Patris inſtitutum multos annos tenuit; donec Franciſcus Ribera de Societate corrogata ſtipe ciſternam ita laxam conſtruendam curauit, vt conſequutis deinceps temporibus aquæ illis ſatis, abundèque fuerit. Ad hæc in principe templo ſacris concionibus tanto cum audientium guſtu nauauit operam, vt enixè illum ſacras lectiones pomeridianas feſtis diebus, profeſtis verò, vt de conſciētiæ iure aliquid doceret, rogauerint: quibus ille omnibus morem geſſit. neque ſe difficiliorem aſceterijs, quæ

eius

eius operam poſtulauerant, præbuit, vbi de officijs, de virtutibus ſermones frequenter habuit. Pueris etiã in æde maxima, prima Chriſtianæ familiæ dogmata tradere eſt aggreſſus. docentem porrò non pueri modò, ſed magno natu aliqui audiebant, qui licet affecta ętate, nondùm tamen Chriſtiano homini tenenda didicerãt: quorum Bernardinus vt pudori pariter, & ſaluti conſuleret, longo labore quæſitos, ac domum clàm alijs euocatos, per otium Chriſtianæ fidei placitis imbuebat. Hanc itaque cum ille pietatis, ac religionis ſementem feciſſet, non pęnitendam laborum meſſem collegit. etenim à ſacris concionibus multi pertæſi maximè ſcelerum, lacrymis, & confeſſione ſordes animi eluebant; mulierculæ etiam profligati pudoris, & turpi quæſtu victitantes, ad ſaniorem frugem redire. Alij, cùm de officijs, & conſcięntiæ iure diſputantem audiſſent, negotiatores præſertim, ab ijs, quæ nefariè contraxerant, reſilire, atque ad æquitatem ſpectare tandem cæpere. Iam cum huius rei latius per prouinciam manaret rumor, multi viri in primis nobiles, aut ij, qui mercaturam factitabant, aut adire ipſi, aut per literas Bernardinum conſulere: quod tametſi multum illi laboris, & operæ afferebat, neminem tamen opis, & conſilij expertem abire paſſus eſt vnquam. Demùm ægrotis etiam præſtò eſſe, & coram confeſſiones excipere, vt nemo vnus ex ijs eſſet, qui ſi fortè decumberet, Bernardinum non arceſſeret, vel, vt animi ſui rationes componeret, vel, vt apud illum per homologeſim animum expiaret, quibus cùm ſe facilem daret, pijs alloquijs afflictos mirificè erigebat.

Lupijs profeſſorum domus erigitur. Caput XV.

BErnardinum itaque tam ſtrenuè laborantem demirata ciuitas, ne vnus oneri tandem ſuccumberet, cæpit de certa Societati ſede ſtabilienda ſedulò cogitare; cœterùm, cùm graui ære alieno Commune preſſum, Collegium certis redditibus ſtatuere minimè poſſet,publico conſilio ciues profeſſorum domum à Generali iterum petere decreuere: quod vbi Bernardino vir nobilis nunciaſſet triſtior quòd non Collegium decretũ eſſet, ſtatim ille: bonum animum, inquit, habere te iubeo;Collegium enim Lupijs breui ſtabit ita amplum,vt nulli,niſi Neapolitano de dignitate concedat: nec aliter ac vaticinatus,euenit. Igitur Lupienſes, datis ad Euerardum literis, iterùm rogant vt quando prout tunc ſe res dabant,Lupijs Collegium eſſe non poſſet,profeſſorũ certè domum concederet: annuit Generalis ea lege, vt cùm templum,ædes,& ſupellex certa conſtarent, tùm demum firma Societati Lupijs domus eſſet:quo reſponſo alacres, ſtatim ad rem viri nobiles quatuor aggreſſi Scipio Bozius,Cæſar cognomento Prioli, Ioannes Thomas Iaconia,& Aloyſius Fidelis,quorum poſtremus hic iam magno natu Societate inita Sacerdos in ea ſenex deceſſit: ergò hi comparatam de ſuo domum Societati dono dedere. Huic addita à Petruccio Proèpiſcopo ſalutatæ ab Angelo Virginis cum hortulis ſuis ædicula. Igitur ad XI. Kal. Octobris, qui dies Matthæo Apoſtolo colitur ſacer,anno poſt Virginis partum MDLXXV.qui annus piacularis,ac ſacer totius Chriſtiani nominis celebritate eſt habitus,ſumma ciuium gratulatione ab eodem Petruccio primus extruendæ domui iactus eſt lapis. Acceſſit auctarium ſanè perneceſſarium domui

Græ-

Græcoſtaſis, aliud ſcilicet perexiguum Diui Nicolai fanum cum proximis ædibus, quæ Cæſar Buſdragus Alexanenſis Antiſtes Societati conceſſit:tantaque alacritate ad opus incumbi cæptum,vt diſſecti in crucem templi quaterna ſpatia, & maioris aræ pars magna, excitatæque pilæ, ac parietes intra biennium excreuerint: interim Bernardinus,quoniam viri nobiles tàm ſedulam ædificio nauabant operam ipſi, aliò ſtudium auocauerat, animorum ſcilicet cultui ex toto vacans. ſub hæc cum domeſticum adiutorem ex noſtris, cuius opera vtebatur, concionatori etiam noſtrati Alexanum ex moderatorum imperio miſiſſet ipſi, ne ſolus ageret domi, à Lupienſibus conductitius quidam è triuio famulus ſeruitio eſt additus,qui miram ſe in Bernardino cibi abſtinētiam vidiſſe teſtatus eſt,ſic,vt ſupra fidem videri poſſet, ſi quid enim conditum opiparè à ciuibus dono mitteretur, id omne ad publici noſocomij ægrotos iubebat ferri, cauſatus turpe eſſe ſe tàm delicatulè haberi: cibarium verò panem retinebat apud ſe, quem recoctũ ad duritiem, ac buccellatum,mox etiam tunſum comminuebat in puluerem, ac ſumebat in cibum: famulo interim ipſi perindè obſequens, ac ſi Præpoſitus ſibi eſſet:quod ille ſubodoratus, vt ſunt huiuſmodi homines ex aliena manſuetudine ad inſolentiam faciles, tanta viri demiſſione, ac patientia per ſummam iniuriam abuſus, cæpit negligentiùs agere, & Patris commoda poſt habere: non rarò etiam linguæ intemperantiam contumaciæ addens, interdùm incurioſus, & officij immemor,paratum per vices à ciuibus, quemadmodùm inter ipſos conſtiterat,cibum obliuioſus ad Patrem non afferebat:quod Bernardinus quàm humaniſſimè ferens, ſi quando ille ad mentem rediens, errati veniam rogaret,bonum animum habere iubens, id nullius noxæ loco habendum dicebat eſſe. Inter hæc Sacerdos quidam

è noſtris, & adiutor domeſticus ſuppetias Bernardino laturi, Lupias tenuere, quibus ille, vt eſt moris noſtri, humaniſſimè pedes lauit, nec vllis precibus adduci potuit, vt diurnis laboribus feſſus, manus à religioſæ charitatis officio abſtineret. Per idem tempus, cùm incidiſſet in morbum, nihilò minora humilitatis, & patientiæ documenta præbuit: etenim gliſcente febri, cùm ad aëris acerbitatem prohibendam, decumbentis lectulo conopæum addere medico viſum eſſet, renuit Bernardinus, non id eſſe domeſtici moris dictitans, ſed nihilò ſecius id extorquente morbo perſtitit medicus imperare: quamobrem obſequentiſſimus vir, vt religioſæ modeſtiæ, & paupertati conſultum iret, iuſſit commodatas aliundè iunceas tegeticulas circundari lectulo: quod dum exequitur quidam, & neque ſcalæ ad manus eſſent, neque res aliter perfici poſſet, ſupra ægroti cubile huc illuc diſcurſans ardelio, Bernardini corpus non rarò pedibus preſſit, illo ne hiſcente quidem: quo in morbo illud etiã admiratione dignum accidit. Albi vini potionem medicus imperauerat: id verò quanquam in ea regione infrequens, tamen viro nobili, neſcio quid ſubſidẽs adhuc in fundo dolij ſupererat: inde igitur paululum vix guttatim hauſtum vir pius ad Patrem dono mittens, addidit, acciperet modò id qualecunque æquo animo fæculentum ſcilicet, & è fundo hauſtum, fore enim vt poſtero die defęcatius biberet, cùm ex recenti dolio depromi meracum inciperet. Lætus opportuno munere Bernardinus, cùm poſtridiè ad eundem mitteret, nunciari hero iuſſit, ſuo nomine parceret dolio recenti, ſatis enim ſapidum viſum, quod heſterna luce ex veteris dolij fundo hauſtum miſit, proindè pergeret ex eodem vini munuſculum dare, id ſibi gratius futurum: hæc cùm audiſſet vir humaniſſimus, ſciretque iam prorſus inane dolium, riſit; ſed enimuerò viri ſanctitatem reueritus, paruit, ac

non ſine ingenti domeſticorum omnium, qui rem nouerant, admiratione, tantum inde vini hauſit, quantum ægroto illa die ſatis futurum eſſet, quod miraculum duos ipſos menſes, quibus ægrotauit Bernardinus, tenuit, ſic vt bis diebus ſingulis ex imo vaſe defæcatum, & illimé merum ad ægrotantis vſum depromeretur, ac tũ demum repentè ſiccatum ſit; cùm meliuſculè habens Pater albi vini potum iam nullum ampliùs expoſceret. Cœterùm vt ad rem redeam, templi ſtructura iam eò deuenerat, vt Octobri exeunte, anno vertentis ſæculi ſeptuageſimo ſeptimo primum ibi ſolenne ſacrum peractum ſit; confluente ad templi celebritatem Canonicorum Collegio: quo die Bernardinus concionem ad frequentem populum habuit, ac mox horis pomeridianis lectionem è ſacris literis, idemque in noua æde Chriſtiani dogmatis ſumma capita explanare rudioribus de more cæpit. qui viri labor non ſine ingenti fruge poſitus eſt; nam cum de reddendis aliorum bonis malè partis fortè ageret, adoleſcens quidam tantum inde vel pœnitentiæ, vel horroris hauſit, vt plenum nummis linteolum de noctu ad Patrem attulerit, quos domino reddendos Bernardinus primo mane curaret. Alius verò benè nummatum marſupium intempeſta nocte ad Bernardinum ferens, tantulum moræ pati non potuit, quouſque diluceſceret, ſed exorauit Patrem, vt hero pecuniam tunc ipſum reportaret, quod Bernardinus quàm humaniſſimè præſtitit. Sub idem etiam tempus cùm veſtiarij negotiatoris tabernam expilaſſent nocturni fures, & religione tacti quidam ſcelus deteſtarentur, ſtatim plurima complicati panni volumina ad eundem, vt domino redderet, retulere.

Colle-

Collegium Lupijs annuo redditu ſtabilitur. Caput XVI.

IAmque ita rebus ad voluntatem fluentibus, inſtituta hunc in modum profeſſorum domus, haud ita multo poſt, in Collegium vertitur. & res ita habuit. Neapoli dum adhuc ageret Bernardinus, Lupiēſis quidam, cui Raphaëli Staiuano nomen, nobilis iuxtà ac diues, hominem iam tùm ſanctitate percelebrem frequentabat, vt apud illum per ſacram homologeſim animi noxas elueret, ſimulque vt de rebus cœleſtibus ſermones crebrò vſurpantem audiret. Ergò hic habere ſe in votis dixit aliquandò vt Societatis Collegium Lupijs extaret, reuerſuſque poſt aliquot annos in patriam, cum Bernardinum Lupijs concionantem reperiſſet, negotium vrgere preſſiùs cæpit, datiſque in hanc ſententiam ad Euerardum literis, cùm alendis Patribus de ſuo in annuos redditus mille aureos obtuliſſet, rem facilè impetrauit, quare, quæ adhuc inter ſtructorum manus erat, in Collegium domus eſt verſa, & Fundatoris nomen, ac ius Staiuano anno inſtauratæ ſalutis M.DLXXIX. ad V. Id. Aprilis Generalis Euerardus attribuit; ac mox tres ipſas literarum ſcholas (quod vnum in tabulis cautum ab Staiuano erat.) erudiendæ iuuentuti iuſſit aperiri. Iam non cœleſtibus minùs, quàm mortalibus gratam noui Collegij ſtructuram accidiſſe manifeſta numinis teſtatione probatum eſt, ferunt enim, cùm fabri cæmētarij ceſſantes ab opere ſub noctem diurni laboris modum diligenter metati eſſent, eoſdem mane poſtero redeuntes ad opus, remetienteſque parietem, palmò ipſo auctum inueniſſe maiorem, omnibus rei nouitate attonitis, atque incrementum operis Bernardino facilè tribuentibus, qui per noctem precibus vacans, famulas Ange-

Angelorum manus ad pium opus aſciuerit. Atque hoc ſcilicet Collegium illud eſt, quod Bernardinus ipſe ante obitum ſupremum diem vſque adeò ſupra reliqua auctum vidit, vt vni Neapolitano de amplitudine, opibuſque concederet, quemadmodùm, vt paulò ante meminimus, vaticinatus de eo fuerat. nam præter Grammaticæ ludum vnum, atque alterum, humaniorum etiam literarum gymnaſium aperit, Philoſophiæque, ac Theologicæ palęſtræ ſcholas duas enumerat, quibus addita eſt tertia explicandis conſcientiæ quæſtionibus. Pietatis verò exercendæ gymnaſia complura habuit; ſeptem enim ipſa inſtituta Virginis Deiparæ ſodalitia iam inde à poſitis ædibus recenſuit. Iam templum laxitate amplum, & elegantia ſpectabile, in quo per verni ieiunij dies quotidie conciones habentur: mox reliquo anno feſtis diebus matutinis iuxtà, ac pomeridianis horis è ſuggeſto ad populum dicitur, Sociorum verò numerum tantum, quantum vix vllum ex reliquis Neapolitanæ prouinciæ, ſi Neapolim ipſam excipias, vnquam aluit. Ergo tantis Collegij ſui incrementis lętus vnicè Bernardinus, grati ſignificationem animi præ ſe in auctorem ſemper adeò tulit, nullum vt omninò diem elabi ſineret, quo non illud enixè fuſis ad Deum precibus commendaret: quin etiam viginti ipſos annos, quibus Staiuanus poſtmodum Lupijs abfuit, Septembri ineunte beneficij memores literas, ac voluntatis ſuæ teſtes ad eundem ſtudioſiſſimè ſemper dedit.

Infidelium conuerſioni egregiam operam nauat. Caput XVII.

INterim Chriſtianam rem non ſegniter procurare Bernardinus inſtituit, ac præter eas, quarum meminimus, pietatis, ac literarum exercitationes, inſtitutum iampridem alibi morem tenere voluit, nempe vt ſi quos à Chriſtiana religione abhorrentes ſiue Turcas, ſiue Æthiopas, ſiue etiam Hebræos inueniſſet, hos omnes ad Chriſti ouile perduceret. Et ſanè confluunt non rarò Lupias, quippe ad vrbem non longè poſitam, Turcæ captiui quamplurimi, quos pretio emptos, ciues pro mancipijs habent. Ergò hi (quoniam ita Bernardino cum heris ante conuenerat) ad hominem iuſſi confluebant, quos tanto ſtudio Chriſtianæ fidei rudimentis imbuebat Pater, vt mirari non ſit multorum conuerſionem, cœteroqui iam conclamatam, tanto magiſtro ad exitum feliciter eſſe perductam. Etenim aſſiduus operi, nec laboris, nec induſtriæ parcus, omnes ſtudioſè complectebatur, adeò, vt negotium nullum, aut tempus ab hoc Chriſtianæ charitatis officio auocare vnquam illũ potuerint quin cognito id genus mortales adeſſe, rebus omnibus intermiſſis, è veſtigio ad piam inſtitutionem accurreret, nullo vnquam, neque refractariæ cuiuſpiam ceruicis, neq; diuturnę operę tędio fractus: quamobrem propitiato ante precibus numine, ſemper illi res ſuccedebat ex voto. Cœterùm quamuis omnes viri diligentiam haberent exercitam, negotium tamen illi longè maius atri coloris homines faceſſebant, vtpotè qui rudioris ingenij, plurimum operæ poſtulabant. Quinque ipſos dies laborauit aliquandò, vt quaterna tantùm ſalutationis Angelicæ verba (Aue Maria gratia plena) in hominis memoriam imprimeret, ac ternas in dies ſingu-

ſingulos horas tantulæ doctrinæ,ſuccumbente nunquã animo,& labore improbo impendit;& ne ſine irritamẽto patientia eſſet, nebulo ille iuſſus audita repetere,ipſa imperij verba repetebat; ſic, cùm iuberet Pater, Age dic, ipſum hoc Age dic,ſeù ſtolidè,ſeù vafrè iterans,operam, laboremque eludebat : quod vbi quidam è noſtris animaduertit, miſeratus hominis in tam improbo capite malè poſitam operam, Age dum, inquit, Pater, ecquid ſtolidæ huic pecudi erudiendæ tam diù fruſtrà laboras? iube illam in malam crucem abire; tùm ille ſubridens, minimè verò,inquit,nam quòd ſe ad erudiendum difficilem præbeat, id non tàm homini, quàm dæmoni vertendum eſt vitio,obnitendum igitur erit contra, & hoſtis teterrimi peruicacia lenitate maiore frangenda: perſtitit igitur, & ſiue ingenij duritiem, ſiue mali dæmonis repugnantiam patientia vicit. Idem aliquandò, cùm demiratum ſe neſcio quis diceret tantam animi in homunculo vno erudiendo conſtantiam,ego verò,inquit, contrà miſelli illius patientiam ſuſpexi,qui me tam diù tulerit,neque me,cùm illum obtunderem, faſtidire vnquam eſt viſus.Iam ad docendum illam ſatis commodã rationem iniuerat. Principio adeuntes ad ſe id genus homines poſitis genibus ſe voce præeuntem iubebat ſequi, ac precatiunculam concipere, qua ſanctiſſimum vindicem Ieſum rogabant, vt ſe inter bonos legis ſuæ aſſeclas cœleſti ope tranſcriberet: mox aut ſpatiatus cũ illis, aut vbi per affectam ætatem non licuit, aſſidens erudiebat,ſic,vt dexteræ honorem mancipio concedẽs, magiſter ipſe illi exterior aſſideret. pueros verò ad modeſtiam compoſitos adſtare coràm ſe, atque à Sanctiſſima Virgine iubebat tantum diuinæ lucis expoſcere, quantum ad Chriſtiana dogmata intelligenda ſatis eſſet. qua in re illud admiratione dignum nonnullis eſt viſum;quòd homines alienigenas, & recens illuc adue-

ctos, ac proindè ſermonis Italici rudes, & optimè Bernardinus intelligeret cùm loquerentur, & viciſſim cùm ipſe ſua illis Italicè ſenſa depromeret, illi omnia facilè caperent; rurſus iidem cùm alios ſe alloquentes audirẽt, nihil omninò intelligerent. Iam viliſſima capita tanto amore proſequebatur, vt totus illis vacare videretur; quare ægrotantes inuiſere, amplecti, affari pro viribus, valentes aduocare ad ſeſe ipſe, inſtruere, ac ſi quando ad ſe vel deſidia, vel obliuione non adirent, per nuncios arceſſere; rogare heros, vt immunes operis aliquandiù eſſe ſinerent, quò rebus cœleſtibus vacare poſſent. Si quem refractarium, & contumacem nactus eſſet, non cõtinuò deſpondere animum, ſed vſque eò operi inſiſtere, ſuadere, rogare, donec aliquando perculleret. Fortè in Turcam aliquandò incidit, qui auitæ ſuperſtitionis apprimè tenax ſuam ipſius operam diù fruſtrà luſerat: cœterùm quod extorquere à duris ceruicibus charitas nequiijt, ægritudo grauis extorſit: etenim cùm ardentiſſima febre correptus decumberet, Patrem è Societate quendam vidit in ſomnis grauiſſima ſibi, niſi Chriſtianis vndis expiaretur, comminantem ſupplicia: quare mox ſomno pariter, & rigore mentis ſolutus, ſacrum rorem expetijt; rogatuſque ecquem potiſſimum vidiſſet, Bernardinum ipſum illum, quem doctorem anteà tam obfirmatè contempſerat, per quietem ſibi viſum, conſtantiſſimè ſemper aſſeruit. Alius item, qui herum ſalutaria monentem ſemper contempſerat, cùm aliquando Lupias veniſſet, conuento vix ſemel Bernardino, mentem ſibi meliorem induit, & Chriſti fidem amplexus eſt. Quidam etiam, cùm per omnem vitam nihil de Chriſtiana religione amplectenda cogitauiſſet, morbo afflictus prauum animi errorem exuere coactus eſt; nam cum noctem vix vnam finereſſe medici pronunciaſſẽt, accitus illicò Pater, vt laborãti ſaltem ſupremam opem

afferret, accurrit, tantaque cœlitùs dicendi vi pollere, viſus,vt ille tractari ſe facilem dederit.igitur quoniam inſtabat exitus, quanquam nondùm ſatis Chriſti myſteria edoctus, luſtralem aquam expetijt, votique compos efficitur, teſtatuſque mox eſt,ſibi, antequàm ſacro latice expiaretur,ante ora adſtare viſum Æthiopem, qui ſe fortiter capillo apprehenſum teneret, eundemq; poſt ſalutare lauacrum è veſtigio fugam corripuiſſe. Pernoctauit igitur apud ægrotum ad lucem Pater, ac poſtero mane medicus cognitum nondùm oppetijſſe, rem demiratus aduenit, atque ita valentem viribus reperit, vt tunc ipſum ſuperſtite adhuc Bernardino è lectulo ſurgere iuſſerit. Quare Bernardinus,tumultuario, vt tunc neceſſitas tulit edoctum, per otium mox enucleatiùs ad ſanctiſſimi Numinis cultum, atque ad omnem Chriſtianæ legis rationem erudijt.Sed illud in hac re longè præſtantius.Matrona nobilis domi mancipium ita obfirmatæ ſuperſtitionis alebat, vt de ea exuenda verbum nullum audire omninò vellet: ſed cùm hæc aliquando Bernardinum oratum veniſſet, vti rem Deo precibus commendaret,pollicitus Pater mandat,vt hominem ad ſe cum epiſtolio mittat, eo ſcilicet conſilio, vt arrepta hinc alloquendi anſa,contumacem paulatim ad Chriſti amorem pelliciat: nec mora, iuſſus ille adijt ex conuento Patrem rei neſcius, quem, cùm Bernardinus affari,ac pios interim miſcere ſermones inciperet; è veſtigio fuga elapſus domum repetijt, cauſatuſque callido mendacio eſt, diſtractum alijs negotijs Patrem ſibi vacare non potuiſſe. Rem, vt erat, ſubodorata mulier perſtitit imperare acriùs, vt ſummo mane poſtridie ſeſe ad Patrē conferret.Interea id noctis Bernardinus Deum pro homine ardenter orare inſtitit, neque irritis precibus,etenim dum ille precationi vacaret,matronę ſeruus placido ſopore corripitur,viſæque homini perquietem

 ingen-

ingentes ex imo ſolo pertinere ad cęlum ſcalæ, quarum in ſummo faſtigio ſpectabilis formæ fęmina cum infante pulcherrimo adſtaret, cuius propiùs inſpiciendi cùm ingens cupiditas animum tangeret, ob eamque rem ſcalis appropinquaret, ab ignoto homine aſcenſu prohibebatur: interim euigilans ambigere ſecum ecquid nocturna illhęc monſtra portenderent, cùmque ſe inde extricare non poſſet, rogare domeſticum famulum, quid ſibi vellent ſomnia; qui nocturna viſa ſapienter interpretans, Maumetica ſuperſtitione factum dicere, quominùs ad cęlum poſſet aſcendere: quibus ille auditis, ita continuò ad Chriſti fidem amplectendam exarſit, vt nihil nocte illa longius videretur. Igitur morę impatiens ad Bernardinum penè antelucanus adit, quo Chriſtianæ fidei placitis imbueretur. Et verò incredibile dictu eſt quantum illi inter has curas geſtiret animus, vt propè Euangelicum illud præſeferre videretur, vbi aliquem ſacro fonte luſtraſſet, Congratulamini mihi, quia inueni ouem, quam perdideram; nouaque fidei germina muſicis concentibus domum à viris honeſtioribus comitata, deducenda curabat: quorum etiam opera vtebatur, vt alios ad Chriſtianam fidem adduceret, nec ſine ſucceſſu, conſtat enim plures à Bernardino ad Chriſtum conuerſos, qui id genus homines talium negotiorum confectores feliciter adhibebat. Neque Turcas modo, ſed Hebræos etiam nonnullos ad ſacrum Chriſtianæ legis ouile non diſſimili labore, parique ſucceſſu traduxit.

Ber-

Bernardinus audiendis confeſſionibus ſtrenuè vacat. Caput XVIII.

HIc infidelibus à Bernardino labor impenſus ſedulam eius in proximos curam indicat. Cœterùm tametſi procurandæ alienæ ſalutis nihil vnquam laboris ſubterfugit, præcipuum tamen eius in excipiendis confeſſionibus ſtudium fuit: quod ita proprium ipſius, ac perpetuum eſt habitum, vt hanc vnam illi veluti Spartam, quam exornaret, datam cælitùs diceres. quâ quidem in re eò maiori laude Bernardini labor eſt dignus, quòd, vt reſcitum ex ipſo eſt aliquandò, ad eum magno quodam cum horrore naturæ, nec ſine reluctãtis acriter animi motu, ſedulò tamen, & conſtanter per omnem vitam incubuit. Verùm patiens charitas, & non ſua quærens hominem magna cum alacritate ad id muneris ſemper impulit. igitur vt ſe ad pium hoc noſtri ordinis miniſterium vrgeret, illud in animum reuocabat identidem, hanc ſcilicet datam ſibi maiorum imperio prouinciam, ex obedientia ſtrenuè eſſe obeundam; in quam ſententiam ſic olim ad fratris filium ſcripſit.
„ Horas ipſas excipiendis confeſſionibus operam pono,
„ vt animos è peccatorum ſordibus extraham: quod qui-
„ dem munus Angelorum cùm ſit, longè ſuperat vires
„ meas: ſed quia ita moderatoribus viſum, parendum ſci-
„ licet eſt, obediẽtiam enim & voui, & voueo, oblitus mei,
„ fretus Ieſu meo. Huic acceſſerat etiam ingens reorum miſeratio, qua ita afficiebatur, vt à nemine quamuis maximis ſceleribus perdito abhorreret. Quare & excipiebat amanter omnes, & tantò quidem indulgentiùs, quantò eos, qui ad ſe aduentarent, magis nefarijs ſceleribus coopertos deprehenderet; addebatque pro eorundem ſalute continuas preces ad Deum, hominem ſe,

neque

neque ignarum mali dictitans; poſtremò ad pios hoſce labores Dei voluntas hominum ſalutẽ tantoperè exoptantis haud dubiè agebat:& verò minimè vulgaria diuinæ huius voluntatis in illo argumenta afferri poſſunt. Inter prandendum aliquandò interiorem Dei vocem exaudijt, qua è menſis ad templum ad reorum confeſſiones audiendas iubebatur accurrere; nec rarò accidit, vt ſi quando peccatum vnum aliquod confitentium forte memoriam fugeret, poſt reliqua enunciata cùm ij ſacram ab eo mulctã expoſcerent,Bernardinus amanter admoneret,vti ſe huius,vel illius noxæ, quæ exciderat animo,reos confiterentur. Et verò nõ id genus peccati erat, in quod illi frequens inciderent, vnde Pater obliuionem conijceret, ſed crimen aliquod omninò inſolens, quod ipſorum, dum ſeſe diligenter excuterent, ſagacitatem fefelliſſet. iam illud illuſtrius. apud Bernardinum quidam animi ſordes cæpta nocte eluebat, ac parum memoriæ fiſus relata in libellum crimina recitabat: verùm mox ingruentibus tenebris, cum legendo amplius non eſſet, ac rem perficere non valeret, ab incepto deſiſtere neceſſe habuit. Tum Pater, enimuerò, inquit,lucis indiges fili;annuẽti,ecce tibi funalis cereus à tergo repentè adſtitit, quem nullus ſuſtineret, qui expianti ſe famulam operam, vſque eò commodauit, donec ſacram homologeſim abſolueret,ac mox criminum cognitione ritè peracta ſtatim euanuit. His ergo, ac talibus diuinæ voluntatis ſignificationibus erectus,omnẽ reluctantis animi impetum de facili ſuperabat; eratque in tam pio munere obeundo ita ſedulus, vt omnes anteuerteret; ſic,vt cùm eius diligentiam occupare Sacerdotes aliqui è noſtris deliberaſſent,operam luſerint. Feſtis diebus,cùm æditimus templi fores adaperiret, poſitis ad confeſſionale ſubſellium genibus, Bernardinum pœnitentes reos opperientem inueniebat. quam rem

ſub

ſub odorati è plebe nonnulli, templi fores antelucani occupabant, vt reſeratis poſtibus, expeditum ad Patris aures aditum inuenirent, & nobilioris frequentiæ conuentum vitarent. Quòd ſi quando, aut inualidis cruribus, aut valetudine aliqua ingredi ipſe non poſſet, ad confitentium ſellam aliorum brachijs delatus muneri ſuo vacabat; ac mox rebus ritè peractis, eorundem opera in cubiculum referebatur, eodemque loci lectulo affixus, confeſſiones omnium excipere, qui ad ipſum nec pauci, nec infrequētes adirent. Iam ab aſſidua criminum cognitione ita viribus deſtituebatur interdum, vt in terram prono ore corrueret, vultumque fœdaret turpiter, & fomentis indigeret ad vulnera, nec tamen, delinito licet vnguentis ore, ab incępto deſiſtere, quin templū de more adibat, vt confitentibus aures daret; & quanquam ad id laboris primus accurreret, ſtationem tamen poſtremus deſerebat, atque vbi reliqui expeditis animorum negotijs, accumberent, ipſe interea loci, planè curandi corporis oblitus, pœnitentibus vacare, neque anteà moueri loco, quàm ad vnum omnibus ſatisfeciſſet, adeò, vt ſępè vel exteros ſenis miſeratio ſubiret, qui octonas ipſas, eoque amplius horas in officio perduraſſet. Quamobrem piè doloſi acciri hominem à Rectore commenti, vt corpus curaret; ita demùm loco ſenem ex obedientia mouebant, ſed adeò defectum viribus, vt vix aſſurgeret; mox verò ſtatim à prandio, planè quaſi in totum otiatus manè, regreſſus ad templum eoſdem labores ad multam vſque diem repetebat. Quòd ſi celeberrimus aliquis feſtus anni dies incidiſſet, aut communis aliqua criminum expiatio per Iobeleum indicta eſſet, enimuerò nullius rei memor, totus homologeſi vacare, tantumque de ſolido die demere, quantum ſibi, vt rem diuinam faceret, ſacræ aræ myſterium excerperet. Cibatu penè nullo vtens, vix enim per id tempus panis

fruſtrum,& paſſę vuę acinos raptim guſtabat,ac ſtatim ad opus referebat ſeſe, neque illi veſpere cæna diſſimilis,quinimmò incoenatus non rarò noctem tranſigebat. Quare quòd tantis vnus laboribus ſupereſſet, id ſupra naturæ vires à nonnullis meritò eſt habitum. Profeſtis verò diebus ab æditimo ad ædem accitus, ſine vllo diſcrimino ſtatim accurrere, excipiebatque omnes hilariter,ſatis habens,animos errore aliquo lapſos apud Chriſtum ſoterem in gratiam ponere, & ad Dei cultum, honoremque traducere. neque verò diem vllum ab huiuſmodi munere vacuus ceſſabat, quin plures quotidie horas confitentibus daret: quanquam autem venientem ad ſeſe abigeret neminem,ſi quis tamen apud alium de peccatis confiteri ſolitus acceſſiſſet, auctor illi erat, vt ne ab Sacerdote ſuo diſcederet, ac ſi fortè inter ipſam homologeſim alienū aliquid interponeret reus,id omne tanquam extrarium, & intempeſtiuum in diem aliam iubebat reijci. idem fœminarum confeſſiones,quantùm commodè fieri poſſet,pauciſſimis expediebat, vt ſe domum inde maturiùs referrent,ac decori memor eaſdem inter præſtolandum,ſecretas à viris in loco iubebat eſſe. atque arundine, qua ad ſuſtinendos greſſus vtebatur, interpoſita ſeiungebat, cognominis ſui Bernardini Senenſis viri ſanctiſſimi hac in re,vt in alijs plurimis exemplum ſequutus. Si quem verò ignarum, ac rudem nactus eſſet, hunc inter confitendum ſumma fidei Chriſtianæ capita edoctum pro tempore erudiebat; atque interim ab eo promiſſum, quo ſe rediturum in tempore obſtringeret,vt enucleatiùs per otium inſtrueretur,extorquebat. Iam erga peccata ſua confitentes mitem ſe, & perhumanum præbere, auctorque alijs eſſe, vt in hoc iudicio in mitiorem ſententiam diſcederent. Rogatuſq; aliquandò an qui iterum, ac ſępiùs in eadem ſcelera relaberetur,poſſet hunc Sacerdos ſententia ſua non abſo-

lutum

lutum abijcere: poſſe illum quidem,ſed non debere, reſpõdit: qua in re illud pro ratione afferebat,nempè cum operoſum,atque arduum maximè humanę verecundię ſit flagitia ſua omnia, cogitata, dicta, perpetrata alteri credere, reputandum eſſe,ſi quis ad ſacram confeſſionẽ accederet, hunc ab cuſtode hominis Angelo ad Sacerdotis pedes afflictum ſiſti,ac proindè non tractandum aſperè,ſed humaniter,ac benignè excipiendum, nec criminum cognitionem in aliud tempus proferendam, ne interim mutata,vti fit,in deterius mente,per ſummam ſocordiam boni operis occaſio corrumperetur. Quibus ille ſedulæ charitatis artibus optimè inſtructus, mirum quantam hominum huiuſmodi vim trahebat ad ſe, qui perhumaniter excepti non modo frequentare illius tribunal,ſed alios ad idem blandè pellicere conſueuerant. Si quem aut religione voti nexum, aut lege aliqua obſtrictum non quiret abſoluere,huic, aut Lupijs ab Antiſtite ipſo,ſi poſſet,aut Romæ ab Hierarcha ſummo,ſeù voti, ſeù legis gratiam ſecretò, & maturè impetrabat. neque illi iucundius quicquam poterat accidere,quàm vt huiuſmodi in proximos charitatis, & beneuolentiæ ſigna profunderet. Subſurdis auribus laborare per aliquot menſes cępit ex morbo, haud ita multò poſt quã Lycium aduenit. quod illi malum adeò doluit, vt nec lacrymis parceret,veritus, ne ineptus ad id muneris pęnitentibus præſtò eſſe non poſſet.contrà ſub vitæ exitũ, affecta iam ætate debilis cùm nulli rei vires ſuppeterẽt, agebat lætus,quòd reliquis hebeſcentibus, ſibi aurium ſenſus vigeret, quem præſtare ſcilicet confitentibus poſſet. Et verò ex tam effuſa in proximos piæ beneuolentiæ ſedulitate non mediocrem Chriſtianæ rei fructũ tulit. Fuere enim longè plurimi, qui rebus inanibus valere iuſſis ſeſe Deo Chriſtianis officijs ex toto deuouere, alijs alia religioſæ militiæ ſigna ſequentibus, qui ta-

men adhuc religione inita, nec inuitis moderatoribus, Bernardino à confeſſionibus vtebantur. plures exturbare domo concubinas, aut certè legitimo illas ſibi matrimonio iungere, multi nefarias pactiones reſcindere, aut ſublecta per fraudem dominis reddere, multi cum inimicis in gratiam redire, alij ex Religioſis familijs, quà viri, quà fœminæ mores corrigere, ac ſeueriorem viuendi rationem inire; demum ab omni hominum genere ſanctioris diſciplinæ modus, & inſtitutum teneri; quæ profectò, rem vt par eſt, æſtimanti, nonniſi ſpectatæ in proximos beneuolentiæ, ac ſynceræ charitati accepta eſſe referenda videri poſſunt, qua Bernardinus non præſentes modò, ſed longè diſiunctos trahebat ad ſe, ſic vt plurimi etiam ſpectatæ nobilitatis viri ad ipſum confluerent, quò ſe religione aliqua, qua tenebantur, exſoluerent, & animi motus, rationeſque componerent. Et quidem in reliquis Bernardino collatis cęlitùs donis non erat poſtremum illud, quo iniectos menti ſcrupulos, animique fruſtrà ſoliciti angores de facili leuabat, leniebatque interdum etiam latentes penitus curas, cogitationeſque introſpiciebat. Quanquam verò omnes excipiebat amanter, mendicos tamen, paganos, viatores, accenſos, mancipia, cæteroſque afflictæ fortunæ homunculos longè humaniùs tractabat, vt hos delicias ſuas diceres. Quare vbi homines id genus veritos ſcilicet Nobiliorum turbam ad Patris ſubſellium circumfuſam, adſtare procul opperientes vidiſſet, aduocabat ipſe, vt depoſito metu propiùs adeſſet, ac feſtis diebus mēdiculos, poſtquam ab vltrò, citròque commeantibus ſtipem pro templi foribus collegiſſent, ipſe ad homologeſin vocabat, neù moræ diuturnæ tædium cauſarentur, poſt obitum ſacræ confeſſionis myſterium, diuidebat viritim nummos, quos anteà ſcilicet in hanc rem à pijs hominibus comparauerat, nouoque pietatis ſtipendio

dio volentes de facili ad crimina expianda cogebat. Iuſſus à moderatoribus ante ſexennio quàm excederet è viuis, vt quoniam defectus viribus eſſet, in cubiculo cibum caperet, non rarò in confeſſionibus diſtinebatur, vt laborandum ſocio adiutori eſſet, quò Patris vires reficerentur. Iam quanto ſtudio negotium animarum agens mentem ad rem gerendam adijceret, hinc pronũ eſt intelligere. Conuenerat natalibus Chriſti tenebris ad rem diuinam in ædem noſtram hominum multitudo ſanè ingẽs, cùm ecce tibi repentè ſe in turbam mediam inſanus quidam, & nudus, ſtrictoque gladio metuendus neſcio vnde proripuit: noua hominis ſpecies, & armati, & amentis frequentem turbam metu perculit: igitur fugam corripere, vociferari, cogi in vnum omnes, tumultus oppidò ingens fieri, nec populi tantùm, ſed eius etiã, q. ſacris operabatur, hic enim ſubito horrore perculſus, myſterij immemor, vnà cum ſymmyſtis, & hierodulis, ad ſacrarium aufugit. Homologetæ item omnes, ſiquã compeſcere, aut frangere impetum poſſent, è ſubſellijs ad tumultum accurrere. Iam fœminę, ecquid turbaretur ignaræ, cum ad ſe metu conſternatos aduentare homines cernerent, exclamare, & Numinis opem expoſcere, aliæque aliò euadere, vt ſibi quæque conſuleret, donec præſtantes animis aliqui correptum ab tergo hominem cæco impetu ruentem ſuſtinuere. Intereà loci Bernardinus vacare muneri ſuo planè immotus: rogatuſque ſub veſperum ecquid ipſe proxima nocte timore correptus fuiſſet? hæſit, planè quid ſibi vellent ignarus, factuſque de tota re certior, nihil horum à ſe animaduerſum id temporis, dùm totus confeſſionibus daret operam, ingenuè fateri nullus erubuit.

Suprema Chriſtianæ Charitatis officia morientibus exhibet, & malos dæmones fugat. Caput XIX.

IAm quanto impenſiùs morituris vacauerit, nemo non hinc facilè intelligat, quãquam enim omni vitæ tempore expediti ad iter ſupremum eſſe mortales debẽt, decretorius tamen ille dies, & intẽſiorem curam expoſtulat, & non niſi à perditiſſimis, ac deſperatis hominibus vnquam negligitur. Quorum tamen in numero inuenti ſunt aliqui, qui, niſi ſedula Bernardini opera, precibuſque eſſent adiuti, miſerè profectò vitæ, animique iacturam feciſſent. Quidam non flagitijs minùs, quàm genere nobilis, Societatique vniuerſæ adeò infenſus, vt eius ſępè famam detrectauerit, quanquam (fortè ne ciuium ſubiret inuidiam) Bernardinum ex ea ſemper exceptum ibat, vehementi febre correptus iam in exitu vitæ erat: quare iniecta domeſticis cura ſalutis ſuæ hominem tempori admonere, adeunt, enunciant inſtare ſupremam horam; proinde ſibi, animoque ſuo ſupremis myſterijs ritè conſuleret; ſed verò iſthæc ſurdis nequicquam auribus canebantur; negare enim æger poſſe ſe id temporis confeſſioni vacare: conclamatum iam de ſalute ſua, quid fruſtrà iiſdem nolenti inculcandis tempus ab ipſis teri? familiares cognito non poſſe à ſe expugnari hominem, ad Bernardinum confugiunt: etiam atque etiam rogant, vt homini perdito ſuam operam ſedulò impendat. ergò ſenex aduolat laboranti præſtò futurus: ceterùm æger eo viſo indignari, exclamare, aliò vultum auertere, quid hoc hominis importunè iam ſibi vellet? abiret in malam crucem. contrà Pater, affari humaniter, monere, ſed fruſtrà: tùm Bernardinus ad domeſticos verſus meliora ſperare iubet; nihil timendum,

ægrum in præſentia mali dæmonis intemperijs agi, ſed precibus iuuari poſſe: interim ægro adeſſent ipſi, donec pro illo ſacrificaret, ac ſtatim ſecundùm hæc dicta litatum abijt; cùm ecce tibi, tùm ipſum, cùm ſenex diuinam rem faceret (vt eſt animaduerſum poſteà) exclamare miſer: habeo Numini gratias, iam quod me vehementer premebat, nec ſinebat animam confeſſione expiare, dæmonium abijt. & Bernardinus exegit: accite illicò ſenem; apud illum ipſum de peccatis confiteri eſt animus. Aduolant nuncij, Bernardinum reportant, qui confitenti lætus aures præbuit. Quare æger, poſt edita Chriſtianæ pietatis longè plurima argumenta, tranquilliſſimè efflauit animam. Iam alius dynaſta nobilis multis ſceleribus, ac nequitijs obnoxius, afflictus morbo obſtinauerat animum ne ſibi tempeſtiuè conſuleret. erat huic eques quidam Hieroſolymitanus propinquus, qui, vt diù laborauerit, extorquere tamen à miſero nullis precibus potuit vt animum aliquandò ad ſupremas curas adijceret. quare eques conſilium capit ipſe vel nolenti ſenē obtrudere. Adeſt itaque Bernardinus, quo viſo æger, perindeac ſi mentis attonitæ ſtupore diſcuſſo, rediret ad ſeſe, lętari, geſtire pręter modum, Patriſque dexteram amanter exoſculatus, apud eundem animi noxas confeſſione depoſuit, neque inde efferre pedem eſt paſſus, donec ſuperſtite ſemper Bernardino placidè expirauit. Quidam etiam, & loco nobili ortus, & magnis opibus præditus Lupijs agebat, ac Societatis homines tanto odio proſequebatur, vt ad concionatorem quendam è noſtris mactandum aliquandò graſſatorem immiſerit. Igitur hic lethali ægritudine oppreſſus, cùm ad exitium vergeret, auditi ſunt domi ingentes, nullo interim authore viſo, interdiù, noctùq; tumultus, atque in cubiculis omnibus ita turbari, vt omnes Stygiæ cohortes habere domum viderentur: ea re domeſtici ad Bernardinum

num trepidè accurrunt, qui ad ferendam opem aduolans, vbi primùm laboranti eſt viſus, exceptus ab illo ſcilicet cum gaudio eſt: atque, ades dùm, inquit, Pater bono cum omine, quoniam aduentu tuo dæmones, qui me hucuſque peſſimè habuerant, ceſſere in angulum timidi. Bernardinus, qui demiſsè de ſe, humiliterque ſentiebat, enimuerò id æquis auribus minimè accepit, & vitiatæ per morbum mentis inania viſa eſſe dictitans, aurem confitēti ſedulus accommodauit, æger verò, pro vt flagitium vnum aliquod inter confitendum Patri enunciauerat, ex illa dæmonum turba vnum aliquem excedere intuebatur, ac prout ſingulatim abibant, monebat illicò ſenem, ſic, vt homologeſi demum peracta, abijſſe omnes lætiſſimus teſtaretur; neque ita diù poſt, magna cū̃m animi tranquillitate bonæ ſpei plenus oppetijt.

Multos à nefarijs ſceleribus reuocat. *Caput* XX.

NEque verò per ſacram homologeſim ſolùm mortalium animos ſordibus expiatos conciliare Numini, ſed precibus etiam, & dicendi vi, qua multùm apud Deum, multùm apud homines pollebat, nefarios, ac ſceleſtos ad frugem reuocare maximè ſtuduit. qua in re neque vllis vnquam difficultatibus cedere, neque ob inolitam peccandi conſuetudinem frangi animo eſt viſus. Agebat Lupiis multa nequitia homo, iam plures annos fęda libidine maceratus, qui pellicem domi, non ſine magna ciuium offenſione alebat. huic itaq; ad frugem reuocando laboratum à multis diù, ſed ſaluberrima monita fruſtrà habuit, cęcus enim amentia, & fractus amore inſano, exitijſque nec prouidens, nec laborans,

borans, amicorum conſilijs ex toto aures obſtruxerat. fortè fuit aliquando vt hic Bernardini opera indigeret: adijt itaque, exceptuſque ab humaniſſimo viro ſanè eſt perhumaniter; explicataque optimè re, inter abeũdum, cùm rogaret nunquid iuberet, atqui iubeo te, inquit, fili, rem tuam cum Deo benè agere, iam ſatis diù luxu perditum, nec ſine magno offendiculo æuum agitas: tempus erat iam te ad mentem redire, moreſque corrigere. age, & priora iſthæc viuendi conſilia, quæ te perditum eunt, abijce, & emenda: Dei clementiam diù fatigaſti: vide ne quantò mitiore antehac, tantò in poſterũ ſeueriore Numine vtaris; fœminam domo exige, quæ te irretitum adeò habuit, & confeſſione animum expia: ni ſaxis, vindicem tibi Deum obnuncio; nec plura his, neque enim illi pluribus opus fuit: tanto enim dolore ſcelerum tactus repentè eſt, vt ſtatim ſe in ædium partem recipiens vt conſcientiam excuteret, non ante è Collegio pedem extulerit, quam apud Bernardinum peccata ſalubri confeſſione deponeret: eodemque die exactam domo meretriculam, ſuas ſibi res habere in poſterum iuſſit. Adoleſcenti Hydruntino Neapolim ſtudiorum cauſa profecto eadem peſtis inhæſerat: etenim liberioris conſuetudinis vſu in tranſuerſum actus, vt eſt adoleſcẽtia de facili ad lapſum procliuis, neglectis literis, alia omnia agebat. Ergò in manibus pro libris alea, celebrare luſtra pro ludis; iam infame ſcortillum tam miſerè deperibat, vt non Neapoli ſolùm, ſed toto etiam Regno exceſſerit, quò ſecuriùs cum illo libidini, ac voluptati vacaret. pater nepotari filium cognito, cùm neque precibus, neque intentatis fruſtrà minis profici hilum videret, certus etiam vertiſſe ſolum, quid ageret? inops conſilij Lupias contendit: Bernardinum conuenit: opem aliquam ſibi, ac filio precibus vt à Deo impetret enixè rogat. Bernardinus tam iuſto patris dolore motus alloqui

qui hominem, & affari, animos etiam facere, demum meliora ſperare iubet, atque ad ſe perendino die redire, interim ipſe Deum precibus exorare. Adeſt itaque homo perendie, ad quem ita ſtatim Bernardinus: macti animi eſto, in patriam redi, iam enim filius in viam rediijt, & libidinem exuit, ac mox pęnitentiæ teſtes ad te literas dabit, turpique conſuetudine valere iuſſa præteritam ſtudiorum negligentiam noua ſedulitate penſabit, tibique ac genti tuæ ornamento erit non pęnitendo. ſenis effata probauit euentus: haud enim ita multò poſt plenas doloris, & obſeruantiæ literas accipit à filio pater, ac repetito ſtudiorum curriculo, iuris prudentiæ lauream adeptus, honeſtam in poſterum, & Chriſtiano homine dignam vitæ rationem inſtituit. Alius item maiore nequitia æuum exegerat, iam enim inde ab ineunte adoleſcentia ad vſque ſenectam ætatem libidinosè, ac turpiter vixerat, neque vllam reſipiſcendi ſpem ſibi reliquam fecerat. Erat verò huic fratris filius de noſtris Sacerdos, qui patrui exitium miſeratus egit per literas cum neceſſario quodam ſuo Sacerdote item è noſtris, qui tùm Lupijs agitabat, vt hominem perditum Bernardino commendaret: adijt igitur amicus ſenem: rem explicat: & Bernardinus factus de periculo certior, perhumaniter ſe Deo rem commendaturum recepit. Interim propinquo iubet in hæc verba reſcribi: ſe bonam ſcilicet de patrui ſalute ſpem concipere. nec multò poſt, exorato validis precibus Numine, reſipiſcere ſenex, ſic vt retro actæ vitæ luxu damnato, ſanctioris demum diſciplinæ inſtitutum tenere cęperit, & mortem pari cum ſenſu pietatis obiuerit. Adoleſcens quidam Bario in Hydruntinos negotiorum cauſa profectus, in via muliercularum amoribus irretitus turpiter hæſerat; fortè hic Lycium contendit aliquandò, vbi cùm de Bernardino inter familiares alloquutiones multa inaudiſſet,

conti-

continuò ſanctiſſimi viri adeundi cupido ingens adoleſcentis animum cœpit. ergò conuentum ſalutat perhumaniter, nec officio contentus apud eundem ſordes animi confeſſione depoſuit. Pater itaque admonitum opportunè dimiſit. verùm ille iterùm ad ingenium rediens in ijſdem vadis viſus eſt inhæreſcere. Repetebat porrò ſubindè Lycium pro eò, ac ſeſe res illi dabant: ſed aduenienti continuò viri duo famulas manus commodare, deſcendenti ex equo ad ſtapedas præſto eſſe, deinmiſſos ſe à Bernardino dicere, qui ipſum alloqui domi cuperet. ea res primò adoleſcentem non mouit: cęterùm cum iteratis ſępè vicibus ijdem in officio perſtarent, eademq; nunciarent ex Bernardino, in eam cœpit paulatim cogitationem venire, vt quoniam ſemper, ac tēpori ſibi adeſſent, ſub hominum ſpecie monitores officij Angelos deliteſcere certò crederet: quæ non de nihilo coniectura, & neglectæ illum rationis admonuit, & viri ſanctimoniam, & præſenſionem oſtendit. Quare ſenem longè pluris quàm anteà facere, & ſalubria monita tueri arctius, demum Bernardini conſuetudine ita proficere, vt omnem ſeriò nequitiam abijciens, viuendi rationem ex eiuſdem inſtitutione longè ſeueriorem iniuerit. Lupijs quendam ita illecebræ irretiuerant, vt ab illis ſe quanquam maximopere vellet, expedire tamen vix poſſet: & ſubibat identidem animum ſalubris cogitatio à conſueta libidine animum auertendi: cæterùm ſalubriora agitanti, tot ſe vndique tricæ, tot vincula obijciebant, vt rei difficultate perterritus, ne ſummis quidē, vt aiunt, digitis attingere rem auderet. adeò ſcilicet illi praua conſuetudo in ingenium verterat; ſed nimirùm ipſum velle ſanari ſanitatis initium homini fuit: adfuit enim cęli lux, & Bernardinum huic operi commodum ratus, quod per ſe ipſe perficere non valeret, credidit per illum ſe facilè aſſecuturum. ergò ad virum adit, illique

pronæ in deterius conſuetudinis vim ineluctabilem explicat:ad extremum ſupplex opem expoſcit, tùm ſenex: minimè mirum, inquit, te tot difficultatibus premi, cui tam inolitus peccandi vſus animi vires acciderit:ſed verò nihil eſt fili, quod preces impetrare non poſſint: ego te Numini commendabo: tu interim hebdomadam vnā recitata ſemel in dies ſalutatione Angelica Virginem concilia. Ergò cum huiuſmodi ille impetrata feciſſet, teſtatus poſtmodum eſt, ſibi intra pauciſſimos dies expeditiſſima eſſe viſa, quæ tanti operis, ac laboris ante crediderat.geminum huic illud. Hydruntinus quidam animi ſalutem ſui ob nequitiam, ac libidinem penè deſponderat, ſed cùm aliquandò Lupias veniſſet, expiatis apud ſenem per ſacram homologeſim animi ſordibus, tantum inde ſibi ad ſalutis iter ſtrenuè inſiſtendum fieri virium acceſſionem ſenſit, vt caſtigatis in poſterum moribus vixerit, & ſe ab ſempiternis inferorum ſupplicijs Bernardini opera liberatum publicè diceret. Igitur cum tot argumentis Bernardini in animarum conuerſione dexteritas, ac felicitas vulgò increbreſceret, cępit ab ijs etiā, qui longè gentium aberant precipus fatigari, vt pro ea, qua apud Deum floreret gratia, aliquid etiam ſibi à bono Numine pro animarum ſalute opis expoſceret; quod ille quidem, vt erat humaniſſimus, cumulatè omnibus præſtitit.

Fœ-

Fœminis vita, famàque periclitantibus præſto eſt Bernardinus. Caput XXI.

INter has animorum curas, & aſſiduos proximorum labores nihilò minora corporibus, & famæ ſubſidia attulit Bernardinus: cuius ſanè rei luculentiſſima, quæ in præſenti afferam, argumenta; quemadmodùm non vnius illa temporis, ita nec eiuſdem habenda ſunt loci. Cæterùm ſic res attingam, vt fœminarum, quibus ille conſultum ijt, non ſolùm nominibus calamus parcat, ſed multa etiam ceteroqui minimè negligenda, de induſtria prætereat, quò famæ pariter conſulatur. quanquam egregiã viri operam ea circumſtetere aliquandò, vnde, ſi conſignari literis poſſent, nec parum rebus ipſis enucleatiùs intelligendis lucis exiſteret, & curioſos iſtarum rerum animos mirificè oblectarent. Mulier honeſto ſatis loco nata generis claritatem, turpiter paſſa ſtuprum, fędauerat. & iam vitiati vteri tumor domi nequitiæ ſatis inſimulabat. ergò vnicus miſeræ germanus frater, gentilibus ſuis ad id maximè impellentibus, vlciſci domeſticum dedecus ſororis ſanguine deſtinauerat. verùm, vt erat hominis non prauis moribus imbuta mens, nec dum ſceleri manus initiauerat, à paricidio ſcilicet abhorrebat, quærebatque ſi quà ſine vlla Numinis offenſione cædes patrari poſſet. adijt itaque eo conſilio Bernardinum, & rem totam ſororis aperiens, quid facto opus ſit, rogat. ille tanquam in ancipiti re dubius, cuius nihil ſibi aliàs ſimile obtigiſſet, ſtudio ſibi opus eſſe reſpondit, vt ſi qui huius ſententiæ authores eſſent ante conſuleret. Igitur opperiri tantiſper in loco adoleſcẽtem iubens, ipſe interim ſeſe in cubiculum recipit, neu ſe quiſquam interpellaret, de more pro foribus indicium receſ-

 ſus,

ſus,& otij tenue bacillum apponit:mox ſecretum nactus prouolutus in genua vacare precibus, tenuitque quaternas horas ea ſupplicatio. adoleſcens interim tædio fatigatus, poſt elapſam vnam, atque alteram horam mutrire ſecum, & Patris moram incuſare. intereà loci Sacerdos quidam è noſtris conſpicatus adoleſcentem rogat, ecquid iuberet? ille opperiri ſe Bernardinum dixit, rem ſibi cum illo eſſe non leuis momenti. mox in alios ſenſim ſermones dilapſus, plurimiſque vltrò, citròque verbis habitis, immorari cum illo diutiùs cępit. denique ab exorato precibus Numine redit poſt quatuor horas Bernardinus ſinu lacrymis benè vdo, vultuque ita ſuccenſo, vt conceptum animi ardorem luculentiſſimè teſtaretur, ſeuocatumque adoleſcentem ſic breuiter eſt affatus: ſoror tua puerum modò eſt enixa: caue in eam quicquam ſeuerius ſtatuas: res eſt omninò nemini cognita; infans poſt ſacrum laticem, quo eſt ablutus, ſtatim euolauit ad cęlites, humatumque eſt terræ corpuſculũ: ceterùm ante quadrageſimam lucem ſororem tuam in matrimonio honeſtiſſimo collocabis. adoleſcens admiratione perterritus domum aduolat: ſororem ſtantem quidem, ſed exanguem, & ab recenti puerperio pallidam reperit, eandemque, quæ à Bernardino audierat, ordine cũcta interrogat: neu vera profari extimeſceret, futurum ſe illi innoxium perſanctè eſt pollicitus. Igitur fęmina Bernardini nomine tanquam ſalutari pignore munita nihil horum auſa eſt inficiari. frater lętitia geſtiens ad propinquos rediens nullum ſe in ſorore vitium deprehendiſſe nunciat, ſed tumidam modò ex morbo aluum, quæ vterum innoxiæ mentiri viſa eſſet, eamque iam receſiſſe. illi ita rem eſſe rati, dictis facilè acquieuere. demũ ante quadrageſimum diem honeſtiſſimo viro germanã nuptui dedit; cùmque ſolus in ſinu gaudium tenere non poſſet, illum ipſum Sacerdotem è noſtris, quicum ſermones

mones inter opperiendum habuerat, adit, rem totam ordine explicat, addens, ſe niſi famæ conſultum ire voluiſſet,rem omnibus publicè enarraturum fuiſſe;verùm quod non ageret ipſe,Patrem curare iuſſit,ac rem tacito gentis nomine vulgare permiſit. geminum huic meritò illud videri poteſt.Pagana quædam mulier abſente viro, furto conceperat. ſed ne compertam ſceleris maritus exciperet, ac ſanguine plecteret, quærebat partum medicamentis abigere: medicus, cuius in hac re opera vtebatur,Lycium ſe ad Bernardinum contulit, ſcitatuſque ab eo eſt,ecquid ſine vlla offenſi Numinis religione ad id aggredi ius ſibi, faſque eſſet? Pater perindè, quaſi rem, vellet ſtudio maiore diſcutere, ſtatim ſe in cubiculum recipit; vbi, cùm diù precibus vacaſſet, medicus moræ diuturnioris impatiens ad cellulam Patris adijt, eumq; alienato ab ſenſibus animo nactus, neq; precantem interpellare auſus opperitur, donec tandem ad ſe reuerſus Pater,abi,inquit,ſuppetias miſeræ affer,quas potes: iam infantem in lucem edidit, idque clàm omnes facinus habet.quare medicus in pagum reuerſus,nihil aliter,atque à ſene cognouerat,factum reperit.Iam alius maiore libidine impotens ſorori vitium obtulerat, cui vterum iam ſeptimum menſem ferenti ſceleris indices tumeſcere etiam papillæ occęperant: imminere proindè miſeræ à propinquis exitium.ergò frater,vt occultaret inceſtũ, paricidium coquebat, germanamque clàm in puteum per ſummam fraudem abijcere cogitabat: ſed verò diuina ope factum eſt, vt ſe Lycium ante conferret, & Bernardinum conſuleret, qui peramanter hominem alloquens,enimuerò non tu,inquit,fili,tam peſſimum facinus feciſti. contrà ille, ecquis igitur, Pater, ſi me ſceleri excipis? tùm ſenex, non tu, inquam,in culpa es,ſed vitiatę naturę noſtræ,& humanitatis infirmitas,hos enim ex humana imbecillitate capimus miſeri fructus. mira-

tus

tus ille tantam viri facilitatem, qui tam nefarium ſcelus, tam molliter acciperet, rogatuſque mox ab eodem eſt, ecquid interim conſilij caperet, aut quam eſſet in poſterum viuendi rationem cum ſorore initurus, ne ſe nouo aliquo ſcelere commacularet? ſi peractum, inquit, facinus obliterari, & præteritæ nequitiæ conſuli poteſt, certum iam, deliberatumque eſt ne oculis quidem adoleſcentulæ pudorem delibare. Tùm ſenex, quandò ita te, inquit, facti huius pęnitet, age, & id apud me confeſſione expia, nec abnuit ille, ac noxis ritè iam procuratis, bonum animum habe, inquit Bernardinus, omnia iam vteri argumenta euanuere, tu verò in poſterum caue vindicis iram Numinis in te iterando flagitio irrites, hominemque dimittit. atque ille ſororem domi nactus, cui ſcilicet vterus, ac mammæ iam reſederant, ſcire auet ecqua illi ratione res ita bellè ſucceſſerit? tùm ſoror, ſe verò hæc ignorare, id vnum ſcire ſe ait, momento temporis, ac ſine dolore vllo ſibi omnia fęturæ priſtinæ indicia euanuiſſe. Sororem virginem vulgò creditam, ſed ſtupri compertam frater interficere in animum induxerat. verùm, & infantis innoxij deliteſcentis in vtero, & ſororis ipſius ſaluti conſultum anteà volebat eſſe. agebat hic Lupijs procul, quare vt certam rei, quam animo agitabat, tenere rationem poſſet, conſulto illi Bernardino opus erat. igitur vrbem petit: ſenem conuenit: quid facto opus ſit, maximè rogat. Tum ille: age hic in æde, inquit, donec rem maturiùs excuſſero, tantiſper opperire, ſeque inde è veſtigio in cubiculum confert. iam duas horas præſtolatus fuerat adoleſcens, iamque ſe moræ pęnitere occęperat: rogat proinde Sacerdotem quēdam è noſtris, cui antea rem cum fide crediderat, ſenē adeat, ac reſponſum denique afferat; ille roganti morem gerēs, illicò ad Bernardinum ſe confert, perque oſtij rimas ecquid ille interim agat, explorat, ac ſenem prouolutum

in

in genua lacrymis vbertim manantibus ſupplicantem Numini videt, cuius de cruce pendentis ſimulacrum manu tenebat. neque orantem interpellare auſus,redit ad adoleſcentem, & quæ animaduerterat rectè, atque ordine exponit. Cæterùm haud ita multò poſt adeſt Bernardinus,qui adoleſcentem ſecretò alloquens: en, inquit,ſoror tua,alterius germanæ ope marem enixa eſt, quem luſtrali ante rore expiatum, ac mox illicò extinctum terræ mandauit:tu verò ſi rem,vt à me accipis,ita reapſe compereris,caue moleſtiæ quicquam miſeræ inferas, res enim eſt omninò nulli comperta, neque erit vt aliquandò efferatur in vulgus.igitur adoleſcens ritè omnia,& vera narraſſe ſenem cognito,reuerſus poſtmodum Lupias,Sacerdoti,cui rem ante concredidit,atque vnde factum poſteà reſcitum eſt,plenus admirationis,& gaudij narrat. Certiſſima vitiati pudoris argumēta in vidua propinqui deprehenderant,& vltionem coquētes (quoniam in oppido agebant vnà cum caſtelli præfecto, qui eo loci curabat) ſenem conueniunt, rogitant, nunquid ab tam impudenti nequitia pęnas repetere liceat. Bernardinus ante reſponſum more ſuo oratum ſeceſſit,atque inde ad conſultores regreſſus, partum edidiſſe fœminam nunciat, idque adeò clàm omnibus fore, vt à nemine vnquam reſciatur. ingens authoritas viri facilè fidem omnibus fecit, atque ita, vti ſenex pronunciauerat, comperta re, vindices manus à miſera abſtinuere; neque facti rumor vnquam emanauit in vulgus, ſed ipſe author ſceleris poſteà rē P. Beatillo narrauit, & Caſtelli Præfectus ad Bernardini gloriam facinus cuidam credidit, qui rem pro teſtimonio iuratus Iudici dixit in loco. Clericus è vicino pago ſe Lycium contulit, vt peritum aliquem iuris conſuleret, erat enim huic conſobrina vterum ferens ex vitio, quam propinqui,vt inuſtam generi maculam noxiæ cruore eluerent, è medio tollere

cogi-

cogitabant. quærebat igitur num ſine ſanguine opprimi dedecus poſſet. ille conſultorem ſuum deducit ad Bernardinum, qui non obſcuris argumentis ipſum illum inceſti reum eſſe deprehendens, age, inquit, & conceptã animi labem nunc ipſum apud me expia: quod cum ille ſtatim, & ex animo feciſſet, peracta ſenex criminum cognitione, abi, inquit, & propinquam tuam ſoſpitem ſerua, iam enim prouidentia Numinis, & familiæ decori, & conſobrinæ pariter conſultum ijt. abijt ille ſubtriſtis, neque enim quid Bernardini verba ſibi vellent, ſatis intelligebat: neque ipſe iuris conſultus luculentus dictorũ interpres eſſe poterat. igitur cum hæreret vterque, reuerſus in oppidum Clericus detumuiſſe propinquæ vterum reperit, nam cum illa concreti, nigrique ſanguinis, fęda, & craſſa quædam fruſtula emiſiſſet, tumor omnis abſceſſerat, atque in hunc maximè modum ſenis præſenſio cognita eſt: quare reuerſus Lupias poſtmodum Clericus conuentum iuris doctorem, & rei geſtæ ordinẽ, & Bernardini prę̃ſenſionem edocuit. Nec longè diſſimili reſponſo alterius pudori cõſuluit. Adoleſcentes duo fęminam intemperanter in libidinem lapſam Bernardino commendatum venerant, id enim ſi fortè reſciſſent fratres, periclitari capite aiebant. Pater cùm precatione multa litaſſet, abire ſecuros adoleſcentes iuſſit, quandò mulieri res ſatis iam ſaluæ eſſent. præſenſionem oſtendit euentus: etenim mulier longè ante diem partum edidit, atque aliò ſobolem aſportandam clanculùm dedit: quo & vitæ pariter, & famæ tempeſtiuè conſultum iuerat. Alia item vterum mulier gerebat ab ſtupro, iamque ad pariendum vicina, primos dolores ſenſerat: quare inops conſilij cum exitium ſibi à propinquis iure, ac meritò timeret, è Franciſcana familia ſapientem iuxtà, ac pium hominem rogat, vt fuſis ad Deum precibus ſibi ſuppetias aliquas ferat. cępit itaque religioſum virũ miſe-

miſeratio ſupplicis, cōtinuòque ad Bernardinum,cuius in hac re præſentia vulgò increbuerat,ſeſe confert:rem geſtam, & infelicis fœminæ, in quo verſabatur præſens vitæ diſcrimen enucleatiùs exponit.at ille ſtatim,abi,inquit, & fœminam ab hoc metu vacuam eſſe iube, nullo enim cum vitæ, aut honoris periculo pariet, nec quicquam addidit ſupra. euentus firmauit oraculum. tres ipſos dies miſera laborauit in partu, exanimemque in vtero fętum,cùm eniti non poſſet,membratim diſcerptū extraxit. nec tamen inter has diuturni temporis moras, neque in tanta egerendi fętus difficultate domeſticis quicquam ſubolere, aut vllum vitæ diſcrimen ſubire mulier eſt viſa. Puella furtim vitiata,ſed peſſimi facinoris matre conſcia,ventrem ferebat:quod ne propinquos aduerteret, magnoperè verebantur, ratæ, ſi flagitium compertum eſſet,fore vt ambæ iugularentur.igitur anteuertendum certiſſimo exitio ratæ,mouere omnem lapidem, quo puella fœtum abigeret.ſed verò omnia fruſtrà habuere. quare cum nihil ex voto ſuccederet, Bernardinum ſcilicet tanquam vnum aliquem medicamēti huius apprimè gnarum adeunt, rogantes, vt abortiendi rationem aliquam doceat. contrà ſenex improuidas abſtinere ab incępto, ac ponere metum iuſſit, pollicitus nunquam fore,vt dedecus reſciretur.quæ cùm dictis fidem habuiſſent,nihil tale in poſterum moliri ſunt auſæ; cæterùm conuentum aſſiduè ſenem opem repoſcere, quin etiam externo cuidam Sacerdoti, qui Bernardino à confeſſionibus vtebatur,cùm facinus aperuiſſent, ſtatim ille, quandò authorem illum, inquit, habetis, nihil eſt ſanè cur rei ſucceſſus tantopere vos ſolicitas habeat; & vera ſenem præcinuiſſe probauit euentus, non enim ita multò poſt enixa fętum mulier ſine vllis doloribus, clàm aliò aſportandum curauit,quæ omnia eidem mox Sacerdoti narrauit cum gaudio mater, vnde totius rei

geſtæ ordo poſtmodùm emanauit. Infelix itidem alia ex vitio grauis, nouem ipſos menſes fœmineis artibus feliciter vſa, oculos domeſticorum eluſerat, ſic, vt quem malè geſtabat vterum, nunquam animaduerterent. cæterùm qui potiſſimùm propinquum partum celaret, neſciebat. conſulit itaque opis extremæ indiga ſenem noſtrum, qui ſtatim fęminæ non ignobili perſuadet, vt periclitanti opem ferret, eamque in propinqui ſui domo clàm in latebras aliquas parturientem abderet; verùm id illa nefas planè cum reſpondiſſet, cauſata herum domi ſuæ aſſiduè incubantem rem celari non poſſe, enimuerò de hoc ſecuri animi eſſe te iubeo, inquit, neque enim herus, nec quiſquam omninò alius tale aliquid vnquam animaduertet: addiditque fęminam maturrimè fętum daturam. illa dicto audiens, atque ad propinqui ædes è veſtigio ſe conferens, reperit hominem tunc ipſum, noua de repente oppidi neſcio cuius viſendi cupiditate iniecta, equum conſcendiſſe, vt in caſtellum, quod Lupijs aberat biduo, iter intenderet. commodùm herus diſceſſerat, cùm mulier prægnans interuenit, quã humaniter exceptam hoſpita vnà cum domina in ſupremam ædium contignationem deducit, ac vix loci limen attigerat, cùm ſoluta illicò partu eſt, puerumque enixa luſtrali latice intinxit, qui mox etiam expirauit; puerpera verò à partu nihil languoris experta integris viribus, ac viuido planè vultu domum ſe ſuam retulit. Nobilis fœmina, alibi procul agente viro, turpis flagitij ſe alligauerat, & iam creſcente in dies vtero germanis fratribus clàm habere facinus minimè potuit, qui, vt domeſticam labem ſororis ſanguine luerent, ſtricto ferro dedecus vltum ibant, ſed infelix anteuertit, & ſibi fugæ conſuluit, ſtatimque miſit ad ſenem, qui & de periculo edoceret, & preces expoſceret. Bernardinus re intellecta, preceſque pollicitus, renunciari miſeræ imperat, ſecura

vt

vt ageret:neminem in poſterum fore,qui negotium hac illi de re vllum faceſſeret. nec prædictioni defuit euentus, nam reſtinctis odijs, turbarę omninò domeſtici deſiere. Adoleſcens ſororem vitij compertam interficere cogitabat,rem tamen anteà plenus iræ cum Bernardino communicat. Ille verò fuſis ad Deum precibus, mox è commercio cum cęleſtibus rediens, adoleſcentem affatur,iram poneret,ac minas,ſoror enim tua,inquit minimè,vt reris vtero,ſed tantùm morbo laborat,neque rem aliter,ac tum habebat,edixit,inter precandum enim cognouerat fœminam ſemotis arbitris emiſiſſe fętum in lucem: quamobrem cùm in hunc modum adoleſcenti reſpondit, tunc illi reapſe ſoror ex puerperio decumbebat. Viginti, eoque amplius lethalia vulnera ſorori ſuæ ob violatum pudorem quidam inflixerat, hæſeratque miſeræ demùm infixa tempori prąacuta ſica,& paricida extinctam ratus, fuga conſuluerat ſibi, ſed mulier poſt fratris diſceſſum,Sacerdotem,cui de peccatis confiteretur,inclamare cępit. ergò excita clamoribus vicinia ſtatim accurrit, iacentemque, & cruori ſuo innatantem cum ferro, quod tempori inhæſerat nacta,miſeræ vicem doluit,ac depoſitam credens,quam poterat,animo ſaltē cogitauit opem afferre. itaque intempeſta nocte, cùm multi Sacerdotum domus obirent,nec cuiquam id temporis vacaret accurrere, ſubit experiri an Societatis homines, quos nondùm ſcilicet probè exploratos habuerant, noctù incommodo ſuo animorum ſaluti conſulerent, & erat ea tunc vulgi de noſtris opinio, id nequaquam à Patribus factitari. igitur adeunt eo conſilio Bernardinum, qui Lupias haud ita multò antè recens aduenerat. hic verò re cognita, ſtatim aduolat, ſemianimemque, & atro cruore fędam reperiens confeſſionem excipit, qua peracta, bonum animum habere iubet, pollicitus ex malo euaſuram incolumem. enim-

uerò, qui de Societate malè ante exiſtimauerant, mirari omnes: cæterùm Bernardini dictis nullam in præſenti fidem habere, cùm eius vitæ conclamatum iam omnes dicerent, victuramque vel pauculas horas deſperarent. Sed Bernardinus confirmare eadem: verùm vt præſenſionem obtegeret, addidit, ſe, ſi quid opus foret, arceſſerent interdiù, noctùque, præſto ad futurum. nec euentus prædictionem fruſtrà habuit, conualuit enim ex toto mulier, ac iam inde & Bernardini ſanctimoniam, & Societatis homines magnificare plebes cœpit. Sed illud longè præſtantius. Puella adhuc innupta ex furto conceperat: id verò ipſa clàm ſuos diù cum habuiſſet, deſperare tunc demùm rebus ſuis cœpit, cùm imminente iam partu, qua ratione domeſticos falleret, & tumentis vteri fraudem premeret, prorſus neſciret: etenim decumbenti fortè ex morbo germano fratri præſtare ſedulam operā cogebatur. accedebat miſeræ malis quòd fratres etiam reliqui lectulo frequentes adſtabant, ſic, vt illi quoquàm diſcedere ne latum quidem vnguem liceret, & iam vrgeri maturi ventris doloribus cœperat: quare opis iuxtà, & conſilij indiga per certum hominem Bernardinum periculi ſui certiorem facit, qui ſtatim ad conſueta precū, ac lacrymarum effugia ſecedit in cubiculum, eoque loci ternas ipſas ſupplicare Numini horas pergit. Interim hæc illo agente cum Deo, quidam curioſiùs ad oſtij rimas accedere, ſcrutari auens quid intus ageretur, cùm ecce tibi inſolens rerum facies ſeſe oculis exhibet: Bernardinum ad ipſum ferè cubiculi lacunar ſublimem elatum, & miro vndique lumine circumfuſum ſpectat: cæterùm peractis precibus ſenex, ad nuncium rediens, ire ſecurum iubet, iam enim fœminæ ſatis benignè factum à pio Numine, rebuſque omnibus eſſe conſultum nunciat, neque verò is aliter, ac Bernardinus edixerat, tranſactam ad id locorum domi rem reperit; æger enim,

quo

quo tempore Bernardinus litabat Deo precibus, cùm repentino ſudore immadeſceret, medici iuſſu tunc ipsũ fortè ſuperſtitis recedere coguntur omnes, & vacuam horam ægrotantis quieti dare. itaque mulier opportunum enitendi tempus nacta, ſolarium conſcendit, ecque loci ad ſe in adoleſcentis ſpeciem aduentantem è Cœlo Angelum videt, qui & parienti præſto fuit, & partum ad fœminam, cui Franciſcæ nomen erat detulit, quæ expoſitos vulgò à parentibus infantes ſuſcipere, & publicè alendos dare morem habebat. Reuerſus itaque à Bernardino nuncius, valentem puellam, ac ſtantem domi nactus, quę à ſene acceperat cum rebus ipſis componẽs, non ſolùm illi diuinitùs innotuiſſe omnia, ſed eius etiam precibus feliciter impetrata eſſe, cognouit. hæc per ſe Bernardinus, illud per ſua. Fœminæ non ignobili edendi in lucem partus, quem nefariè conceperat, iam dies appetebant. hærere igitur miſera, quid conſilij caperet neſcia; ſi flagitium apud domeſticos vulgaretur, necis ſuæ certa, & quoniam nihil ſupererat, matronæ cuidam facinus, & periculum iuxtà aperit, opem aliquam rogitãs. illa nullis humanis ſatis firmã præſidijs, rem cęleſtibus committendam rata, è Bernardini ſubucula fruſtulum miſeræ apponit, nec mora mulier ſomno, aut ſtupore correpta, nullo dolore maſculam prolem enititur, quæ cùm nullis vagitibus neque ſe, neque matrem proderet, inde aliò clàm aſportata magno ſcilicet parentis, vel vterum onere, vel ſolicitudine animum liberauit. Sed redijt miſeræ cura, etenim ab infante edito perendino die argumentum, vnde facinus ſuboleret, ſororientes ſibi mãmas aſpicit, ſed huic malo eodem amuleto itum eſt obuiam, nec fruſtrà, ſubuculę enim eiuſdem attactu diſtentæ protinus mammæ exaruere. Hæc Bernardinus, non quidem in patrocinium nequitiæ, ſed humanæ memor imbecillitatis à cęleſti Numine ſubſidia periclitantibus

impe-

impetrauit.Cæterùm qui noxijs tam præſens vbique locorum affuit,idem exagitatæ immeritò innocentiæ aliquandò non defuit. Viro & ſplendore natalium illuſtri, & feruidioris ingenij motibus præferoci coniugis caſtiſſimæ fęminæ fides,& pudor in ſuſpicionem venerant,ſic vt omnia ab ea quanquam innocenter acta,malignè tamen acciperet, ac detrectaret. quamobrem intemperijs actus interficiendæ innoxiæ conſilium capit, atque ob id facinus veteres aliquot neceſſarios in cõſultationem adhibet,qui & propoſitum laudare, & operam polliceri iuxtà faciles,currenti enimuerò ſtimulos addidere. ergò diem paricidio præſtituunt; Dei tamen prouidentia, & tutela innocenti non defuit; vnum enim ex his mitioris ingenij pęnitere conſilij cępit,& miſertus innoxiæ, vxorem admonuit vt ſibi tempeſtiuè conſuleret: illa peſſimi conſilij certior obſeruare mariti dicta, factaque omnia, certiſſimaque coquentis ſcelus veſtigia deprehendere. intereà loci dicta cędis dies aderat, & vir neſcio quid negotiorum cauſatus, ab vrbe digreditur ea mẽte, vt cępta veſpera reuectus domum cum conſcijs nec opinantem opprimeret: verùm mulier ſubodorata facinus ad vrbis prætorem aduolat,& auxilium implorat,qui re intellecta, vni ex forenſibus triumuiris tuendam cum cura dedit,edicens,videret etiam,atque etiam nequid à viro detrimenti innoxia pateretur. interim dum præſidia ſedulò parantur,fęmina ad Bernardinum adit,eidẽque ecquid à viro ſibi timeret,ecquid contra à Prętore impetraſſet ſubſidij ordine explicat:addit preces,quibus ſe eius in primis fidei, ac patrocinio commendatum ibat. ad ea ſenex geſturum ſe illi morem volenti animo dixit: cęterùm addidit, te ad magiſtratum adire, filia, non erat operæ,neq; in vulgus domeſticas turbas efferre, ſed quandò factum nequit infectum fieri, da operam vt triumuirum iſtum dimittas, ac nihil te vllius opera indigere,

digere, ſed in tuto iam eſſe dicas, redibit enim vir tuus hac ipſa veſpera, ſed longè alia mente, nec vllum tibi poſthac negotium, ac moleſtiam faceſſet. neque abnuit pia fęmina ſeni fidem in totum habere. quare magiſtratu valere iuſſo, domum reuertit, quò tandem ſero diei vir pariter rediјt, ſed cum cōſilijs longè ſanioribus, quippe quem cogitati ſceleris pęnitentia cęperat, neque vllū in poſterum coniugi aut irati, aut ſuſpicātis animi ſignū dedit. quod mulier haud dubiè Bernardini precibus acceptum retulit.

Conciliatæ à Bernardino ciuium ſimultates, & verborum eiuſdem efficacitas. *Caput XXII.*

IAm iſtam exorandi vim Numinis, operamque, quam in mulierum vita, famaque tuendis impēderat, nihilò ille minus feliciter in animorum inter ſe diſſidentium ſtudijs conciliandis, gratiaque inſtauranda ponebat. Et ſanè inerat illi mira vis, qua contumaces ſpiritus molliſſimè frangeret, & diſtractos animos conciliaret: ac ſi quem huiuſmodi nactus eſſet præferocem, aut refractarium, principio multis argumentis ab iracundia abducere, quæ ſi demùm irrita caderent, tùm blandè alloqui, atque in imas preces deſcendere, rogare, obteſtari, daret hoc magno ſoſpitatori IESV, daret Chriſtiano nomini: denique ab incępto nunquam deſiſtere, donec victor omnem animi duritiam infregiſſet. qua in re plurima poſſem enumerare, vnde verborum efficacitas, & in agēdo dexteritas confici facilè poſſet. multa enim inter cōiuges orta diſſidia, inter parentes, ac liberos etiam multa, multa inter propinquos, ac familiares odia, quæ in offenſiones longè grauiſſimas, in paricidia, exhæreda-

tio-

tiones,& rei familiaris naufragia,aliaque id genus,vitæ, famæque diſpendia erupiſſent,prudentiſſimè mitigauit, ac ſuſtulit. In promontorio Salentino pagi, & quidem longè plurimi magnæ olim illius Græciæ veluti reliquiæ paſſim diſperſæ,ac diſſeminatæ viſuntur. in his antiquæ quidam ſimplicitatis homo agitabat, qui mutuos populari ſuo centum aureos dederat, vtque erat ingenij minimè mali, cæteros ex natura ſua fingens, creditum nulla chirographi cautione firmauerat. ergò cùm relegendæ pecuniæ dies appeteret,negare illi Græca fide ſe quicquam debere;hic verò fraudis inſolens,iræque non ſatis potens, iniuriam debitoris ſanguine vlciſci ſibi iam in animum induxerat. interim Lupias ad negotium ſuum proficiſcitur, remque totam,& animi ſui cōſilium Bernardino aperit.verùm hic hominem molliſſimè affatus, ire ſecurum iubet, pollicitus certò fore, vti creditæ pecuniæ nomen cum fide breui reſtituatur. quare Senis verbis benè confirmatus repetit domum,iamque adhuc ſummo mane in lectulo quieſcentem debitor interpellat,& pecuniam reddit,addens inſomnem ſe,& inquiete nocturna agitatum ob æs alienum oculos claudere non potuiſſe,nihilque ſibi illius diei luce longius eſſe viſum donec creditori in totum ſatisfeciſſet. Germani fratres in herciſcunda hæreditate adeò diſſidebant,vt ferro decidere inter ſe cogitarent; ſed conuento vix ſemel Bernardino, ita vno illius alloquio in gratiam rediere, vt omnem è veſtigio iram poſuerint, atque amare illicò cœperint inter ſe. cæterùm in horum altero rediit ex eadem cauſa eadem altercatio, etenim cum fratris filio de paternis bonis diſſidens, penè ad ferrum ira amens adigebatur; ſed eadem Bernardino ſequeſtre ita reſtincta ſunt odia, vt nunquam in poſterum diſſiderent. Adeò ſe grauiter conuicio læſum à viro nobili quidam mediocri fortuna dolebat,vt vel cum certa vitæ iactura

vltio-

vltionem coqueret; verùm cùm animi conſilium ſui cuidam è noſtris aperuiſſet, ab hoc vel inuitus ad ſenem eſt deductus, qui rei certior factus iubet hominem procumbere in genua, ac mox in hunc modum alloquitur: condonaret offenſam, iram omnem apud ſe deponeret, ſtaret conſilijs ſuis. ille ſimplici ſenis hortatu repentè vim lacrymarum effundere, atque ita ſenſim ex animo reſtingui odium ſenſit, pro eo, ac à Bernardino ſubinde ponendæ iracundiæ argumēta congerebantur; demùm planè victus manus dedit, ſeque omninò delere ex animo iniuriam dixit: quibus auditis, Bernardinus iubet ſemel, atque iterùm ſalutationem Angelicam, & Dominicam precationem recitare, pollicitus integrum ſe pro homine precatorium ſertum Virgini percurſurum, ac mox vt læſæ exiſtimationis mœrorem abſtergeret, addidit, breui fore, vt inuſta nomini macula maiori honore deleretur, nec abfuit dictis fides. non ita diù poſt vir ille nobilis per certos homines offenſæ veniam ab eo eſt deprecatus, factúſque eidem obuiam, aperiendi capitis, & ſalutis impertiendæ honorem prior occupauit; quibus ille vices paribus officijs humaniter reſpondens, in gratiam ex animo redijt. Nobiles familiæ duæ Lupijs capitalibus inter ſe odijs diſſidebant, erantque iam vetuſtate corroborata diſſidia, & in vrbe quanquam ſatis quidem magna, ciues tamen pro ſtudio partium hinc, aut inde diſtrahebantur, nec infrequenter vtrinque, ſicubi fortè ſibi aduerſantes occurriſſent, multo cum ſanguine ad arma concurſum eſt. die verò quodam tam acriter ad manus pro ædis noſtræ foribus, vbi altera partium habebat, venere, vt mulieres plures fiſtularum exploſionibus territæ, defectæ animis, dùm ſacris intereſſent, rem diuinam turbauerint. ergò in ancipiti malo Bernardinus ſuarum partium ratus diſtractos in concordiam reducere, ſeorſim alios ab alijs conuentos tam placidè

eſt affatus, vt ad eius arbitrium, non armis modò, ſed odijs, quibus diù conflagrauerant, magna cum ciuium gratulatione, plauſuque depoſitis, pax firma inter vtroſque cōuenerit. Neque diſparem in non diſſimili re Bernardini labor, atque opera ſucceſſum habuit. diſtractis adeò ſtudijs in mutuam perniciem conſpirauerant viri aliquot nobiles, vt coactis vtrinque ſtipatorum, ac ſatellitum copijs, vrbs tota armorum plena perſtreperet. iam, qui pacatam rem publicam volebant, pacificatorem quærentes, idoneum neminem, niſi vnum Bernardinum rati, adeunt, rogant: ille nihil cũctatus negotium ſuſcipit, ac bonæ ſpei plenus partes cum vtriſque ſuas peragit, reſque illi tota belliſſimè ex voto ſuccedit. conciliatis itaque partium ſtudijs, cùm in ædem noſtram ambæ conueniſſent, iunctis dexteris in gratiam rediere. Sed verò futuri præſcius pater, clàm vnius factionis homines monuit, conſulerent interim ſibi, neque ita ſecuri agerent, vt ſub icti fęderis vmbra incauti per fraudem opprimerentur. monitum firmauit euentus. paucos intra menſes diſploſa in hos breuiora tormenta, neminem niſi ex famulis quendam læſere, qui tamen conualuit ex vulnere. cæterùm, quod priſtina ſuſcitare odia potuiſſet, mutui amoris, ac beneuolentiæ certiùs firmandæ, ne conuentam pacem vnquam fruſtrà haberent, cauſa extitit. quod omnes Bernardini precibus, qui vt pacificarentur inter ſe Deum ſe exoraturum receperat, referebāt acceptum. Hæc ille ſatis quidem bellè cum hominibus, illud verò longè præſtantius, quod cum ſolo Deo egit. Agebat Lupijs totius oræ Hydruntinæ prætor Hieronymus Bazanius. hic quà imperio, quà precibus inter nobiliſſimas familias, quæ graues ſecum ſimultates exercebant, pacem componere aggreſſus operam luſerat. igitur ad eam rem Bernardinum opportuniorem ratus rogat, vt pro ea, qua apud Deum gratia polleret, tanto

ope-

operi manus admoueat. Ille nondùm conuentis partibus,ſed tacitè ſecum exorato precibus Numine, pacatè, tranquillèque reſpondit,metum poneret,futurum enim propediem, vt diſſidia componerentur:addiditque cùm primùm ſibi obuiam factioſi huiuſmodi homines facti eſſent, fore vt dignatione mutua ſibi capita aperirent, atque in gratiam reuocarentur. gliſcebant ea tempeſtate partium odia.quare mirari prætor,nec dum ſatis certus an dictis fidem præſtare vllam deberet. verùm cùm viri ſanctitatem apprimè noſſet, quieſcere ſtatuit, & rei exitum opperiri. nec verò diù ea cunctatio tenuit;fiunt ſibi homines obuiam, mutatiſque ex nec opinato ſtudijs inter ſe amiciſſimè conſalutant,atque ea mutui honoris,amoriſque ſignificatio inter ipſos pacem firmiſſimè conciliauit. Cum Antiſtite ſuo Lupienſes apertas inimicitias exercebāt, eumque Romæ apud Pontificem poſtulauerant, qui Lupijs in vrbem accitum diù apud ſe habuit, ſed nouos magiſtratus alloquens Bernardinus,non eos ſolùm incępto abſtinuit,ſed procuratorum etiam ſuorum Roma abducendi auctor extitit, quibus Lycium auocatis, Antiſtes delatorum accuſationibus leuatus,ad Eccleſiam ſuam facilem reditum à Pontifice impetrauit. iam in argumento ſimili multus eſſem, niſi legentium otio abuti nollem. cæterùm hanc tantam Bernardini in animis pro arbitratu fingendis, verſandiſque facilitatem nemo mirabitur,qui verborum ipſius vim, poteſtatemque cognouerit. Etenim inerat homini tantus in verbis vigor, tanta vis, vt ardere dicendo videretur.authoritas verò tam grauis,vt nemo vnus eſſet, quem non ille inter alloquendum oratione percelleret; cuius ſanè rei nonnulla hìc argumenta perſtringam. Puella honeſtis natalibus orta, iam nuptiarum amans, muliebrem mundum, & cæteram veſtium pompam aſſiduè à parentibus flagitabat. contrà illi Virginem

Deo,& aſceterio deſtinauerant. ergò illa ſubtriſtis,vitæque id genus faſtidiens,alia ſcilicet omnia cupere,ac pro virili contendere, vt ſe iam nubilem viro cuipiam deſponderent. inter has domeſticorum altercationes fortè fuit, cùm Bernardino, quo à confeſſionibus vtebantur, adirent, ac tùm genitrix ecquid hac, inquit,puella fiet, Pater, quæ omnis virum cogitat? ad ea ſenex, minimè gentium,inquit,filia,ſed Virgo Numini es deuouenda, quod ſi hoc in præſenti minimè cogitas,age,ac per octiduum Celi Reginam conceptis Eccleſiæ verbis ſaluere iube, ac tibi mox hanc mentem dari cęlitùs ſenties. vix ea ſenior, cùm repentè illa tanto virginitatis amore inardeſcere,atque ita ſibi in melius verti animum ſenſit,vt iam inde aſceterium præoptauerit, in quod tandem ingreſſa Deo ſe virginem ſolenni ſacramento authorauit. Artifex quidam Lupijs infelix æuum agitabat, angebãt enim animum curæ, & metus quidam omninò de nihilo, nempè inanes quædam iniectæ animo religiones, & ſcrupulj ita miſerum pulſabant, vt ſe iam extremis deuotum ſupplicijs, ac ſempiternis ignibus crederet. in hunc itaque modum cum fluctuaret, ad Bernardinum tanquam ad ſacram anchoram confugit,animi latebras explicat,ſcilicet nugas meras. tùm Pater placidè affatus ſic hominem firmat, ſecurumque inanium cogitationũ reddit, vt iam inde ſerenitate menti reddita, certam ſalutis ſpem homini fecerit. atque hinc ſcilicet erat,vt viri longè plurimi Bernardinum frequentes adirent,vt ſeſe aliquo mœrore afflictos erigerent: quibus ſenex perhumaniter exceptis præſentem opem ferebat, nec volentes modò, ſed contumaces etiam ad ſaniora conſilia dicendo reuocabat. Viduæ cuiuſdam adoleſcenti filio necem nefarij homines intulerant.huius adeò acerbiſſimi caſus mœror matrem,maioremque natu filium ita tetigerat,vt iniuriam vlciſci ſanguine deſtinarent. Contrà

trà homicidæ, cùm facti eos pęnitentia cępiſſet, noxæ veniam rogabant, & propinqui, quam vellent, ſatisfactionem acciperent, ſed videlicet ſurdis auribus nequicquam obſtrepebatur, iamque plures annos confirmatis odijs Chriſtiani officij immemores æuum agitauerant, cùm interim mater alteri nubit. ergò vir, vt coniugem ad officium reuocaret, ad Bernardinum deducit, vt ſi fieri poſſet, confeſſione animum expiaret. Excepit fœminam ſenex, ſeque tam blandè in eius animum penitùs inſinuauit, vt, omni duritie depoſita, mulier victas manus homini dederit, ſeque non ſolùm condonare noxam dixerit, ſed cumulatè preces etiam pro interfectoribus ad Deum aſſiduè daturam receperit.

Conſultoribus longè plurimis prudenter reſpondet Bernardinus. Cap. XXIII.

AD reliquas Bernardini occupationes, quibus in procuranda animorum ſalute diſtinebatur, accedebat etiam illud non vulgaris curæ, temporiſq; negotium, quòd conſultoribus ſuis opportunè reſpondere, difficileſque de legibus, de officijs propoſitas quæſtiones expedire cogebatur. cùm enim magna ſanctitatis, ac prudentię laude floreret apud omnes, non mediocrem ſibi ſapientiæ famam, quà docendo, quà reſpondẽdo quæſiuerat. Et verò ſanctiſſimi viri animum cùm interiores literæ, tùm rerum agendarum comprehenſio, atque vſus ſic ornabant, vt cum iuris, ac legum peritia philoſophicæ etiam, ac theologicæ facultatis cognitionem non vulgarem adiungeret, quæ in vulgus ſecundis rumoribus diffuſa, incredibile dictu eſt, quantam ad Bernardinum conſulentium turbam acciuerint. Nec Lupijs ſolùm, vbi æuum agitabat, ſed vndique ad eum confluere,

re, & viri reſponſa expoſcere, vt fermè nemo vnus eſſet, qui conſilij inops, vel coràm, vel per literas cum Bernardino non ageret, ratus, quod erat, neque integritatem viro, neque fidem, neque peritiam defuturam. Igitur vt tot vnus ſufficeret, hebdomadæ dies partiri neceſse habuit, ſic, vt ſecunda, ac ſexta ferijs vacaret exteris, qui, vt moris eſt, Lupias per eos dies rebus ſuis in foro diſtrahẽdis longè plurimi conueniebant, ciuibus verò dies reliquos daret. His itaque diebus Curionibus ruſticis vacans, qui in pagis animorum curam agebant, multa illos de Chriſtianis myſterijs ritè obeundis, multa de procuranda proximorum ſalute cum cura edoctos dimittebat. Epiſcopi item, ac Lupienſis in primis, ſi quis difficilis explicatu nodus incidiſſet, Bernardinum conſulere, eiuſque dictis in totum acquieſcere conſueuerant. iam viri Religioſi, aut quicunque animorum procurationi præfectus eſſet, ita ſuos ad pietatem inſtituere, quemadmodùm illos ad Chriſtianæ virtutis normam formandos à Bernardino accepiſſent. Conciones itidem ſuas (vſque eò facilis etiam deſcendebat ad minima) quas eſſent ad populum habituri Sacri Euangelij præcones afferebant, ne quid imprudentibus fortè excideret. Mercatores verò longè frequẽtiùs conuenire ſenem, & conſulere, ne quid in paciſcendo fraudis conciperent, ac de iure mutui ſcitari, penituſque Chriſtiani ab eo negotiatoris officium quærere. neque his diſſimiles dynaſtæ, & prouinciarum prætores, ac reliqui magiſtratus, vt muneri ſuo facerent ſatis. Certè Palmerigenſium Comes nihil vnquam non conſulto ante Bernardino tentare auſus. quod etiam ab Iulio Aquauiua Nucenſium Duce, atque Antonio Mendoza Gambateſenſium Comite factitari ſolitum accepimus. iam viri reſponſa tanti fieri, vt ſi quandò inter agẽdum aliqui diſcreparent, audito ita ſenſiſſe Bernardinũ, cuncti ſtatim obmuteſcerent, vt ſenis reſponſum omnibus

bus

bus pro oraculo eſſet. Lucius cognomento Fornarius Vritanus Antiſtes, vt Bernardinum conſuleret, Lupias frequens itabat. Ioanna etiam Aragonia iam inde ab Sicilia eundem conſuluit, certa eam vitæ rationem inire, cuius ſibi ſequendæ, author Bernardinus eſſet. Antonius Caraſa Andriæ Dux conſignatas ſigillo ſuo literas ad Bernardinum dedit, ac Rectori mittens petijt ne reſignaret, quòd ſi id patriæ leges non paterentur, malle ſibi obſignatas retrò remitti, quàm eas cuipiam, præterquàm vni Bernardino patere. Morē Principi viro geſſit ex facili Rector, obſignatamque epiſtolam reddidit ſeni, qui moris ſui tenax nonniſi reſignatas à moderatoribus literas accipere, oculorum caliginem cauſatus, negabat ſe legere, nedùm reſcribere Duci poſſe. & verò, vt erat affecta iam ætate, non inanem cauſam afferebat. cæterū diù precibus fatigatus expugnari ſe paſſus eſt; igitur reſignatas à ſe literas non ſine manifeſta ope Numinis, & legendo percurrit attentè, ac mox reſcribere aggreſſus benè longam epiſtolam adeò minutis, ſed affabrè pictis literularum notis exarauit, vt oculatiſſimum quemque facilè vinceret. Inter Bernardini conſultores ſapientiſſimus Cardinalis Bellarminus nō poſtremum locum obtinuit: is enim & cùm inter purpuratos Eccleſiæ Patres à Clemente Octauo Pontifice Maximo adlectus eſt, & cùm Capuæ Antiſtes eſt renunciatus, vtriuſque muneris authorem Bernardinum habere voluit. Hunc etiam Claudius Aquauiua Generalis; hunc Petrus Antonius Spinellus Neapolitanæ Prouinciæ præfectus in cōſilium adhibuere. ergò hiſce curis Bernardinus adeò diſtinebatur, vt reſpondendo fatigatus ſępè ſe defectum viribus in cubiculum reciperet: neque continuò, ſi quis recens conſultor aduenißet, non excipiebat. integrum diem aliquandò longo iam conſulentium tædio fractus ſe ad preces Numini perſoluendas collegerat, atque id

ipſum

ipſum otij ſemel,atque iterùm nouis ſubinde interpella-toribus intermiſerat,cùm eccè tibi ſeni iam laſſo conſultor recens interuenit:enimuerò viſus eſt homini importunè admodùm acceſſiſſe,quare nunciat per ianitorem, abiret,non vacare ſibi id temporis ab horarijs precibus. ſed tantùm quòd ianitor terga verterat, cùm reuocatur à Bernardino, qui veritus ne maioris aliquid momenti nouus conſultor afferret, quàm vt in alium diem proferri commodè poſſet, deduci illicò ad ſe hominem iubet, ac mox facta conueniendi poteſtate, ac rebus benè expeditis,tantùm non poſitis humi genibus enixè veniã à ianitore eſt deprecatus, ſi fortè eum deſidia illa ſua offendiſſet. neque in literis ſegnior. etenim etiam infimę ſortis hominibus nunquam eſt dedignatus reſcribere. & verò qui authore Bernardino vtebantur, ijs res bellè fluebant ex voto, Deo videlicet ſerui ſui conſilijs annuente,qui vt certius reſponſum daret, multum ponebat operæ,ac primò quidem facilem omnibus aditum dabat, remque omnem à principio ad extremum vſque excipiebat attentè: dein tacitè Deum alloqui, vnde ſibi in rem lucis aliquid deriuaret, nec rarò inde reſponſa per certam diuinationem hauriebat:hinc illa vſurpata ſeni frequenter in huiuſmodi conſultationibus verba,ita mihi præſagit animus, hoc me lumine impertit Deus, aliaque huius notæ ſimillima, quò fiebat vt eius reſponſa pro certiſſimis oraculis haberentur, eaque euenirent, aut fierẽt,quæ ille præmonuiſſet.Præerat oræ Hydruntinæ Nucenſium Dux Aquauiua ille ipſe, cuius modò meminimus, cùm illi ex nec opinato rumor affertur adeſſe cum claſſe Turcas. ergò iuſto milite raptim coacto concurſare,ire obuiam, luſtrare maritimam oram. interim dum trepidatur,maturè Bernardinum per literas conſulere,rogare quid facto opus ſit.Senex re cognita Ducem ſecurum iubet agere,pollicitus neque in pręſenti,

ſenti,neque diù in poſterum Barbarorum excurſionibus Iapygiam obnoxiam fore,quod probauit euentus.Hinc etiam factum,vt quæ Bernardinus conſilia dediſſet,ea ſic rationi congruerent, ac ſederent ſapientium animis, vt ijs tanquam æquiſſimis illicò intelligentia acquieſceret, omnemque ex animo dubitationem, & ſcrupulum vellerent, quod plures, ijque viri longè grauiſſimi teſtati sũt. Neritanus quidam ludi magiſter in erudiendis pueris ita inanibus conſcientiæ ſcrupulis, ac ſuſpicionibus agebatur, vt quieſcere nullus poſſet. quare Bernardinum conſuluit;cui ſenex imbuendæ ritè iuuentutis precepta quædam cum exaraſſet,atque ille in omnem vitam amplexus eſſet, omnibus ſeſe in poſterum ſcrupulorum moleſtijs leuatum ex toto ſenſit. Medico etiam Neritano, cuius paulò ante religione quadam animum liberauerat,qua ſe dies, noctesque vrgeri ſenſeſerat, adeò vt ne doctiſſimis quidem viris poſſet acquieſcere, huic, inquam, Bernardinus rationem tractandæ cum pietate artis edixerat, qua ille vſus ſucceſſiſſe ſibi poſtmodùm omnia teſtatus eſt. quod ipſum aliqui, qui eodem à confeſſionibus vtebantur, experti ſunt: à quibus reſcitum eſt ſibi,cum interdum peſſimi veteratoris artibus tentari,vrgerique ſentirent animum,adito,conſultoque Bernardino omnem è veſtigio tumultum mentis facili negotio eſſe compoſitum.

Lupienſi Collegio Rector præficitur Bernardinus. Caput XXIV.

INterim,cùm his Bernardini laboribus Societatis vbiq; fama ingens ſecundo rumore increbreſceret,ſatis iam Lupienſe Collegium,& annuis redditibus, & operarũ numero coaluerat. quod vt in ſpiritu etiam maiore in-

cremento proficeret, viſum eſt Generali Aquauiuæ ex ipſius collegij corpore Bernardinum illi præficere. igitur in exitu anni milleſimi quingẽteſimi nonageſimi quinti Rectorem Realinum creat, qui muneris, cui iam deſtinabatur, factus à Generali ſuo certior, ſtatim detrectare prouinciam, datiſque ad Aquauiuam literis, plura in medium afferre, quibus non eſſe ſe ferendo oneri dictitabat. cæterùm ille difficultate non tàm ex imbecillitate virium (quod ſenex afferebat) quàm ex animi modeſtia, ac ſubmiſſione honores ſedulò detrectantis, prouenire ratus, in ſuſcepto conſilio perſtitit. paruit itaque maiori imperio victus Bernardinus, atque vbi primùm Rector eſt renunciatus, Collegis in domeſticam concionem euocatis, cępit apud illos de religioſi moderatoris officio dicere, nempè quàm ſeſe amanter in ſuos. quàm ſuauiter is, qui præeſt, gerere debeat, atque idipſum ex ipſis noſtri inſtituti legibus luculenter oſtendere, vt hac paternæ beneuolentiæ ſignificatione, & cęteris animos faceret, & ſeipſe certo amoris authoramento iam inde ab inita præfectura obligaret; quod poſteà reipſa longè cumulatiùs præſtitit, quàm tùm verbis, & oratione promiſerat. Etenim, ſimul ac vacare muneri ſuo cępit, ratus ſe aliorum commodis eſſe prępoſitum, frequenter ad ſe è collegis modò hos, modò illos accire, atque inſpicere diligenter, an veſtibus ſatis commodis vterentur: rogare ſedulò, ſi quid opus eſſet, nec raró ſua impertire, ſeque ſuis, quibus vtebatur, veſtimentis exuere, quò aliorum neceſſitatibus obuiam iret, & vbi res poſtularet, nullis ſumptibus parcere. Adiutor laicus, & ætate, & viribus integer thoracem, quo ſibi aduersùs Autumni frigora maturè conſuleret, Rectorem efflagitauit, ſed cùm domi ad manus ſarcinatori non eſſet, Bernardinus & ſenex, & imbecillus ſtatim ſuum ſibi exuens fratri dedit. Alius itidem laicus Lupijs diſceſſurus galericulum, quo caput mu-

muniret popoſcit; huic verò Bernardinus ſuum pariter, quo tunc vtebatur demptum capiti benignè conceſſit, nec continuò ille contentus, inſtitit leuiculum eſſe, nec in hyemem ſuffecturum quare ſtatim craſſiorem alterũ addidit, quem ipſe quòd per hyemem frequenter epiphora laboraret, capiti induebat. Alij cuidam etiam ex domeſticis adiutoribus cùm tritam tunicam ferret, ſuã aliquantò meliorem dedit, ac ſibi à veſtiario vnam aliquam,qualemqualem ex ijs,quæ domi ſupererant afferri iuſſit.Cuidam verò thoracem goſſipinum expoſcenti ſubridens rogauit,ecquid nõ panneum mallet? quo ſcilicet contra vim frigoris meliùs haberet, cùmque ille parcere ſe impendio velle dixiſſet,at enim,tuum eſt, inquit Bernardinus,quorum indiges me monitum facere, quanti autem veſtias videre,meum: ergò ad veſtiarium adi,& thoracẽ panneum expoſce,& ſi opus fuerit,etiam pretioſiorem dabo. Iam, quæ in domeſticos vſus parabat,vt vinum,aut frumentum,cæteraque id genus cibaria,ea,quò innoxia forent,talium rerum ſcientibus viris antea in examen dabat.idem in Domini vinea laborantes mira charitate fouere. quare ſi quis aut concionem habuiſſet,aut ſcholaſticis diſputationibus nauaſſet operam,aut aliquid eiuſmodi extraordinarij laboris,& operæ impendiſſet,vnde cæteri confirmarentur,tractare benigniùs, eidemque qua poterat omni ratione blandiri peramanter conſueuerat;laudare etiam verbis magnificis, vt laudata virtus creſceret. Quanta autem ægros charitate cõplexus ſit,dici vix poteſt; nam,præter quàm quòd ſuprà duodecies, aut quindecies in die inuiſebat, prætereà, quæ medici imperaſſent, ea tempeſtiuè prouidere, neue hora elaberetur,arenarium horologium vertere:iam ſi quid nocte intempeſta opus eſſet,ſocium valetudinarium cubitum dimittens vigilabat ipſe, quod factitabat etiam interdiù,ſi quandò curatoris opera aliò

diſtracta, ægris præſtò eſſe non poſſet: ad hæc manu ſua menſam ſternere, atque è coquina cibos aduehere, & haurire frigidam è ciſterna, lectulum componere, ad ipſa etiam excretæ fæcis purganda vaſa deſcendere; ſcopis cubiculum conuerrere, demùm omnis ad hilaritatem compoſitus feſtiua aliqua narratiuncula è pijs hiſtorijs petita ægroti animum ſubleuare, atque hæc ſynceri amoris argumenta in eos potiſſimum propenſiùs oſtēdere, à quibus mali vis acerbiorem ſenſum doloris expreſſiſſet. Fratri cuidam non ſine magno cruciatu viuētem carnem circa pedem chirurgus malè cautus abſciderat, ipſe interim à tergo ſuſtinere laborātem, quàm molliſſimè affari, ſed cùm recrudeſceret vulnus, die quodam ſudato è Diui Nicolai oſſibus liquore conſperſit, crucíſque ſignum efformans ſanctiſſimi Antiſtitis opem depopoſcit, atque exinde ſiſti vlcus, & conglutinari facilè cœpit. idem, ſi cui ad ſanguinem vena eſſet inciſa, itare ipſe de noctu, vt exploraret an ſatis bellè vulneri faſciæ adhæreſcerent, atque in his germanæ charitatis officijs ita pollebat integris viribus, vt qui ceteroqui fulciendis greſſibus arundine vteretur, nihilominùs tamen, cùm hæc ageret, firmis cruribus ingredi nullo bacilli vſu, ac rursùm prorsùm curſare poſſet, planè vt cæterorum languor illi pro virium acceſſione eſſet. iam verò tam explorata Rectoris charitas ad labores obeundos veluti ſociam ſibi parem animi demiſſionem adſciuerat, ſic, vt alijs vacare iuſſis, omnium penè onera ſubiret ſolus. nec ſtatis ſolùm, vt moris eſt, ſed diebus propè ſingulis coquo præſtare operam, patinas, ollas, cæteraque id genus coquinæ vaſa proluere: ianitoris frequens explere vicem, Patres, cùm opus eſſet, in cubiculis ſuis accire, interdum fulloni vacare, vnàque cum illo ex ima officina ad ſummum ſolarium, vt explicarētur ad ſolem, plenos recentibus lineis calathos conuectare,

ctare,

ctare,aut certè vbi ille ſupernè conſiſteret, ipſe interim infernè, quò ſublimes ergatę eleuarentur, ciſtis ferreos vncos inſerere, ſępè etiam per hyemem ad communem focum, non ſine ingenti labore,ſcalis affecta iam ætate ſenex conſcenſis, ligna conuehere: interdum ęditimum agere,ac ſacrificaturis veſtes concinnare decenter,& cāpanum æs pulſare aliquandò, eaque obire omnia, quæ infimum, ac valentiſſimum quemque ſatis diſtinerent. ergò hac tanta demiſſi iuxtà,& amantis ſignificatione animi, ita ſibi omnium ſtudia deuinxerat, vt quam in gubernando rationem teneret,eam vulgò probaret omnibus,niſi ſi vnum,aut alterum exceptum eas, quorum ingenia ſanari minimè potuiſſe,vel hinc intelligas,quòd qui Bernardinum ferre refractarij non potuere, retrò demum ad ſæculum pedes, animumque conuerterint. iam inter has Chriſtianæ manſuetudinis,& paternæ beneuolentiæ notas,quemadmodùm ſupercilium omne procul aberat, ita etiam religioſæ diſciplinæ ſeueritas, quanta poterat maxima inerat. Et verò ad cuſtodiam legum domeſticarum iam inde,ex quo Rector eſt renūciatus adiecit animum ſedulò, vt ſubiectis ſanctiones omnes,ac leges,ſe præſide,ſartæ ſimul,ac tectæ haberentur.qua in re neque ſeni prudentia vnquam, neque animus defuit. ac principiò nihil ipſe in ſe admittere, vnde alij non ad virtutem proficerent, ſed arctioris diſciplinæ luculentiſſima exempla præbere omnibus: nihil ſibi relaxatum ex munere velle. cùm confeſſiones eſſent excipiendæ, præuertere omnium ſedulitatem, domeſtica munia diligentiſſimè obire,neque Rectoris prouinciam communi labori ſubterfugiendo obtentui vnquam habere. quare & accubantibus miniſtrare epulas, & anagnoſten agere,cæteraque id genus ſtrenuè curare, deindè quæ ſuis muneris eſſent,diligenter inſpicere,eamque ob rem dedit ſe ad eos codices peruolutandos aſſiduè,

in

in quibus maiorum ſanctiones continerentur, vt ſi quid fortè neglectum incurioſè inueniſſet,id continuò reuocaret ad vſum, eamque in his operam poſuit, vt, cùm poſteà prouincialis Bellarminus Lupienſe Collegium reuiſeret, omnia, quæ ſuperiore anno edixiſſet ipſe, executioni mandata,non ſine gaudio,profiteretur. Quòd ſi quid in re exequenda difficultatis interceſſiſſet, ſtatim ſe ad ſupplicationes, ac preces, vnde quid facto opus eſſet cęlitùs intelligeret,conuertebat:mox etiam per literas moderatores ſuos conſulebat,neque aggredi temerè quicquam conſueuerat:quò fiebat,vt illi ſub manu omnia bellè ſuccederent. Atque vt Bernardini ſedulitas, ac noſtrarum etiam legum, vel minimarum quanta ratio à moderatoribus haberetur facto aliquo poſſit intelligi, libet oppidò in experimentum rei vnum aliquod huc exemplum afferre. Sacerdotibus noſtris, dum habetur concio, excipiendis confeſſionibus interdicitur: hanc adeò legem Patres, cùm tantæ multitudini cæteroqui pares eſſe non poſſent, aliquantò negligentiùs tuebantur.id cum reſciſſet Prouincialis,vt legi caueret,id ne in poſterum fieret edixit. ſed videlicet parendum iterùm neceſſitati fuit. Id cùm videret Bernardinus, fuſis ante ad Deum precibus,Bellarminum tunc Prouincialem,& ſupremum ipſum moderatorem ordinis Aquauiuam conſuluit. ſed videlicet vterque in eadem ſeruandæ legis ſententia vnanimes perſtiterunt. cæterùm, ne nihil darent, inchoata tùm fortè ſacri myſterij iudicia peragi voluere; necnon cùm communis aliqua expiatio criminum per iobelęum eſſet indicta, aut, cùm naſcentis, ac reſurgentis Domini ferijs Chriſtiana gens ad homologeſim conflueret, hac omninò lege ſolutos eſſe Patres iuſſere: ergò his reſponſis inſtructus Bernardinus cæpit ſedulam operi manum adhibere, tantumque & exemplo ſuo, & frequentibus monitis inſtitit, quoad afflicta modò

dò lex rurſùm ſtaret, atque hæc obſeruatio aliquot annis tenuit, donec Generalis relaxandam omninò vim legis cenſuit ipſe, vt pijs confitentium ſtudijs, quibus ſatisfieri nulla alia ratione poterat, morem humaniſſimè gereret. Illud etiam ſolenne habuit Bernardinus, vt amantiùs cum ſuis ageret, nempè eorum erratis anteuertere, in eamque rem aliquandò omnibus rei cuiuſpiam agendæ ius, fáſque iubebat eſſe, ne quid iniuſſu ſuo contra mores domeſticos peccaretur. quare cùm æſtiuis diebus animaduerteret, ad captandum de nocte ſomnū frigida opus eſſe, fieri omnibus bibendi ante cubitum poteſtatem publicè edixit, addiditque, ſi quis, vt potum commendaret, prægustare aliquid cuperet, iubere ſe, eos, ad quos ea cura ſpectaret, petentibus aliquid bellariorum ſufficere. hæc verò res inde ortum habuit. Animaduerterat nonnullos, nullo metu legis gelidam perpotare: hos, vt amanter corrigeret Pater, recitari iuſſit è pulpito in libello deſcriptam noxam horum innoxiā (ſic enim, vt rem eleuaret, appellabat ipſe) quòd iniuſſi heſterna luce frigidæ hauſtum compotauiſſent; mox in eadem formula addidit, id non illis vitio vertendum, ſed Bernardino, cui ſuccurrere debuiſſet per æſtiuos calores noctem ſine potu traduci minimè poſſe. igitur ob eam rem indictam eſſe Rectori mulctam, vt ſemel in medio cęnationis poſitis genibus pſalmum quinquageſimum recitaret: demum ita rem concluſit, vt diceret ſe veniam errati petere, ſimulque factam omnibus velle ante ſomnum ſemel potandæ frigidæ poteſtatem. Interdum nec rogatus alicui rerum gerendarum poteſtatem faciebat ipſe, cùm id ita è re fore exiſtimaret. denique tam facilis eſſe vt nihil vnquam, quod modò religioſi moris fines paterentur, petentibus abnueret. idem rurſus, cùm ea, quæ poſtularentur, nihil aut rei publicæ, aut ipſis profutura crederet, & ſeuerum ſe, & inexorabilem præſtitit.

ſed

ſed plerumque adeò poſtulatis abnuebat amanter, vt ijs, qui talium rerum cauſa ipſum adijſſent, ſuperuacanea quærere priùs oſtenderet, dein tanta comitate negatam facultatem condiebat, vt quamuis ſe exorari non ſineret, pacatos tamen ab ſe, tranquilloſque dimitteret. Laicos adiutores ad ſe interdum accitos ſolebat legum rationem repoſcere, ab ijſque diſciplinam exigere; explanare ſi quid obſcurius in legibus non intelligerent, aut ſi quid in re molienda incidiſſet arduum, quò illis præſcripti iuris cuſtodia ſub manu eſſet, ſternere iter, atque expedire, aut præſtanda ope, aut remiſſum aliquid legis dando. vbi verò ius vnum aliquod è multis neglectum cuipiam, ac violatum vidiſſet, quemadmodùm id impune reo eſſe non patiebatur, ita in irroganda mulcta nemo vnus illo amantiùs agebat. Etenim aut remouere omninò ab reo culpam, aut certè eleuare, lapſum hominem errore humano imprudenter dicere; interdum bono quidem certè animo factam, ſed rem nihilominùs in ſpeciem contra ius factam videri: narrare etiam interdũ ad hominis laudem egregium aliquod eiuſdem facinus; immò & recitari iubebat è ſuggeſto, quod alij ſibi tanquã exemplar ad imitandum proponerent: interdum ſolo crimine, tacitis tamen authoribus euulgato, ſuos in poſterum à violandis legibus abſtinebat. atque in hunc modum, & domeſticæ diſciplinæ, & peccantium pudori pariter conſultum ibat. iam ſi quem interdùm ſubitò, atque improuiſus in errore deprehendiſſet, contentus verecundia, nihil pœnarum addebat ſuprà. ergò hanc tantam morum facilitatem demirati Patres mirum quanta erga Rectorem ſuum beneuolentia afficiebantur, adeò vt omnia æqui, bonique conſulerent, certi nullam ſibi à Bernardino mulctam niſi cum amore coniunctam imponi. Maioribus itaque in dies virtutum incrementis proficere, ac ſi quid in moribus corrigi fas eſ-
ſet;

ſet, id tanta moderatoris charitate pellecti emendare ipſi ſtudebant. quòd ſi vel in hac tanta lenitudine aliquis indictam ſibi mulctam ſubire contumaciùs recuſaſſet, ipſe aut in aliam diem pęnam proferre, aut etiam maioribus beneuolentiæ notis ferox ingenium emollire, ac ſubigere ſtudebat. Laico cuidam ob contractam noxam, ſibi vt in publico tergum flagellis cęderet, imperauerat: at hoc ille tam ægrè tulit, vt domum querelarum impleret, ac publicè obloqueretur. quod cùm reſciſſet Bernardinus, ne medecina intempeſtiua malo ipſo nocentior accideret, iuſſit hominem mulctæ ſecurum agere: cæterùm ſero diei cum in cænaculum conueniſſent, conſecrata iam ſolitis precibus menſa, proceſſit Rector in medium, accitumque ad ſe hominem, peramanter amplexus, ab eodem, exhibitæ moleſtiæ veniã, enixè eſt deprecatus. quæ viri charitas, & lachrymas multorum excuſſit, & multò ille melius ad virtutem tanta Rectoris ſui manſuetudine, quàm incuſſo pęnæ metu profecit.

Paratis cælitùs epulis recreat ſuos. *Caput XXV.*

NEc verò frequentibus hiſce, atque vſitatis ſolùm, paternæ beneuolentiæ argumentis, ſed nouis etiam quibuſdam, & celeſtibus delicijs fouebat interdùm ſuos. quo in genere libet huc afferre, quod in ſocios quoſdam præſtitit cùm ipſe aliquãdò domi præeſſet. quanquam enim de tempore non ſatis liquet (ſępè enim aliàs pro Rectore fuit) non erit tamen ab re hic referri; quòd ſi minus tempore, materia certè, & argumento non diſſidet. Præerat igitur toti Collegio aliquãdò, cum per æſtiuos calores domeſtici adiutoris animũ

cupiditas ſubijt, vnà cum ſodalibus ſuis proximos vrbis pomario hortos animi cauſa matutinis horis inuiſere, quare Bernardinum, vt huius ſibi rei poteſtatem faceret, maturè adijt. Enimuerò non eſt viſus ſenex ſtatim annuere, ſed præter morem crebris hominem interrogatiunculis fatigare. ſed tādem facta eundi poteſtate, compotem voti dimiſit. illud verò ſeuerè cauit, non modò vt ne quid ad ientandum ferrent (quod ipſi cogitauerant) verùm etiam, vt ne gelidam quidem loci libarent. Et ſanè abhorret à moribus noſtris hæc tanta in imperio ſeueritas, à Bernardini verò facilitate, & ingenio longè alieniſſima ſemper extitit. quare aliquid iam tùm agitaſſe ſenem ſuſpicari facilè eſt. eunt igitur, vt conuenerat, ſocij, iamque vix in pomarium pedem intulerant, cùm ecce tibi è veſtigio adeſt nuncius, qui Bernardini verbis manere iubet in loco, ac prandium inibi opperiri. Parent igitur hilares, alteraque iam hora circumacta adsũt adoleſcentes quini, nunquam illis antea viſi, qui adornando conuiuio epulas ſanè conquiſitiſſimas attulere, ac traditis omnibus abeunt. nec longè ſeciùs ad veſperá ex Bernardino iterùm nuncius eadem pro cena imperat, nempè ne diſcederent, ſed inibi repotia expectarent. nec fruſtrà habiti, etenim haud ita multò poſt adoleſcētes à prioribus alij cenam, & hanc liberalem afferunt, obſonio etiam diuerſo. igitur exacta iam die, cùm domũ benè curati reueniſſent, ſtatim is, cui Bernardinus relaxandi animi facultatem fecerat, rei nouitate attonitus, ad ſenem adit, etiam atque etiam rogat, vnde illis tam apparatè, & opiparè obſonauerit, nũquam enim, inquit, in omni vita tàm delicatè habiti ſumus: at Bernardinus ſubridens, ſatin hilarè? inquit; annuenti, atqui id vnum ſatis habe, reſpondit, nec ſuprà labores ſcire: enimuerò tantò ille auidius perconctari, inſtare, denique poſitis humi genibus, per Dei Matrem, inquit, obſecro te Pater, ob-

obteſtorque,vt hunc mihi morem geras, polliceor enim id apud me tacitum habiturum: ad ea ſenex,id ſi me viuo nunquam in vulgus efferes,rem aperiam,cùmque id ille facturum ſe recepiſſet, age, inquit, ſcito vobis à Deipara Virgine prandium iuxtà ac cœnam miſſa eſſe, nec quicquam addidit ſuprà. quo quidem ſatis explicauit ſe, & rei geſtæ fuiſſe conſcium, & Angelorum miniſterio vſum,quo tam liberaliter ſuos, & amanter acciperet.

Qua ſe cum exteris ratione geſſerit Rector: *Caput XXVI.*

HÆc interim domi cum ſuis dùm ageret, non neglexit exteros foris,ac primò quidem inito magiſtratu ſodalitates ſanctiſſimæ Virginis, quas in Lupienſi Collegio plures memorauimus,inuiſens,ſocios Parthenios omnes ad virtutem pijs adhortationibus impulit, ſeque eorum commodis,quantum vires paterentur,paratum ex animo obtulit, ac ne vnus non ſufficeret omnibus, ſuos etiam ad eorundem ſalutem procurandam ſtrenuè animauit: mox eos, qui in valetudinarijs publicis male habebant,inuiſit, & in cuſtodijs habitos adijt, vt confeſſiones exciperet, & ſolatio aliquo, mœrore afflictos erigeret. Ad hęc iubebat ſuos interdum in compitis conciones habere, & frequentem populum ad templum deducere,in quo concionem excipiebat ipſe,ac præclariſſimis monitis inſtructam dimittebat. In ſacris etiam vrbis ædiculis Chriſtianæ fidei rudimenta pueris tradere, ſępè verò Patres ad caſtella dimittere, vt pagos habendis cum fructu miſſionibus luſtrarēt:demũ quò alijs prodeſſent,nec ceſſantem,nec deſidem ſuorum virtutem vllo vnquam tempore patiebatur. iam in peregrinos adeò effuſus, vt nihil piæ ſedulitatis omitteret,

qua illos benignè iuxtà, & amanter exciperet, neque dimittebat vnquam, quamuis diuturniore hoſpitio curā non mediocriter augerent. pari in egenos beneuolentia, vt penè omnium omnibus neceſſitatibus præſtò eſſet. nunquam enim non ope aliqua, & ſupra quàm poſtulaſſent, aditutos dimittebat, quà cibo, quà veſtibus, quas ſibi detractas interdum poſtulantibus dabat. Ianitori idem edixerat ne cuiquam ſtipem roganti negaret. Æditimum ſeruare cibarium panem iuſſerat, vt haberet ad manus vnde egenis ſuccurreret. & fuit cùm ſexies vna die, vt inopes aleret, à piſtore coquēdis panibus furnum incendi iuſſit. quòd ſi quis perire domi rem familiarem tantis largitionibus diceret, enimuerò geſtire ipſe, & illud rurſus obijcere, eum, qui bonum, & commodum ſibi Deum habere vellet, oportere indigentibus benignè facere. quare ſemel ſaltem in hebdomadas ſingulas in cuſtodijs detentos pane, pulmentoque alebat, atque, vt vnde in plures efflueret, plura etiam in egenos benignitatis huiuſce capita eſſent, liberam erogandæ ſtipis in proximos poteſtatem faciebat ſuis. Nonnullis etiam Sacerdotibus domi ſenioribus ius, faſque volebat eſſe, vt è communi pecunia, nonnullorum, quos pudor, & rei familiaris inopia publico abſtinebat, difficultatem leuarent. ſæpè honeſtiſſimis fœminis, aut nummos, aut domeſticam ſupellectilem dabat, quibus illæ, mulieres inopes, ac nobiles clàm iuuarent. denique adeò cognita omnibus Bernardini charitas, & munificentia erat, vt, cùm illum præeſſe domui inopes ſcirent (præfuit autem pro Rectore non ſemel) geſtire ipſi, ac debacchari lætitia viderentur. Animum etiam ad Scholaſticorum culturam appulit, vt non ad pietatem minùs, quàm in literis, ſcientiaq; proficerent. quare illos frequenter de peccatis confiteri iubebat; neù quid à quopiam peſſimo publico turbaretur, prouidebat attentè. Poſtulatus eſt apud ipſum adoleſcens

leſcens nobilis ſcriptionis neſcio cuius, qua condiſcipulos traduxerat, ſed ne quid temerè in illum ſtatueret, quæſiuit à multis an is re vera famoſi criminis author eſſet, iamq; omnibus ipſum illum affirmantibus, è gymnaſio abire iuſſum dimiſit, neq; vllis precibus adduci potuit, vt in gratiam reciperet, donec quæſtione iterùm de re habita, cùm expertem criminis non dubijs argumentis reperiſſet, reuocauit ipſe, atq; vt inuſtam nomini notam obliteraret, innoxium publicè dixit, ac magiſtro ſuo reddidit.

Bernardinus Lupijs compluries auocatus, manifeſto Dei Numine nunquam potuit diſcedere. Cap. XXVII.

IAm ſe ab inito Bernardini magiſtratu ſpatium annum, menſeſque ſex circumegerant, cùm eius mira in gubernando prudētia, & charitas ſupremo ordinis moderatori Aquauiuæ perſpecta effecit, vt hominem prouinciæ digniori præficere cogitaret: hoc adeò quò faciliùs præſtaret, veritus ſcilicet viri modeſtiam honores conſtantiſſimè detrectantis, ſcribit deſtinaſſe ſe illum cęlo ſalubriori, quò melius haberet. & erat ſanè plaga illa Salentina, cœlumque Lupienſe, vtpotè nimis tenuè, ſeni diſtillationibus laboranti noxium. Lectis literis Bernardinus ſtatim acquieuit ita rem fore ratus, vt ſolum ſcilicet valetudinis cauſa tantummodò verteret. neque ita multò poſt, cùm nouus Collegij Rector aduenisſet, prouinciam ſucceſſori libenti animo tradidit, ſolutuſque regendi onere cępit de diſceſſu ſedulò cogitare. cæterùm abire parantem vſitatum iam diù, & multoties expertum impedimentum intercipit, aduerſa ſcilicet valetudo; quod, vt intelligatur, apertiùs rem paulò altiùs

altiùs repetam. Lupienſe Collegium iam inde à primis exordijs laborare cępit inuidia multorum, qui nos, ac noſtra pariter exoſi, tanta florere nos apud bonos ciues gratia pati minimè poterant. Iam, qui nos perditos volebant, ij & potentes oppidò, & factioſi homines erant. verùm, cùm ſuperſtite adhuc in vrbe Realino nihil auderent, iactabant fore, vt ab eius diſceſſu ſumma opum vi niterentur, quo Lupijs ſocij pariter omnes eiecti poſt illum diſcederent. ſed videlicet Dei prouidentiâ perditorum hominum ſpes, & conſilia fruſtrà habuit, nam neque quoad vixit Bernardinus (vixit autem in vna vrbe duos ipſos, & quadraginta annos) Lycio vnquam pedem extulit, neque ab eius obitu ſocij quicquam moleſtiæ paſſi. Et ſanè ne Bernardinus Lupienſem ſtationē desereret, multis argumentis liquidò ſe Dei voluntas prodidit, prorſus vt ad vrbis illius, immò ad totius oræ Hydruntinæ commodum datus ſingulari eiuſdem Numinis beneficio videretur. Etenim ab vrbe illa ſępè maiorum imperijs aliò euocatus, ad hæc tertio quoque anno, vt Neapoli prouincialibus comitijs intereſſet, diſcedere etiam coactus, nouis repentè, quominus ſeſe in viam daret impedimentis ſubnaſcentibus Lupias deſerere nunquam potuit. Biennium ferè Lupijs exegerat, cùm moderatorum iuſſu Neapolim cogitans abeundi veniam, nec ſine lacrymis ab amicis extorſerat, qui vt abeuntem officij cauſa proſequerentur, ad ædes noſtras matutino conuenerant: verùm, quem iam equo inſidentem inuenire ſe exiſtimauerant, affixum lectulo, & febri laborantem reperiunt. eratque mali vis adeò vehemens, vt de exitu medici ambigerent: quo factum, vt abeundi conſilium abijceret. eadem morbi vis iterùm iam equitantem intercepit, diſcedens enim paulò plus ducentos ab vrbe paſſus confecerat, cùm febri repētina correptus declinare tantiſper de via ad hortos Oliuetanæ familiæ co-

coactus eſt, atque indidem in vrbem reuerti vt conualeſceret; fuitque cum morbo conflictatus in lecto pluſculos dies. & verò fuere hic nobiles fœminæ,quæ ſe dicerent hoc à Deo precibus impetraſſe,vt Bernardini iter auerterent. Aliàs abeunti cęli tempeſtas obſtitit; iam enim penè in equum aſcenderat, cùm ecce tibi atra nubes diem eripere, tantaque vis imbrium cępit ingruere, vt intra tecta continere ſe tunc quidem ſatis habuerit. cæterùm poſt aliquot dies reddita cœli ſerenitate,abire iterùm tentat, ſed iterùm turbare cœlum, & ſeda tempeſtas inhorreſcere, ac tàm diù ſpiſſæ nubes pulſare ſolum effuſis imbribus, donec abeundi opportunitate corrupta, parendi neceſſitas à moderatoribus nulla eſſet.Interdum à publicis vrbis magiſtratibus ſeuerè cautum, ne quis abeunti locaret equos. verùm hoc non continuò ſenem eſſet remoratum quin ſe pedes in viam daret,niſi febris acceſſiſſet, quâ victus deſiſtere ab incępto neceſſe habuit. Anno à Virginis partu MDLXXIX. ab Euerardo Mercuriali, qui tunc vniuerſo ordini præerat, omninò Romam petere, vbi Præpoſiti vices teneret, eſt iuſſus. & quoniam Generalis intercipi abitum morbo ſępè intellexerat, edixit, vt ſi quis etiam tùm forte incidiſſet,expectaret donec conualeſceret, ac mox refectis viribus,ſtatim ſeſe daret in viam. igitur Bernardinus parendi cupidus,iam in procinctu ſtabat, ſed proxima ſuſcipiendo itineri nox inquieta ſenem lectulo afflixit; febri etiam tentari cœpit,ſic, vt vetarent omninò medici ad iter aggredi. quod cùm Euerardus reſciſſet,perſtitit adhuc in ſententia. quare nihilò melius habere Realinus, ſed tàm diù diſtineri morbo, quàm ille diù nihil de imperio remitteret, quod quidem octo ipſos menſes tenuit, donec tandem Generalis cognito ſe non tàm pugnare cum morbo, quàm luctari manifeſtè cum Deo, manere hominem iuſſit, quod cùm æger reſciſſet,

ſciſſet,quaſi ſubducta morbi materia, repentè cõualuit; iamque adeò teſtatum omnibus, exploratumque erat Bernardinum à Deo Lupienſibus datum, vt ſi quandò poſtmodùm illi diſceſſum moderatores imperauiſſent, medici cum ioco,ſed verè dicerent,enimuerò iubent te maiores tui,Pater,lectulum ſternere,& febrim opperiri. Hanc verò ille moram æqui, bonique conſulere ſolebat, vel ex eo, quòd hac præſertim ratione honores ſubterfugere,ac ſubducere ſe hominum famæ,& exiſtimationi credebat.

Quid in excipiendis geminæ Irenes V. ac M. reliquijs geſſerit Bernardinus. *Caput* XXVIII.

LVpiæ in ſanctiſſimæ Martyris Irenes Theſſalonicenſis Virginis fide, & clientela potiſſimùm gloriantur. Anno igitur à Virginis partu MDCIV. aduecta Lycium ex vrbe Roma ſeruatricis egregiæ lipſana,noſtri homines, & excepere cultu magnifico, & carminibus plurimis celebrata in argenteo ſigno affabrè elaborato compoſuere. Templum item quà emblematis, quà ſcriptionibus, quà aulęis diſtinctum eidem Virgini concinnatum egregiè eſt. Interim, dum hæc aguntur, non defuit pijs laboribus, & ciuium ſuorum ſtudijs, quibus excipiebatur, manifeſtum eiuſdem Virginis patrocinium;etenim vt acceptam ſibi Lupienſium, & Noſtrorum operam oſtenderet,repentè nouum ex oſſibus, & inuſitatæ ſuauitatis odorem afflauit. At Bernardinus in communibus hiſce ciuium ſoſpitæ ſuæ gratulantium officijs, ne aſymbolus ageret, deſiderari partes ſuas minimè voluit. itaque ergò & excepit patronam hilarè, & miram reliquiarum fragantiam carminibus celebrauit.

ſed

ſed rependit illicò vati,atque hoſpiti ſuo gratiam Irene, etenim dùm ille Virgini ſtylum exercet, ecce tibi inter ſcribendum ceca quadam corporis luce ſenem iam annis quatuor laborantem,Irene, ſordida ſtatim diſcuſſa peſte,ſanitati reſtituit, quod ipſum nouis carminibus ſic cecinit Bernardinus:

Solus ego,fateor,morbi ſum conſcius,annos
Quattuor,vnde mihi ſordida facta caro eſt.
Dum verò ſacris Irenes nuper odorem
Oſſibus infuſum cælitus ipſe cano,
En impura lues nullo medicamine fugit,
Munda cutis pueri viſa referre cutem.
Hoc facis Irene,noſti hæc quæ cuncta videntem
Virgo beata vides. vera tacere nefas.

Neque in cognominem Virginem minus officioſus, ac pius, nam cùm poſt aliquot annos ædes noſtra Lupijs alterius etiam Irenes Virginis item,ac Martyris corpore aucta eſſet, Bernardinus egregiam in excipienda Virgine operam præſtitit. etenim cùm anno labentis ſæculi nono Roma cognominis item Irenes corpus Lycium eſſet allatum,id vt pro dignitate componeretur,Illuſtris fœmina Catharina Aquauiua Nucenſium Dux magnis ſumptibus, & eleganti artificum opera induſtriè elaboratum conditorium cryſtallinum, argento bellè diſtinctum Patribus dono dedit. igitur vt ſacrarum reliquiarum theca in ſacello collocaretur, quod in æde noſtra opere Corinthio affabrè elaboratum viſitur, ſolennis ſupplicatio eſt indicta. Præerat fortè id temporis Collegio Prorector Realinus,qui affecta ętate iam grauis,excipiendæ Virginis curam Patribus demandauit, neque illi ſegniter ad rem aggreſſi.Interim dùm pompa ſolennis adornatur,prætor Aquauiua Nucenſium Dux tàm graui morbo diſtineri cęptus, vt in extrema iam vitæ alea laboraret. id adeò ne rem turbaret,Bernardinus ef-

fecit, qui decumbentem grauiter Ducem noctu conuētum peramanter amplexus, ac deoſculatus, age, inquit, quoniam Irenes Virginis lipſana ſolenni pompa per vrbem in ædis noſtræ ſacellum ſunt exportanda, & te Virginem præſentia tua cohoneſtare addecet, iubeo te in lecto non eſſe diutiùs; cras itaque præſcriptam tibi à medicis potionem hauri (obfirmauerat autem animum Prætor ne biberet, multis anteà periculis certus illam ſe nauſeante ſtomacho reddere) ſiuè enim tibi illa proceſſerit, ſiuè reiectum eas, ſtatim nihilominus conualeſces, ac feſto diei integer, ac lætus intereris. Prætor Realini verbis confirmatus paruit, & quanquam hauſtam medicorum potionem ſtatim reuomuiſſet, tamen ita repentè conualuit, vt ſupplicationi intereſſet, ac Martyris corpus piè iuxtà, atque officioſè comitatus ad ædem noſtram deduceret. Et verò tanti viri præſentia non leue operæ pretium fecit, deſcriptos enim Neapolitani Regni milites, qui ad pompam ordinati conuenerant, de loci dignitate inter ſe infenſis odijs digladiantes ſua ipſe authoritate, ac nominis maieſtate compeſcuit. ergo ſeditione compoſita, inſtituta ſupplicatio longo ordine per medium vrbis incedere, ad eam verò vrbis Antiſtes, & Canonicorum Collegium, ac totius Cleri reliqua multitudo confluxerant. Iam ciuium frequens turba ad ſpectaculum effuſa ſacro corpori præſtò aderat, atque ad templum proceſſerat, cùm ecce tibi pro foribus mali dæmonis arte nouum, ac periculoſum de repentè excitatum diſſidium eſt. Inter prætorianos enim, & militem quendam legionarium neſcio quid turbarum exoritur, eductiſque vtrinque gladijs ſpectare res ad ſanguinem videbatur; enimuerò non dùm comperto quid ille ſibi tumultus vellet, alij ferrum ſtringere, inermes alij terga vertere, denique ingens hominum vis in re ſubita trepidantium, atque in anguſtis templi foribus ſeſe inuicem

col-

collidentium ancipitem rei exitum fecerat.ſed re cognita Bernardinus accurere, arundineque, qua nitebatur ingrediens, tanquam ſigno pacificationis erecto, & fauſtum pacis nomen Irenen inclamans,ſeſe in medium repentè proripuit, turbamque omnem ex facili ita compoſuit, vt è veſtigio poſitis odijs, tectiſque vagina gladijs,ad officium omnes, pietatemque ſine vllo metu redierint.

Bernardinum grauiter è ſcalarum prolapſione afflictum, viſis illuſtribus Chriſtus recreat. *Caput XXIX.*

INter hæc actuoſæ ſedulitatis officia Bernardinus octogeſimum ætatis annum attigerat,iamque ſenem cætera valetudinarium, vires & ſenecta ætate,& laboribus attritæ,in totum penè defecerant;nam præterquam quòd epiphora laborabat aſſiduè, ſępè etiam affixus lectulo diù cum morbis,& iniqua valetudine conflictauerat. Ad hæc in omni vita ſuſceptæ vltrò afflictiones, & inediæ,& ſtudium precationis acerrimum vſque eò corpus ſuaptè ſponte inualidum macerauerant,vt iam inde ab quinquageſimo ætatis anno ſuſtinendis greſſibus illi arundine opus fuerit.neque bacilli vſus offenſiones omnes, & caſus ſeni defendit quin ſępè fallente veſtigio lapſus,nunc pronus, aliàs ſupinus ſolo ſenile corpus afflixerit non ſine graui colliſione membrorum; verùm animo ſemper erecto,atque hilari,& quidem in reliquis caſibus res illi ſemper intra metum, ac periculum ſtetit. Verùm, quod anno MDCX.ad V.Non. Martij ſeni accidit,adeò periculoſum iuxtà, & graue infortunium fuit, vt è domeſticis ſcalis prolapſus exanimis,& exanguis iacuerit humi diù;mox longè diutius in lectulo medentiũ

ferrum,& vulnera experiri operæ fuerit.Hoc adeò ita ſe habuit. Fortè ſe in cubiculum è templo poſt expeditas homologeſes iam inſtante concione receperat, & in regreſſu, quò maturiùs ad concionem rediret,citatis greſſibus, cùm ad ſcalas perueniſſet, ratus in firmo ſolo ſe pedem figere,inani veſtigio falſus,lapſuſque per gradus, frontem adeò grauiter alliſit ſolo, vt è veſtigio ſopiretur.interim ad ruentis ſonitum exciti Patres accurrere, ſenemque offenſo capite,animo, ſenſibuſque defectum conſpicati,ſanguine etiam ſuo innatantem inuenerunt. fluebat nimirùm is vbertim è naribus, geminoque de vulnere,altero,quod in ſupercilio dextero, altero, quod hiabat ad mentum.ergò ſublatum in lecto collocant,ac ſtatim medici duo præſtò adſunt. inter hæc rumor ad concionem effluxerat.quare vt in re trepida,accurrere omnes;Prætor,& cum eo vis mortalium ingens aduolãt, ſenis caſum miſeraturi. itaque ſtipare ſeſe,& ad cubiculum pergere, iam cùm natare pauimentum ſanguine cernerent, certatim poſitis genibus haurire linteolis cruorem,ſolum ipſum abradere, & puluerem illum ſanguine ſenis infectum ſeruare ſibi. qui verò ſeſe in Patris cubiculum penetrauerant,ſtatim quicquid in eo ſupellectilis erat, depopulati, hi zonam, hi pileolum,illi precarium Virginis ſertum, alij expreſſo è vulneribus ſanguine ſudaria,aut abſciſſas telę lacinias inficere,demùm quicquid ſeſe dediſſet ad manus rapere. Interim chirurgus glutinando vulneri ſutura oras iunxerat,aciamque cruore fœdam cum acu prætor,qui laboranti aderat,ſibi habere voluit; ſed reliquum fili neglectum cùm proieciſſet,adoleſcens nobilis, cui Roberto Antolliettæ nomen, piè ſublatum, tumidis faucibus,quibus laborauerat diù,admouit, atque ita illi repentè reſedit tumor,vt planè conualuerit. Interea reſipuerat Bernardinus, ſibique faſcijs obuolutum os,ac bene tunſum, ac tumidum

ſen-

ſentiens,nihil ingemere,aut queri, ne tùm quidem, cùm chirurgus quotidie retractaret vulnera,purgaretque, & ſaniem exprimeret.quin etiam cùm ſemel,atque iterùm collectum pus in ſinum,tumorem feciſſet,incidique cutim pretium eſſet vt ſiccaretur,ſeni inter ſecādum adeò ſupra omnem doloris ſenſum animus fuit, vt multi crederent,eam,quæ ferro abſcindebatur minimè viuam,ſed exanimem, & intermortuam carnem eſſe . ſed longè ſe opinione ſua falſos intellexere, cùm rogatus ſenex , ecquid illi doleret vulnus, pacatè, tranquilleque tangi ſe quidem dolore affirmauit . Cæterùm leniebat ſubinde acerbiſſimos ſenſus, quà anteactæ vitæ criminibus, quà Chriſti Domini cruciatibus frequenter animo recolendis, quibus ita afficiebatur, vt in pias lacrymas ſolueretur . Nec rarò (quod aliàs factitabat æger) ſuperioris ætatis noxas confeſſione eluebat, terque minimùm in hebdomadas ſingulas diuinum Euchariſtiæ myſterium obibat, vnde ſe (vt teſtatus eſt poſteà) confirmari ad tolerantiam mirificè ſentiebat.Chriſti verò Soteris cruciatus,doloreſque adeò frequens verſabat animo,vt amantiſſimus vindex non rarò ſe palàm viſendum Bernardini oculis dederit, diuinamque interdum cruciatuum ſuorum ſpeciem obijceret,ſanctiſſimæ Crucis in primis. Vigilabat fortè de noctu ante diem IX.Kal.Aprilis, cùm haud ita multò ante auroram viſum illi repente celum diſcedere, atque inibi pendentem è Cruce Chriſtum aſpicit,miro tamen, & diuino lumine circumfuſum: cuius aſpectu mirificè delectatus , mox ab eodem audijt Chriſtianæ fidei myſteria enucleari ſibi omnia tam apertè,vt non minus animo lucis,quàm oculis, aſpectuque conciperet. ergò morbi doloribus hac tam amabili rerum imagine releuatus , modò tam bellè ſibi infortunium caderet , offendere iterum , & affligere nouo caſu humi corpus optabat, ac nobile argumentum mox etiā

de

de lecto Italicis numeris comprehendit, viſionemque Petro Ioanni Schinchinellio Rectori enarrauit, Franciſco item Maſtrillo, qui vt illam ex ſenis ipſius ore ſublegeret, pio quodam aſtu hominem aggreſſus eſt; nefas enim dicebat videri ſibi, quod de Franciſca Romana ſanctiſſima fœmina legitur, nempe in illo ſempiternæ beatitatis domicilio pēdentem adhuc è ligno Chriſtum aſpicere, ſed Bernardinus id fieri poſſe ratiocinando pluribus primùm docuit, ac mox exemplo ſuo, cui ſimilis viſio obiecta eſſet, luculentiſſimo ſcilicet teſtimonio confirmauit. Neque ſemel, aut iterùm æger ſolatijs cęleſtibus eſt recreatus, in quibus non poſtremum locum illud obtinet, quo Aprili menſe eſt initiatus; etenim ſeni acerbiſſimos magni vindicis cruciatus animo de more agitanti, manifeſto in lumine Chriſtus apparuit, implexum capiti ſertum è vepribus geſtans, ac Bernardino propior factus, auulſam è ſacro vertice, ſed ſine cuſpide hebetem ſpinam, in languentis capite pangit, ac ſatin doleret, interrogat; at ille, minimè verò, inquit, quando & retuſa doloribus tuis, & ſine acumine nihil ſęuire amplius edidicit, ſed molliſſimo tactu adblandiri potiùs, & gaudium facere, dein obſecrat valetudinem proferret, quò tam benigna cęleſtium munerum vſura diutiùs frui poſſet. & ſanè ex tam amabili Numinis tam liberaliter ſeſe in eius animam infundentis commercio nihil ille pęnarum non tulit alacriter, ſic, vt curando corpori nihil, quod à domeſticis moribus abhorreret, paſſus ſit indulgeri. Medici vt aërem vulneribus noxium prohiberent, conopæum circundari lectulo iuſſerant; at Bernardinus delicatulè ſe haberi ratus, reluctatus acriter eſt; & Rector ne ingratum cogeret, minimè auſus eſt imperare vtique obtemperaturo. Illud etiam ferebat ægerrimè, ſi quis in res ſuas, tanquam in viri ſancti reliquias inuolaret; hìc enim mitiſſimus cætera, ſuccenſere, inclamare

mare ſtudium inane, non tamen hilum proficere. iam ita è Dei nutu pendere, nihil vt de vita, nihil de valetudine cogitaret, neque à medicis vnquam ecquid conualeſceret, interrogabat, immò ſi quis illi maturæ ſanitatis ſpem faceret, continuò hunc admonebat, religioſum hominem, & qui ſe Deo vouiſſet, totum ſe ad diuinum arbitrium conferre debere. Puri abigendo inciſuram chirurgus parabat, ſed interceſſit alter, parceret ori tàm probo, nec ſenilem vultum adeò ſpectabilem, turpiter inuſta vulneris nota fœdaret; ſed Bernardinus medicorũ diſſidium compoſuit, accitumque alterum ad ſe, repetita ab intimis diuinæ ſapientiæ penetralibus ſecreta edocens, an te, inquit, vnum amice fugit id qualecunque eſt infortunij, iam inde ab æuo ſempiterno prouiſum Numini eſſe? proinde quod recta curandi ratio poſtulat, ſecurus exequere: incide, ſcalprum adhibe, nihil moror, nec te oris iſtius reuerentia ſolicitum habeat, id enim vnum, quod eſt Numini placitum, tenendum omninò erit. Et verò tantam viri de ſe minimè ſoliciti, ſed pendẽtis à Deo ſecuritatem gratam illi, acceptamque fuiſſe, vel ex eo quiuis intelliget, quòd multis licet vulneribus inciſum os, nullam tamen vulnerum cicatricem præ ſe tulerit. Interim percrebuerat rumor periclitari ſenem ex vulnere. quare vrgere ſe quiſque vt communem patriæ parentem inuiſeret, cubiculumque ingreſſi, quod habere antea ſanus conſueuerat, cùm non inueniſſent, (alibi enim infirmus agebat) momento diripere omnia, ſic, vt ne tantulæ quidem ſupellectili parcerent, atque hìc egregia multa viri ſanctiſſimi ſcripta, & pietatis, & doctrinæ pleniſſima, conciſa minutim, vt pluribus pro reliquijs ſufficerent, non ſine poſterorum iactura interiere. Iam ad decumbentis lectum frequentes corradere omnia, vt ne panniculis quidem purè ſordidis, ſanieque ſuffectis abſtinerent, quos è medicorum manibus raptos

ſer-

ſeruabant cò libentiùs,quòd animaduerterant eos,quã-uis tabo luridos, nihil tamen illuuiem olere. Fœminæ verò aditu viri prohibitæ medicos linteolis benè inſtructos ad ægrum dimittere,vt integra,& recentia lina cum pittacijs vulnerum ſtrigmento illitis commutarent. Ad hæc expreſſi è vulnere ſanguinis ampullæ vitreæ plures cum cultu ſeruatæ, quarum vna Lupijs in ædis noſtræ ſacrario hodie quoquè liquenti adhuc,ac viuido ſanguine viſitur, Neapoli altera lectiſſimæ fœminæ, ac de noſtris hominibus optimè meritæ Lucretiæ Petrarolæ dono data,concretum diù ſanguinem tenuit, ſed aliquãdò ante aliquot, quàm Bernardinus oppeteret,menſes, anno ſcilicet milleſimo ſexcenteſimo decimoquinto iam exeunte,cùm in ſcrinio conditam de more reuiſeret,liquentem,& bullis aliquot tumidum cruorem conſpicata,ad rei nouitatem attonita,domeſticis primùm, mox etiam rumore ad exteros perlato, viſendam omnibus dedit. Acceſſit etiam ad miraculi commendationem odor, qui è vitro afflabatur ſuauiſſimus. Sanguis porrò hic,cùm annos plures à Bernardini obitu viuidus iuxtà, ac liquens perſtitiſſet, medici, quorum examini eſt ſubiectus,rem non vacare miraculo publicis tabulis teſtati ſunt,ac mox quaſi munere ſuo functus,quòd viri ſanctitatem liquidò ſanè probaſſet, concreſcere iterũ viſus.

Extremà Bernardini ſenecta. Caput XXX.

TAm importuna ſenis offenſio, & penè fatalis caſus ita hominem cætera vietum afflixerat, vt reliquũ vitę tempus ad ſedecimum ſęculi labentis annum minùs actuosè traduxerit,etenim accisis,& ſenio, & caſu viribus, longè enimuerò alius ab viuido illo, & ſedulo

Rea-

Realinus apparuit. igitur, quod à prolapſione cubiculum tenuit, id ad vſque obitum habuit, neque domo egredi vnquam, neque collegium obire, tantùm ad ſacram ædem, & ſacrarium cubiculo proximum adrepere, vel vt myſteria ſacra ſuſciperet, ac rei diuinæ, dùm fieret, intereſſet, vel vt aliorum confeſſiones exciperet, reliquum diem precationibus dare. Inter orandum verò defectus viribus, non vt anteà, poſitis genibus ſemper, ſed per vices nunc ſeſſitans, interdùm iacens in lectulo, aliàs de genibus ſupplicare, quo quidem tempore id ſe Dei munere aſſecutum aiebat, nempè, vt ne deſes ex toto ageret, cęleſtibus delicijs, ac diuinarum viſionum ſpectaculis diſtineretur. porrò pijs commentationibus diſceſſus animi è corpore argumentum aſſiduiſſimè dabat. Sex autem ipſos à lapſu annos ſuperfuit, ac primis quidem ſtatum pſalmodiæ modum perſoluere, & rem diuinam facere, quamuis ægrè, tribus poſtremis ſupra cæteram virium imbecillitatem penè in totum deſtitui oculis cępit ſic, vt neque diuinis precibus recitandis, neque faciendo eſſet, ſed pro ſacris carminibus plurima Virgini precaria ſerta percurrere, & cùm litare ad aras non poſſet, cęleſti epulo penè diebus ſingulis veſci conſueuerat: cùm per valetudinem liceret, pluribus manè ſacris intereſſe, atque ita in hoc humilis vitæ genere placere ſibi, vt quod iam inde ab inita Societate enixè expetiuerat, neque à moderatoribus extorſerat, nunc ſe demùm à Deo impetraſſe diceret, nempè vt cum idiotis, ac rudibus, tanquam nullis ſacris initiatus, profanus inter profanos ageret, quò plures poſſet in dies ſingulos magnæ Parenti ſalutatorios calculos in orbem percurrere. Inter hæc, tanta diuinæ dapis ſame tenebatur, vt ſub vitæ exitum memoria defectus, quanquam manè ſeſe cęleſti ferculo recreauerat, tamen ſero diei adiutorē laicum rogaret, vt ſe ad ædem deduceret, quò ſacram

poſſet ſynaxim accipere. cùmque ad ingrediendum vires ex toto deficerent, in eodem, vbi agebat conclaui cibum capere neceſſe habuit: eam igitur ob rem additus eſt ſeni ſocius, atque adiutor laicus, eique iuſſus eſt Bernardinus obtemperare, cui tanta cum animi alacritate, ac demiſſione parebat, vt hominem tùm primùm religioſæ vitæ curriculum ingreſſum diceres. igitur nihil rogare, nihil eorum, quæ curando corpori eſſent, expoſcere: non cibum, non veſtem vllam, ſed quæ ſocius attuliſſet, arripere, iiſque planè acquieſcere; cubitum ire, aut è cubili rursùs aſſurgere, vbi ille imperaſſet; illum, ſiue in templum eundum eſſet, ſiue redeundum, ſequi, prorsùs vt ad infantiam, ac puerile ingenium abiiſſe videretur. Quare hunc Bernardinus cuſtodem ſui Angelum dictitabat. neque ſolùm, quæ ad corpus, ſed quod multò magis mireris, etiam in iis, quæ ad animum ſpectabant, facilè obſequi; cùm enim ſenem ille aliquandò ſeſe flagris cędentem deprehendiſſet, vetuit ſimile quicquam in poſterum aggredi, nec Bernardinus abnuit: quanquam hac in re ſocius, ne fortè quicquam non ſponte maiorum ageret, Prouincialem ante conſultum iuerat. eò denique obſequii, atque ingenuæ ſimplicitatis ſenem adegerat, vt docuerit ſacrarum etiam reliquiarum loco largiri ſua. quod imperium, vt molliùs acciperet, illud argutè, callidèque adiutor excogitauit; mandat nimirùm ſeni, vt ſi quid fortè ſuarum rerum à quopiam repoſceretur, ſiuè pileolum, ſiuè zonam, ſiuè id genus alia, ea poſcentibus elargiri ſtatim, ne cunctaretur: neque id ſibi religioni duceret, ſiquidem, non idcircò ea magnifierent, quòd iis Bernardinus eſſet vſus, ſed ob eam maximè rem expeterentur, quòd exteri homines Societatis Patres, ſeneſque in primis, plurimi facerent eò quòd ſanctiſſimo IESV nomine inſignirentur, atque hinc fieri, vt ab ſtudioſis noſtræ familiæ hominibus rerum no-

noſtrarum aliquid vndeunde corraſum auidè exciperetur. quibus quanquam rudis,& illiterati hominis commentis,vſquè eò ſenex acquieſcebat,vt ijs certiſſimam fidem haberet, ac Societatis ſuæ hominibus gauiſus extrema ſenecta,non patienti modò,ſed verò etiam libenti animo ea daret,quæ cætera vita tàm pertinaciter anteà, obſtinatèque negauerat. Eadem etiam perſuaſione ſub vitæ exitum fatigatus multorum literis ſeriò aliquandò conqueſtus eſt,ęgrotum ſe tanto onere leuari facilè poſſe, ſi moderatores reſcribendi negotium alijs darent, quandoquidem pij homines, qui ad ſe literas mitterent, non vt Realinum, ſed vt ſenem vnum aliquem è Societate venerarentur.Ad hæc,ſi quis in morbum incidiſſet, ſocius, valetudinis ſchedulam Bernardino imperabat, hærentique primùm, & quì tandem huiuſmodi paginæ fierent, interroganti, Eia age, addit ſocius, in ea pium aliquod opus ab ægro fieri calamo impera, & libellum denique ſubnota: paruit illicò Bernardinus, atque in ea verba formulam exarauit: IESVS, ac MARIA, hos vbi ter ſibi æger vocauerit, habebit meliùs, additaque formulæ ſubſcriptio nominis, neque eam fruſtrà euentus habuit.Lupijs domi noſtræ Sacerdotes tres graui morbo diſtinebantur, Camillus cognomento Staiuanus Philoſophiæ doctor,Petrus Alois,& Nicolaus Zimara, ac primi quidem illi duo periculoſa febri afflictabantur, hunc poſtremum iſchiadis dolores maximè vrgebant. Igitur ſocius ad Bernardinum adiens iubet ternas laborantibus valetudinis ſchedas mittere, ſtatimque ſenex operā commodans,quanquam vacillantibus literulis, ſyngraphas duas, Petro Alois vnam, Zimaræ alteram exarat: iamque ad tertiam adhibere manum tentabat, cùm repente ita caligare ſibi oculos ſenſit, vt exarando non eſſet: negauit proindè quamuis iterùm, ac ſæpiùs rogatus, poſſe ſe apicē ſcriptionis addere. quid plura? Alois,

ac Zimara Bernardini ſyngrapha, tanquam amuleto adhibito, conualuere; Staiuanus haud ita multò poſt letho abſumptus exceſſit. Neque intra hoc ſenis diuina mens ſtetit; etenim vt expirauit Staiuanus, ſtatim ex more æris campani pulſu ſignificata domeſticis viri mors eſt, nempe vt abeuntem ſuperſtites precibus proſequerentur; quod præſtitit cum reliquis Bernardinus, cùmque adhuc de genibus precaretur, adiutorem ſocium interrogat, ecquis è domeſticis mortem oppetijſſet: tùm ille, Staiuanum ſtatim renunciat: cùmque pergeret ſenex de altero quærere, ille verò negaret quemquam, niſi vnum Staiuanum oppetijſſe, atquì, inquit Bernardinus, mihi vnus, & alter è noſtratibus vita functi videbantur. quod ſenis dictum vbi reſcitum eſt domi, credidit non nemo ſtatim fore vt adderetur alter: tanti ſcilicet vel ſyllabæ ſenis erant: cæterùm exoluit pro omnibus fidem, atque ab hoc metu vacuos eſſe iuſſit laicus quidam è noſtris, cui Ioanni Caturano nomen, qui eo ipſo die, quo domi Staiuanus, ruri ipſe, vbi curabat, extinctus eſt, cuius proximo die cadauer in Collegium relatum, nihil ex inani præuidiſſe Bernardinum oſtendit. Eodem ſchedulæ amuleto vſi Ferdinandus Poërius, & Cæcilia Sanctoria perditam valetudinem recepere. Iam proximorum ſalutem, cùm per vires aliter procurare non poſſet, certè, qua poterat ope, iuuabat, propitiãdo precibus Numine, quas, & multùm, & prolixè fundebat. ac mirum quantùm animo ob alienas calamitates afficiebatur. quare cognito Henrici IV. Galliarum Regis, & Claudij Aquauiuæ Generalis obitu, magnam vim lacrymarum profudit. Iam à confeſſionibus excipiendis nullum illi vitæ tempus vacuum fuit, ne tùm quidem, cùm aut iaceret in lectulo æger, aut rei diuinæ intereſſet, accedentes enim excipiebat humaniter, & verò etiam patienter, dum adhuc ſacra diuina fierent, confitentibus aures dabat.

Ber-

Bernardinus ſanctiſſimè moritur. *Caput XXXI.*

IN hunc itaque modum ſex ipſos à ſcalarum prolapſione annos piè deſidioſus egerat Bernardinus, cùm III. Kal. Iun. anno à Virginis partu MDCXVI. deſtitui viribus ſupra modum cępit. Aberat tunc quidem febris, ſed ea ipſa proximo mane ſenem, & grauis, & periculoſa corripuit. Fortè, cùm apud illum Rector peccata confitetetur, Bernardinum matutinus inuiſerat; ſed vbi nullum ſępiùs interroganti reſponſum eſt redditum, explorare cępit attentiùs ſatin æger à morbo polleret ſenſibus, ac re explorata, febri adeò æſtuantem reperit, vt omnem illi morbi vis fandi copiam ademerit. igitur ad medicos ſtatim accurritur, qui ſimùl adfuere, conclamatum iam, ac biduo certiſſimè moriturum pronunciant. eam ob rem confirmando in ſuprema vitæ luctā ſacris myſterijs animo opera omnis impenditur, rogatuſque nùm ſe ſacro viatico muniri, ſupremoque oleo iniungi vellet, quamuis vocem vix emitteret, conatus tamen peruicit, vt velle ſe diceret. Ergò ſacris illicò myſterijs procuratus, rogatus itidem nùm in Eccleſiæ Catholicæ fide mortem libenter oppeteret, quoniam eloqui omninò non poterat, oculorum nutu, & capitis inclinatione in ea velle ſe ſpiritum exhalare apertiſſimè ſignificauit. Iam Rector, quanquam appetere Bernardino ſupremum diem, haberi clàm maximè vellet, vt proptereà vni Antiſtiti, ac Syndico, prætereà nemini rem aperuerit, tamen amantiſſimos ciues in totum fallere res tanta nequaquam potuit. itaque vulgato repentè per vrbem, imminere ſeni ſupremam horam, accurrere pridie Kal. Iulias ad Collegium omnes vt parentem optimum viſerent, ac ſupremis officijs abeuntem è viuis

ſal-

ſaltem proſequerentur: ſibiquè certatim ad id pietatis faciebant animos ipſi,irent,& quàm piè viri ſancti mortem oppeterent,coràm intuerentur. Ergò tanta confluentium vis continenter ſeſe adiacentis lectulum ſtipare vndique,vt, quamuis officioſæ huic ciuium pietati breuiſſimi temporis vſus daretur, quò ſubindè alij ſuccederent,tamen ad cęptam noctem ſiſti à noſtris tantus irrumpentium æſtus, & reciprocantium ciuium vndæ non poſſent. Cæterùm qui ſe in cubiculum ſenis penetrauerant,poſitis humi genibus oſculari dexteram,ſalutatorios Deiparæ calculos,& pios libellos ad corpus applicare,vt eius tactu ſacrarentur: alij detractos ſibi anulos digitis eius inſerere;pars pilea,hi galericulos,vdones, cingulos,linteola: ea demum,quæ quiſque haberet ad manus corpori admouere. Nonnulli delatos eò pueros monebant, curioſè vt ſenem inſpicerent, vt adultiores deinde pueri ſibi tantum virum cognitum meminiſſent.Ipſe interim quietus agere. Nec verò pia fœminarũ induſtria ſine pretio operæ fuit: colligata in faſces precatoria magnæ Virginis ſerta viris dabant, vt ad Bernardini corpus adhiberentur. Primo veſpere Ioannes Vincentius Martena Segnienſis Epiſcopus,qui tùm forte Lupijs agebat, ſenem inuiſit, ac manum languentis exoſculatus ob tanti viri iacturam ex animo indoluit, ſubſequutique haud ita multò poſt Rectores vrbis cum Syndico.Conuenerat autem ciuium Regimen (ſic enim vrbanum vigintiquatuor virorum magiſtratum Lupiẽſes appellant) ea mente,vt iam tùm viuentem ſibi apud Deum, tanquam vnum aliquem è cęleſtibus Bernardinum aſciſcerent,ac de hoc coràm cum illo agerent.Ergò Syndicus decumbentis lectulo propior factus, ſic ſenem
„ eſt allocutus. Abeuntem te,Pater optime,è viuis,ciues
„ tui non ſine lacrymis,& mœrore proſequimur;ſed quo-
„ niam mortales non ij ſumus,vt deſerenda nobis mortalia

" lia aliquandò non ſint, teque apud nos ſuperſtitem ha-
" bere ſemper, ſicut aſſequi nefas, ita & optare fortaſsè nõ
" ſatis pium, idcircò tibi iam ad iuſtitiæ coronam prope-
" ranti, impedimento eſſe, nec poſſumus, nec verò etiam
" debemus. illud itaque vnum te etiam, atque etiam amã-
" tiſſimi filij Parentem optimum poſcimus, vt quam tot
" iam annorum ſpatio vrbem patrocinio fouiſti tuo, ean-
" dem translatus ad cęlites, precibus ad Deum, & præſen-
" tia commendes. Hoc vel amori noſtro debes, vel potiùs
" humanitati tuæ, vrbem, cuius te patronum iam nunc,
" & tutorem optamus, dicimuſque, tunc cùm æuo ſempi-
" terno frueris, ne deſere, & clientes tuos amantiſſimos
" filios, quemadmodùm inter mortales amplexus es, ita
" inter beatos Cœli ciues adſcitus amplectere: Da hoc la-
" crymis iſtis, Pater, quas tui deſiderio triſtes profundi-
" mus da amori erga nos tuo. Secundum hæc reſponſum opperiebatur, ſed Bernardinus cùm fari maximè vellet, victus morbi contumacia non potuit. igitur qua potuit ratione, annuere ſe poſtulatis ſignificauit, eoſque hilari vultu, & lætiſſimis oculis intuitus, teſtem amoris ſui ingens ſuſpirium edidit. Accepere ciues omen, & arrham patrocinij, dexteramque exoſculati inter abeundum Rectori edixere ne ſeni funus inſtrueret, velle ciues de publico quanto maximo ſumptu in re ſubita poſſent, Parenti optimo iuſta perſoluere. eodem viſendi ſenis officio functi reliqui magiſtratus, quorum aliqui ex decũbentis ore lucidiſſimos radios exiſtere apertiſſimè ſunt conſpicati. Illud etiam animaduerſum nonnullis, ſenis corpus ſuauiſſimè olere, ſic vt re cognita multi in experimentum propiùs ad lectum accederent: ſed ſtatim curioſam iſtorum ſedulitatem caſtigauit odor, qui tam longè, latèque iactari cępit, vt illum non modò quotquot ſeni ſuperſtites in cubiculo erant, ſed qui in proxima ambulatione ſpatiarentur, multi ſentirent, atque, vt mi-

miraculi fides conſtaret, videbatur ſenex æſtate iam adulta olere violas. Proxima verò luce ipſis ſcilicet Kal. Iul. iterùm Syndicus cum cætero vrbis ſenatu ad Patrē adit, eadem repoſcens, aſſiduas ſcilicet apud Deum preces, & vrbis tutelam, ac patrocinium. At Bernardinus explicata fronte, hilarique oculorum coniectu id ſolum à morbi violentia verbum extorſit, vt vnam illam annuentium vocem, Maximè, diceret. Intereà vis confluētium adeò gliſcere, vt, ne quid turbaretur domi, præſidio militum opus fuerit. Cæterùm dùm hæc Lupijs aguntur, Tabernæ in celebri Calabriæ vrbe infans anniculus, cui Placido nomen domo Morronia, ter epilepſia correptus, tantùm non exanimis corruit, actumque de illo clamabant omnes; ſed Bernardini precarijs calculis epileptico adhibitis, reſipiſcere ſtatim infans, & mortis aleā exire viſus. Interim Scipio Spina Lupienſium Antiſtes, quem podagra lectulo affixerat, flexo iam in veſperam die, quanquam nondùm planè conualuerat, ad Bernardinum adijt, ut ſupremum Vale abeunti diceret unà cū Proëpiſcopo, & familiaribus ſuis, ſenemque perhumaniter amplexus patrocinium rogat, dein è lodice, ac ſyndone, multa, quæ pro reliquijs haberet fruſta præſecuit; quo ueluti ſigno dato, cæteri facto impetu de Bernardini rebus prædari, icunculas è pariete refigere, puluinaria rapere, aut præſegmina ueſtium, aut fragmētum arundinis, aut precarium Deiparæ ſertum, aut certè ex eo calculum, prorsùs ut nihil eorum, quæ tactu ſuo Bernardinus ſacraſſet, intactum relinquerent. Sed iam appetente ſuprema ſenis hora, mutatis ſubinde uigilijs Patres apud agentem animam excubabant, cùm Sacerdos unus è noſtris arceſſitur, qui laboranti mulierculæ ſupremam opem ferat, & de peccatis confitentem excipiat. porrò infelix hæc uulgato corpore quæſtum fecerat. accurrit itaque ſtatim is, qui apud Realinum excubabat,

babat, ſoporato interim molliter ſene, ne alijs quieſcentibus negotium intempeſtiuè faceſſeret, aures accommodat,& quanquam ſupremam aleam ineunti iam cõfeſſione criminum peracta poterat facilè cauſam adiudicare,& criminum nexus abſoluere, fœminam tamen, quæ tam diù ſcortum in lupanari egerat, maiora quædam pro tempore intimi doloris argumenta poſcebat. igitur dùm ea mente pijs colloquijs impellere ad lacrymas ſtudet, fortè in ſenis noſtri tunc ipſum agentis animam mentionem incidit; at mulier viri ſanctiſſimi ſecũ pariter in vitæ exitu laborantis audito nomine, tanto de repente peccatorum dolore tangi,vt ſtatim mœroris indices vberes lacrymas funderet,diuinamque opem,ac miſericordiam inclamare cum ſuſpirijs cæperit, prorsùs vt vnum commorientis Bernardini nomen miſeræ pro lacrymarum illicio fuerit.Nec minus illuſtri argumento per idem tempus futuram Deus famuli ſui gloriam oſtendit. Publicus tabellio, cui Ioanni Thomæ Sanctorio nomen, dum adhuc in lecto eſſet, ſub auroram vigil primo diluculo,ac fortè oculos circumageret,ſuſpenſam è pariete tabulam videt argumento huiuſmodi expreſſam.Virgo erat egregia forma Dei Mater, quam praſini coloris palla ad imos pedes fuſa circundabat, diuinumque pignus complexa ſtringebat: adſtabat illi interim Societatis Author Ignatius, qui Realinum flexo genu ſitum inferiùs commendare magnæ Virgini videbatur; illa verò veterem clientem hilarè accipere,& complecti. ergò Sanctorius ſatis gnarus nihil tale domi ſe pictum habere,mirari primùm, mox figere obtutum attentiùs; ſed rem curioſiùs inquirenti, ex oculis illicò pictura omnis euanuit;illud tamen ex oſtento, neque ab re, neque inani coniectura confecit, Bernardinum ſcilicet eo ipſo die ad complexum Virginis,atque adeò ad beatarũ mentium domicilium è terris euolaturum. Et erat hic

R dies

dies Virgineis amplexibus opportunus, qui ante nonas Iul. VI. ob ſingularem in Eliſabetha inuiſenda Deiparæ humanitatem ſolenni ritu feſtus tunc agebatur: nam cùm in omni vita Bernardinus Beatiſſimæ Virginis cultor egregius extitiſſet, quod in alios ſui ſtudioſos Virgo beneficium ſępè contulit, vt ſacro ſibi aliquo anni die ſanctiſſimos viros mortalitate ſolutos exciperet, certè non temerè hinc ſibi quis perſuaſerit hoc etiam illi ab humaniſſima hoſpita datum, vt eo die ad cœlum aduenientem complecteretur, quo die ipſius ad cognatam hoſpitam aduentus, ac ſalutatio à mortalibus celebratur. Quod ipſum, cùm neſcio quis Bernardinum edocuiſſet, nempe feſto Deiparæ, eodemque Sabbathi die euocari ſe ad Cælites, gauiſus mirificè nuncio, ac fari conatus ſanctiſſimam Dominam inclamauit; eaque ſuprema vox abeuntis fuit; neque ita multò poſt compoſitis ad pectus in crucem manibus, crucifixi Domini ſimulacrum exoſculans, mortem opperiebatur, Sacerdotique per nutus animi noxas aperiens expiauit. Inter hæc gliſcere per vrbem rumor Bernardinum inibi exceſſurum. tantus ergò iterùm concurſus ad ægrum fieri, vt non modò militum præſidium habere domi, ſed cùm aliter vis ſuſtineri non poſſet, occluſis etiam templi, & Collegij foribus opus fuerit. imò proxima noſtris ædibus via, tanta concurſantium turba oppleta eſt, vt diù, qui ſuas res agerent, habere illàc iter nullum omninò quiuerint. ſed Bernardinus iam ſoli Deo vacare, oculoſque in Crucifixi Domini effigiem intendere, ſic vt ſi illam aliò fortè amouiſſent Patres, eò ſtatim ipſe obtutum conuerteret. Idem ad ſanctiſſima Ieſu, ac Mariæ nomina, labra, manuſque, tanquam in obſequium, cultumque mouere. Inter hæc ſenis lectulus coronarijs globulis, roſarijs, pijs libellis, ceteriſque id genus argumentis oppletus viſebatur. Demùm poſt editum à frequenti concione Chriſtia-

næ

næ fidei ſymbolum, cùm Sacerdos quidam è noſtris de acerbiſſimis Chriſti cruciatibus repetitã ex Diuo Ioanne recitaret hiſtoriam, conuerſis in cęlum oculis, vultuque, vt multi aduertere, noua acceſſione luminis ſplendido, placidiſſimè efflauit animam ſexto Non. Iulias ętatis ſuæ anno ſupra octogeſimum ſexto, ab inita Societate quinquageſimo ſecundo, à Lupienſi ſtatione ſupra quadrageſimum etiam ſecundo, denique à partu Virginis MDCXVI. Obijt verò inter amãtiſſimos ciuium ſuorum amplexus, & lacrymas, qui parentem optimum ſimùl atque expiraſſe animaduertere, alij ingemere altius, alij in oſcula ruere, pars manus, illi pedes amplecti, omnes vnicum vrbis præſidiũ, ac decus amiſſum queri, vnicum in malis effugium ſubductum oculis dolere. Et verò fuit ille vir planè mitiſſimi ingenij, ſui negligens, alieni commodi omni tempore ſtudioſus, nullis laboribus vnquam, quò minus alijs vacaret, fractus; tam piè affectus in miſeros, vt alienas ærumnas ſuas duceret, nec lacrymis interdum parceret; aditu facilis, niſi quòd fœminarum colloquia ex inolito pudore, ac reuerentia vitare pro virili ſtudebat; ſimplicitatis omninò antiquæ, vt de ſuo ingenio cæteros æſtimaret; doli minimè ſuſpicax, vtpote qui nunquam alijs noſſet imponere; ita demiſſus, vt ſe vnum in multis ſceleſtum crederet, aliorum vel apertiſſima ſcelera non modò damnare, ſed ne perpetrata quidem ad credendum adduci poſſet; in Deum adeò propenſus, vt ab illius nutu ſemper, ac voluntate penderet; in orando multus, atque in Diuinitatis commercio adeò frequens, vt reſponſa inde, & oracula ad proximorum ſalutem crebrò peteret; Ieſu, ac Mariæ, quorum frequentiſſimè nomina piè iuxtà, ac ſuauiter vſurpabat, ſtudioſiſſimus; reliquorum cęlitum cultui apprimè deditus; æuum, & diuturnum, & exercitum laboribus egit, ſed quod mireris, ſic nulli vnquam obno-

xium inuidiæ, vt homines Societati cæteroquin inſenſi, cùm reliquis obtrectarent, Realinum ſemper exciperẽt: ſummis, infimis, medijs, æquè charus, acceptuſque denique is, in quem egregium illud ſacrarum literarum elogium aptè caderet: Dilectus Deo, & hominibus, cuius memoria in benedictione eſt, ſimilem illum fecit in gloria Sanctorum.

Eccleſiaſtici. 45.

Forma corporis, & ingenij monumentà. Caput XXXII.

HIs verò tàm inſignibus animi bonis etiam habitudo corporis acceſſit egregia. Statura illi fuit commoda ſanè, ſed quæ vix iuſtam excederet, in anteriorem partem ex modeſtia primùm, deìn etiam ætate, ac ſenio leuiter inflexa: æqualibus, & cum numero aptè ſibi congruentibus membris: color ex candido rubeus, ſic tamen vt præſtaret rubori candor: capillus inter flauum, & aquilum, mox ſenio canus ex toto: grandiuſculum caput, rotunda facies, & hilaris, ſed cui ſua etiam grauitas decenter inerat: rugoſa frons, & exporrecta: modicè cauum vtrunque tempus: aures & erectæ, & hiantes: ſupercilia grandia, læti oculi, & viuidi ad vſque affectam ætatem ad videndum acres, & acuti: genæ nec vacuæ, nec præpingues, ſed quæ pertinerent ad oculos criſpæ: naſus præſertim imus modicè amplus, & aduncus: latum os: labra vt edentulo ſeni introrſum recedentia: denſior barba, & capillus: breuiores manus, & aliquãtò etiam craſſiores: caro quanquam inedia, & cruciamẽtis exercita, adhuc ſucciplena: crura imbecilla, vt ingredi ſine magno labore non poſſet: ingenium viri præferuidũ, & vehemens, ſed quod ita macerauerat virtus, vt quinquaginta ipſis, & duobus annis non modò nunquàm ſe pio-

proderet, ſed potiùs, cùm res ferret vt natiuum ignem oſtenderet, vulgò frigens, ac languidum haberetur. Iam intelligentiæ vis, quæ plerunque bonam habitudinem, & bellè compactum corpus conſequitur, ſanè alacris, & ad literas facta. Scripſit adoleſcens multa, quæ partim excuſa typis publici iuris facta, partim apud gentiles Realinos manu adhuc ſcripta ſeruantur: ea nunc ſingulatim recenſebo. Ac primò commentarij duo ſunt, alter in Catullianas nuptias Pelei, ac Thetidos, Cardinali Tridentino nuncupatus; alter in elegias Cornelij Galli: nonnullæ item in varios ſcriptores notæ, & ipſæ typis excuſæ Bononiæ. Ad hæc, opuſcula longè plurima, quà ſoluta, quà vincta numeris oratione, Italicè, Græcè, Latinè ſcripta, quorum nonnulla è Græco in Latinum ſermonem conuerſa: in his carmen de coniunctione ſapientiæ cum potentia ſub armatæ ſigno Palladis ad Herculem Eſtenſem Ferrariæ Ducem: commentarius item in Criſpum Salluſtium de coniuratione Catilinæ, quem ipſe adhuc in Societate eſſe aliquid duxit, ac Franciſcum Realinum parentem monuit vt ſeruaret nepotibus; quo patrui exemplo olim ad literas incenderentur: diuerſi itidem argumenti carminum libri duo, nec non alius emblematum ex Hebræis, Græcis, Latinis, Hètruſcis ſcriptoribus deſumptis argumentis: cantiunculæ Italicè aliquot: dialogus vnus de vocibus: in Petri Bembi, & Franciſci Petrarchæ Hetruſcos numeros commentarij: Ariſtophanis Plutus in Latinum conuerſa, & mox etiam notis illuſtrata: Homeri etiam Odyſſea Latinè de verbo ad verbum reddita: notæ in omnia Platonis opera: de honore dialogi aliquot: de legibus opuſcula plura, quorum aliqua Latinis numeris ſcripta: demùm de ſomno, vigilia, & inſomnio ex Ariſtotelis mente Italicè ſcripta commentatio, cuius ſupra meminimus. Hæc Bernardinus ante initam Societatem. Cæterùm vbi Religioſi ordinis

dinis humilitatē amplexus eſt,nihil grauiùs tulit, quàm editum ab ſe aliquid: quod ſi daretur, vel ſanguine ſuo deleturus fuiſſet.ſcripſit tamen Chriſtianæ philoſophiæ, pietatiſque pleniſſimas literas longè plurimas,quas publica luce dignas typis iam aliqui deſtinauerant. Carmina etiam ſenex ſcriptitabat, quorum in loco redibit mentio.

Bernardini funus. Caput XXXIII.

IAm vt exceſſit è viuis inter chariſſimorum eiulatus,ac lacrymas viri deſiderio mœrentium, viſus illicò quidā intempeſtiuè altiùs ingemere, ac lamentari, ac tùm demùm de vita ſua actum dicere. neque id temerè. Erat hic ędium faber,cui nomen Octauio,qui rogatus,ecquid in communi mœrore omnium ex Bernardini obitu vicem ſuam vnus ipſe doleret? reſpondit ſe ante pluſculos annos, cùm ſępè aliàs periclitaretur ex morbo, iuſſum ſemper à Bernardino mortis ſecurum agere, non enim fore, vt ante ipſum extingueretur; verùm vbi ego, aiebat ſenex, ad cęlum conceſſero, è veſtigio tu me ſequeris Octaui.Ea dicta firmauit euentus;ſępè enim aliàs graui morbo afflictus, ſic vt pro depoſito à medicis haberetur, nunquam tamen ſpem ſalutis abiecit, ne tùm quidem cùm aliquandò funebre domi inſtrumentum expediretur; aſt vbi Realinus oppetijt, non ita multò poſt morbo correptus faber extinguitur.Cæterùm bona ſuperſtitum pars, vt expirauit Bernardinus, ad preces ſtatim,& vota conuerſi,eius apud Deum opem, & præſentiam expoſtulabant;ac mox, quæ corpori applicita quoquo modo, aut quibus ille vti conſueuerat, rapere ad ſe,ac depopulari,vt & lodicem, & lintea in fruſta diſcerperent, & ceruical ſubducerent capiti, aut alia quaqua

qua demùm ſibi quiſque ratione conſulerent. Neque iſtorum pietas ſine pretio fuit:nam quæ Bernardini corpus attigerant,commendabat odor,ſic, vt pleraque horum menſes plures, immò annos quàm ſuauiſſimè olerent.Interim ne concurſu hominum domeſtica officia turbarentur, nullo æris campani pulſu ſignificari Realini obitum placuit, donec maiori præſidio militum domus contrà irrumpentium impetus firmaretur. & ſanè militum operam poſcebat vſus, maiores enim Collegij valuę dum vnà omnes irrumpunt,loco moueri cœptæ: aſt vbi præſidij viſum eſt ſatis domi eſſe,ſigno dato Realini mors nunciata omnibus eſt.excepere feralem ſonum omnium Eccleſiarum campana æra. enimuerò ingens illicò vrbem męror, & extincti deſiderium inuadere:viri paſſim ruere ad funus,mulieres commune miſerorum perfugium, & patriæ parentem inclamare. Iam inter exanime corpus abluendum duo in vtroque latere vlcera,quæ ab diuturno cubitu contraxerat, pollinctores animaduertunt;nec tamen aut conqueſtus eſt vnquam, aut certè laborare ſe vlceroſis lateribus verbo, aut vlla quapiam doloris nota ſignificauit: quamobrem viri in ſuperando dolore conſtantiam ſuſpexere. Interea loci dùm ara maxima ſeruando corpori munitur vallo, vt irruenti vndique multitudini aliqua ſatis ratione fieret, ipſa die ſabbathi ſpectãdum omnis Senis cadauer in ſacrario ponitur, ac recluſis denique foribus, confeſtim ingens hominum concurſus fieri, atque his manus, illis pedes deoſculantibus,dùm alij alios ſubinde ad inuiſendum vrgent,vix tandem ad multam noctem ſpectaculo expleri concurſantium vis, & pietas potuit. tandem militum præſidio abire iuſſo,Syndicus,qui domi noſtræ adhuc ſupererat, detractum vtrumque pedibus tibiale, pretium ſcilicet operæ ingens domum reportauit. Poſtridie ſummo adhuc mane dominica feria concurſus

iterùm

iterùm ingens domum eſt factus. quare, vt ſpectari ab omnibus commodè poſſet, è ſacrario in templum auctum corpus, in ara maxima repoſitum, eodemque loci, ne quid turbarum ſuboriretur, obiectis cãcellis ad ſepta, nudis pedibus collocatur: neque enim, quamuis ſemel, iterumque illud cooperuiſſent Patres, potuere idcircò ab exanimi corpore populi manus abſtineri quin reſegmina, & fruſtula, hi tunicam, illi crepidas, interiorem alij albam diſcerperent. Poſt vbi facta videndi omnibus copia eſt, tantus repentè ex dolore ſpectantium clamor gliſcere, vt litantibus ad aras, donec ſæuus ille doloris turbo poneret, rei diuinæ intercapedinem facere neceſſe fuerit. Cæterùm, ne in corpus etiam inconſulta popelli pietas deſęuiret, præter Patres, ac milites, ciuium etiam præcipui quidam ad feretri cuſtodiam adhibiti. Et verò fuit id operæ pretium; etenim quidam cum nouaculis adoleſcentes ſemel, iterùm, ac tertiò prohibiti, cùm abſtineri demùm alia ratione non poſſent, eductis gladijs procul habiti. Iam ad meridiandum digreſſis alijs, perſtitere adhuc multi ad ſeram diem ſine cibo, ſtatimque à prãdio ex vrbis vicinia, & oppidis aduenarum concurſus maior fieri cęptus ſic, vt Lycienſis Antiſtes cum vellet vnà cum Clero iuſta perſoluere, nullus vacauerit in templo parentantibus locus. itaque vix ipſe cum Proëpiſcopo, ac paucis nonnullis intra ſepta funebrem hymnum vnum ad feretrum dixit: reliqui quò quemque fors tulerat, eodem loci palati cum candelis aſtitere. ergò cùm parentari ſolenni Eccleſiæ ritu præ hominum concurſu, & clamore non poſſet, annuente Epiſcopo, funebris de viri laudibus oratio haberi cæpta ab egregio Carmelitanæ familiæ Theologo Philocalo Caputo. ſed & hunc inter dicendum turba interpellauit; dum enim quiſque pro viribus ad iacentis feretrum penetrare, ac peruadere ad clatros ſtudet, dumque alij

appli-

applicare roſaria corpori, aut oſcula pedibus figere pariter certant, pro diuerſis hominum ſtudijs, exaudiri ſcilicet egregius orator in tam diſtracta concionis celebritate non potuit. Iam inter hoſce concurſantium fremitus quidam è Franciſcana familia, cui Syluestro nomen, ob egregiam vitæ ſanctimoniam in magna apud ſuos veneratione habitus, ſuperatis ſumma vi confertæ multitudinis impedimentis, tandem ſe ad ſepta proripuit, fuſiſque ad feretrum anteà precibus, mox ex alba iacentis tunica, ac cætera veſte abſciſſa fruſta cœpit viritim diuidere, omnibus interim ad rapienda præſegmina, ſtudio pariter, vociſque, & manuum contentione certantibus; quibus ille, vt gratum denuò faceret, abſciſſam iterùm veſtium partem, minutim concidere, ſinguliſque fruſtulum dare, ac Bernardini ſanctitudinem miris ad cęlum laudibus tollere. Demùm, ne vnus ipſe, ac ſui abirent aſymboli, non dubitauit tertiò veſtimenta reſcindere, domumque reuerſus cœpit de pretioſa ſupellectile aliquid domeſticis elargiri. Porrò ad alteram noctis horam à ſummo mane concurſus tenuit, nec dùm erat à Patribus parentatum. ergò relatum corpus eſt ad ſacrarium vt poſtridie humaretur. Cæterùm inter aſportandum malè habitum inuenere, extractis ſcilicet pedum vnguibus, aut vix hærentibus; crura etiam liuebant à morſibus: ad hæc ex toto fermè nudata brachia, & auulſo capillo glabrum, & læue caput. Iam cætera veſtis ſic abſciſſa, vt vix ex alba tunica dimidium ſupereſſet. Denique ſeminudum cadauer, & lacerum, ſæuum importunæ pietatis ſpectaculum ſui dabat; ſed referendum illicò poſt horæ dimidium ad templum fuit, vt matronę nobiles, quibus interdiù ob valetudinem funeri intereſſe non licuit, extinctum ſenem conſpicarentur. Poſtero die benè mane repoſitum in arca Patres addita ſera condidere. ſed Syndicus, quanquam Rectore abnuente, ſuam

etiam communi Lycienſium nomine ſeram addidit, & clauim ſecum habere voluit, ea maximè re Patribus factum huiuſmodi probans, quòd Bernardinum communibus iam ciuium ſuffragijs inter cæteros vrbis patronos, & precatores deſtinatum diceret. Ergò in hunc maximè modum Realini corpus terræ mandatum eſt, donec ordo, populuſque Lupienſium magnifico ſumptu ſepulchrum extrueret, quod mox in loco commemorabimus. Cæterùm vt parenti amantiſſimo ſua tamen iuſta perſoluerentur, quæ pridie ſolui non quiuerant, Patres pegmate in tumuli honorarij formam erecto, ſupremis demùm officijs extinctum ſenem ſunt proſecuti.

Mira quædam in Bernardini funere.
Caput XXXIV.

NEque verò tanta omnium in Bernardini funere celebritas ijs egregiæ ſanctimoniæ notis, & argumentis caruit, quibus in tali re ſingularem piorum hominum gloriam interdùm commendare Deus apud homines conſueuit. Faciam igitur hic pretium operæ nonnullis recenſendis ex ijs, quæ mira in eius funere habita, Bernardini apud Deum precibus ſunt impetrata. Quidam, cui Ioſepho vocabulum, tumido crure biennium ſic laborauerat, vt ſanitatem ex medicorum ſententia deſperaret, acceſſeratque continens tumori dolor; verùm cùm fortè eo ipſo die, quo die Realinus exceſſerat, viæ aliquantulum pedes eſſet ingreſſus, laxitudine fractus, atque animo, dolori impar abiecerat ſe in lectulum. interim vxor mariti ægritudine anxia, conſpicata militem vnum ex præſidiarijs, qui fuerat ad Collegij cuſtodiam adhibitus, animaduertit in eius manibus precarium ſertum, quod ſeni recens applicitum fuerat.

rat. igitur hominem enixè rogat, vt hoc viro ſuo tàm grauitèr laboranti tantiſpèr commodet: miles de facili morem geſſit, ac vir Bernardini calculos tenens, ad eum conuerſus: adeſdum præſenti ope, inquit, Bernardine, quem ego intra cælites receptum voco, & dolori meo medicinam facere bonus ne graueris, ſimulque inter precandum affecto cruri calculos admouet, ac ſe in lectulo collocat, cùm ecce tibi ſudore madidum ſibi crus ſentit, atque animum aduertens videt quacunque calculos duxerat, exudari morbi materiem, reique nouitate attonitus crus manu attrectans, purulentam cutim exprimit, donec exhauſta in totum ſanie, firma ſolo veſtigia eo ipſo tempore poneret, ac ſubitum miraculum inclamaret; neque conualuit ſolùm, ſed nullum omnino hæſit in cute priſtini mali veſtigium. Cæſari item Bello viro nobili iam pridem ante Bernardini obitum adeò tumebant crura, vt magnis indè doloribus cruciaretur, & quanquam plures expertus, nullam tamen huic morbo ſatis commodam medicinam ſenſerat. ea re cùm ingrediendum illi aliquò eſſet, bacillo nixus, vix, atque ægrè adrepebat. hic adeò cùm ſeni funus adornaretur, dominica die ſummo mane ſe ad Societatis ædem contulit, altanſque cadaueri propior rogat, quandò ita inter ſe viuentes amaſſent, vti ne nunc inter cęleſtes antiquę neceſſitudinis iura negligeret, mox de extincti lipſanis neſcio quid ſecum ferens, reuertit domum, idque cruribus applicat: mira res: è veſtigio reſidere tumor, ac dolor prohiberi, & quaterna ipſa in ijs vlcera exiccari, ſic, vt ſtatim niti pedibus ſine fulcro, & ſcalas conſcendere nullo labore poſſet. Eo ipſo die, quo Bernardinus migrauit è vita, puella ſeptennis Irene febri laborans ad vitæ exitum properabat, ſed vix ſibi ſenis noſtri ſalutatorium ſertum adhibuit, cùm de repentè ſanitati in totum eſt reddita. Adoleſcens item plus dies quindecim

ſebri grauiore correptus, cognito ſenis corpus adhuc in templo eſſe omnibus ad videndum palam expoſitum, è cubili ſenſim prorepens perrexit ad templum, eoque loci viri nobilis opera intrà ſepta receptus, cùm exanimum piè eſſet exoſculatus, ſtatim febris euanuit, ſeque inde domum benè valentem, ac firmum recepit. Mulier è Franciſcana familia, cui Margaritæ nomen, excreſcente inter læuum oculum caruncula, biennium ipſum ſic laborauerat, vt omnem ſiniſtimæ lucis vſuram amiſerit; neque ſe continuò medicorum vnquam curationibus credidit, peius ſcilicet aliquid verita; ſed cùm ad Bernardini feretrum eius pedes eſſet deoſculata, ſanitatem expoſtulat, ſeque mox referens domum, leuatam ſe doloribus ſentit. quare domeſticos iubet inſpicere, ecquid oculo melius eſſet; atque illi euanuiſſe morbi veſtigia non ſine gaudio animaduertunt. Publicus quidam tabellarius, quo die Bernardino iuſta ſoluebantur, vehementi podagræ dolore correptus, ſic ſenem è lectulo eſt affatus: Age qui me olim viuens tanto amore complexus es Bernardine, præſentem nunc opem laboranti affer: tantùm quòd in hæc verba preces conceperat, cùm ſe ſtatim in totum, & dolore, & podagra leuatum ſenſit. Antonius quidam cognomēto Palatius diù ad feretrum conatus accedere, niſu corporis, & impetu peruaſit denique ad vallum, eoque loci odoris ſuauitate recreatus, præſegmen aliquod veſtium eripuit, quod cùm domum attuliſſet, Lucretiæ filiæ ægrotanti, tanquam præſentiſſimum amuletum dedit. hæc porrò iam ipſum octiduū vehementi febri ex pleuritide orta cōflictabatur; verùm cùm ſacra lipſana capiti primùm, ac ſubinde cordi, aliiſque corporis partibus admouiſſet, continuò, & febrire, & pleuritica eſſe deſijt. Iacebat eidem in ſtabulo generoſus equus iam dies multos impaſtus, ac tantùm non exanimis, ergò experta recèns Bernardini præſentiam

puella,

puella,è veſtigio ſe ad equile cum lipſanis contulit, eaq; affectæ animanti admouens, ſenis auxilium implorat, nec fruſtrà; confirmatis tactu viribus, illicò ſtatuit ſeſe equus in pedes,pabulatur, ac valetudini priſtinæ redditur.Ergò his minimè vulgaris ſanctimoniæ notis,quanti apud ſe Bernardini preces eſſent,Deus oſtendit. Iam quod additur eximiæ, qua fruebatur inter cælites felicitatis eſt argumentum. Nocte ea ipſa, quæ Bernardini obitum proximè eſt conſecuta, Camillæ Pandolfæ Virgini honeſto loco natæ, cui Bernardinus olim à confeſſionibus fuerat,oblata eſt ſemiſomni ſpecies templi noſtratis: in eo ad aræ maximæ dexterum latus, quæ ad Diuæ Irenes ſacellum ſpectat, viſum eſt ingens ſolido ex auro ſolium aſſurgere,in quo ſub aureo cęlo Bernardinus aſſidebat: inerat verò ſpectabilis in vultu maieſtas,habitus is qualem Societatis homines induunt:iam ſolis inſtar radios vndique, ſed ex ore potiſſimum emittebat:dextera palmam ſtringebat, quam accitæ ad ſeſe Virgini dare ſe velle ſignificabat, ac ſtatim euanuit. quo oſtento,immortalem,qua fruebatur,gloriam Virgini eſſe ſignificatam nullus equidem addubitauerim.

Quoties ſibi mortem prædixerit Bernardinus. Caput XXXV.

ET mortem ſibi multò ante diuinitùs præſenſiſſe liquidò apparet. Æger aliquandò minùs bellè habebat, ſic vt quidam illum amicè admonens,vereri ſe diceret ne iam ipſius vitæ exitus appeteret; at Bernardinus leniter arridens hominem excipit, bonamque mentem habere iubens prædicit, non modò ſe ſoſpitem è præſenti morbo abiturum,ſed verò etiam diù,multũq; adhuc futurum ſuperſtitem luculenter aſſeruit: quod

pro-

probauit euentus: triginta enim ipſos annos adhuc inter mortales egit, antequam immortalitatem auſpicaretur. Idem extrema ſenecta prolapſus è ſella aliquandò non leue vitæ diſcrimen adierat: at ſocius, qui Bernardinum curabat, rem cautè animaduertens, vt tale aliquod infortunium in poſterum ſeni defenderet, ſellæ loricam è lignis apponi iuſſit, ſenemque monuit id eò factum, ne forte grauiore aliquo caſu afflictus, repentino interitu vitam finiret. Cæterùm Bernardinus, cum ſocij diligentiam laudaſſet, ſe verò nihil tale metuere addidit, certum enim iam ſibi, exploratumque eſſe, nonniſi ſacris Eccleſiæ myſterijs ritè antea procuratum, ſe hinc ad cælites conceſſurum. Itabat ad ſenem laicus è Theatinorum familia, qui apud Bernardinum animi noxas procurare in ſæculo conſueuerat. hic Februario menſe eius anni, quo anno Bernardinus migrauit è vita, cum veterem amicum de more inuiſeret, poſt habitum vltrò, citròque pium de rebus diuinis alloquium, Bernardinus ſacrum homini cereum porrigens: Eia, inquit, quandò nunc te ſupremùm in vita alloquor, hoc tibi conſuetudinis noſtræ, amoris mei vltimum pignus habe, neque enim aut videndi, aut alloquendi te in poſterum mihi copia, aut occaſio erit: ille munus reuerenter accipiens digreditur, neque vnquam vacauit illi poſtmodùm ſenem reuiſere. Sextodecimo labentis ſæculi anno ineunte, Antonio Beatillo, qui de rebus geſtis Bernardini luculentam ſanè ſcripſit hiſtoriam, ſenex abiturum ſe ad cęlites eo ipſo anno diſertè ſignificauit. Idem Iunio menſe, qui vitæ ſupremus Bernardino fuit, Marco Antonio, & Theophilo Zimaræ germanis fratribus, qui ante ipſum adſtabant in genua, benè precatus addidit viuentes illos tunc ſe ſupremum alloqui, neque futurum poſthac vt ipſos reuiſeret: itaque & ſui ipſorum illos, & familiæ habere curam perquàm egregiam iuſſit, pollicitus ſe apud
Deum

Deum Zimaræ gentis memorem ſemper futurum. Et verò totam hanc huius familiæ domum vnicè coluit Bernardinus, cùm alijs nominibus ſanè multis, tùm etiam memor veteris conſuetudinis, quam cum ſeniore Theophilo viro doctiſſimo, & acerrimi ingenij philoſopho iunxerat, cuius iam anteà diù extincti effigiem allatam ad ſe paulò ante peramanter amplexus, ac ſępiùs deoſculatus, egregium ſcilicet, ſed tali viro dignum elogium addidit, illum nempè iam inter cęlites æuo ſempiterno frui, quò ſeipſe mox migraturum ſperaret.

Quod fuerit aliorum de Bernardini virtute iudicium. Caput XXXVI.

EST & hoc ſanè non leue argumentum integritatis, præclaram ſcilicet ſui apud homines exiſtimationem gignere: nam, cùm virtus ipſa per ſe intuentium oculos rapiat, tùm præſertim, ſi egregia ſit, & ſingularis, admiratione ſui animos conciliat ſibi, & magnitudine ſupra mortalium inuidentiam euecta, obtrectatores aut nullos habet, aut facilè deſpicit, petitionum ſecura. Ex hoc adeò numero ſi quis vnquam alius, Bernardinus quidem certè vnus extitit, cuius ſanctitudinem vniuersè omnes ſuſpexerint, adeò vt cùm multos ſępè ſodalitas noſtra tùm Lupijs, tùm alibi paſſa ſit ſeueros ſanè nimiùm morum cenſores, obloquẽtes etiam longè plurimos, vix tamen tot annis vnus, aut alter inuentus ſit, qui Bernardini facta, dictaue vlla, aut ſiniſtrè acciperet, aut malè detorqueret, & carperet. quin etiam ſi quandò de alijs obtrectatum irent Societatis hominibus, vbi ad Bernardinum obloquendo dilabebantur, hìc enimuerò ſiſtendum ſibi eſſe dicerent, illum non vnum è multis, ſed ſingularis ſanctimoniæ, ſpectatæque omnibus

bus integritatis, & innocentiæ virum eſſe. Quidam perditis moribus inter ludendum monitus Societatis Patres illac habere iter:Pereant malè,inquit,quotquot extant iſtius farinæ homines, Bernardinum ſemper excipio. Quidam eques Neapolitanus, qui de Bernardini ſanctimonia & multa olim viderat ipſe, & inaudierat longè plurima, vt periculum faceret ſępè è locutuleijs hiſce,& de facili aliena detrectantibus, qui Lupijs redierant,ſcitatus eſt,ecquid rerum illic ageret Bernardinus, neque vnum aliquem, niſi egregia, ac ſumma laude digna de viro referentem audiuit vnquam. Neque verò Lycij vnius vrbis modò finibus fama continebatur, ſed omnem terram Italiam, Hiſpaniam,Galliam, Germaniā, ac totum penè terrarum orbem ſanctitatis ipſius rumor longè, latèque peruaſerat. Ac primò quidem domeſticos laudatores habuit ſanè multos: atque inter hos viros egregios vel ſanctitatis, vel doctrinæ laude præſtantes. Robertus Bellarminus antequàm Romanam purpuram iuſſus indueret, cùm Lupienſe Collegium Prouincialis inuiſeret,ſimul ac domum venit, ante Collegij fores aſtitit, quò ſe ſcilicet hominem excepturi Patres officij cauſa contulerant, rogauitque, quoniam faciem non noſſet,ecquis ex ipſis Bernardinus eſſet,ſtatimque Rectoris admonitu cognitum,poſitis humi genibus, virum peramanter amplexus eſt. Ioanni Baptiſtæ Piſcatori integerrimis moribus viro, & ob ſeuerioris diſciplinæ cuſtodiam maximè celebri, qui tyronibus ad Societatis normam formandis multos annos tùm Romæ, tùm Neapoli præfuit, vſque eò Bernardini virtus admirationi fuit,vt ijs,quos ad pietatem inſtrueret,Bernardinum tanquam abſolutum numeris omnibus religioſæ vitæ exemplar ad imitandum proponeret.Carolus verò Spinola, qui apud Iapones diuturni carceris ærumnis ante confectus,mòx viuus,videnſque Nangaſachij combuſtus,

buſtus, egregium Chriſtianæ fortitudinis exemplum prębuit, datis ad Marcum Ferrarium ex India literis
„ hæc habet de Bernardino. Lupijs cum Bernardino
„ Realino magna mihi neceſſitudo interceſſit; trigeſimus
„ tertius iam annus eſt, ex quo ego illo homologeta, &
„ magiſtro ſum vſus ad ſpiritus profectum, ac iam tùm
„ pro ſancto habebatur, multaque illius miracula fama
„ vulgauerat. Barij Collegio præerat Bernardus Colnagus homo Siculus, domo Catanenſis vir ſanè, & concionandi munere nobilis, & morum ſanctitate, ac miraculis longè clariſſimus, qui Bernardini fama excitus anno inſtauratæ ſalutis MDLXXXV. trium dierum iter peregit, vt ſenem noſtrum Lupijs agentem inuiſeret. Ergò is die quodam, cùm Bernardinus hoſpitem humaniſſimè ſalutaſſet, arreptam diſcedẽtis veſtem clanculùm iuxtà, ac piè eſt deoſculatus. Senſit hoc fortè tùm Bernardinus, leuitèrque arundine ictum ſic amanter intercipit vultu ſubtriſti: an etiam te inania iſthæc officia delectant? ac ſtatim explicata fronte, atquì tu Bernardus, ego Bernardinus, me igitur longè minorem, à te edoceri pietatem, & ediſcere addecet, vt ſolet à præceptore magno rudis auditor imbui. Theologus quidam è noſtris, qui plures annos Neapoli præſtantiſſimas facultates profeſſus erat, poſitum in more habuit, cùm literas ad Bernardinum daret, aperto capite de genu ſcribere, quod ipſum à ſanctiſſimo viro Franciſco Xauerio Indiarum Apoſtolo factitari ſolitum legimus, cùm ad Sanctũ Ignatium totius ordinis parentem ex India ſcriberet. Iam inter egregios virtutis ſuæ admiratores Bernardinus, magnum etiam illud Theologiæ columen Franciſcum Suarium habuit, qui datis ad eum literis, petijt vt ſibi cum Dei voluntate congruentem animi ſenſum, ac ſtudium impetraret. Multi etiam ex noſtrîs hominibus, quibus tonitrua, ac fulmina terrori erant, cùm cælum

turbaret, pro remedio ad cubiculum ſenis, vt horum, ac talium terriculorum ſecuri agerent, ſe recipiebant. Nonnulli tanta ſenem veneratione proſequebantur, vt proni terram, vbi veſtigia fixerat, oſcularentur. Pater Aloyſius Fidelis adulta hyeme longum iter ingredi Lupijs Carpos vſque tentauit, vt Bernardini natale ſolum inſpiceret; ſed vbi Romam tenuit, vetitus ſcilicet à Patre Generali id ætatis homo (erat enim ſexagenario maior) ad Galliæ Ciſalpinæ niues adire, pij voti compos eſſe non potuit. Euerardus Mercurianus, & Claudius Aquauiua, ſupremi familię moderatores Romam compluries euocauere vt pręclarum domeſtici moris exemplar in Vrbe, tanquam in bono lumine collocarent: & Claudius quidem diù ſuperſtitem Bernardinum optabat, vt multorum commodis, & ſaluti ſenis preces, & charitas præſtò eſſent. Nam externi de Bernardino quàm egregiè ſenſerint, infinitum eſſet enumerare. Paulus Quintus Hierarcha ſummus per Lęlium Ptolomæum, ac Petrum Alagonium Societatis homines ſe Bernardini precibus cõmendatum enixè voluit. Rodulphus, & Matthias Auſtriaci vterque, & Auguſti idem expetiere. B. Andreas Abellinenſis è Theatina familia cùm aliquandò Lupijs Bernardinum vidiſſet, teſtatus eſt poſtea ſe, eius charitate, atque animi demiſſione perſpectis, in ingentem de viri ſanctimonia exiſtimationem veniſſe. Henricus IV. Galliarum Rex datis ad Hieronymum Bariſonem, tunc prouinciæ Neapolitanæ præfectum, literis, enixè petijt, vti pro imperio Bernardino ediceret, vt pro ſe, regnoque ſuo ſenex preces ad Deum funderet. Cæſar Extenſis Mutinæ Dux à Bernardino precatoriam formulam petijt, qua ſibi præſentem à Deo opem expoſceret, vt ſubiectis benè, atque vtiliter imperaret; quam ab ſene habitam Dux diebus ſingulis recitauit. Quod idem Rainutius Farneſius Parmæ, ac Placentiæ Dux impetrato piæ

precationis exemplo ſactitare etiam occępit. Vincentius item Gonzaga Mantuæ Dux haud ita multò antequàm è viuis excederet, per literas ſenem rogauit enixiùs vti pro ſe preces ad Deum funderet. Eſt in extrema Iapygia, qua promontorium Salentinum ad vtrumque mare Adriaticum, & Ionium pertinet, templum Deiparæ Virgini ſacrum, mole quidem exiguum, cæterùm antiqua religione auguſtum, & venerabile, quod à Leuca vrbe iam diruta, Leucadium à nonnullis, à pleriſque communi vulgi vocabulo, eò quòd inibi Italiæ fines gemino mari alluuntur, à terræ finibus appellatur. huc itaque ad IV. Non. Aug. multa mortalium millia vndique religionis cauſa conueniunt, æſtate iam adulta, & ardente Sirio. Porrò hi magnam partem Lupijs iter habent, quæ vnius diei viam ab Leuca diſtant. Iam cùm Bernardinus inter mortales ageret, peregrinantes vbi Lupias veniſſent, rogare omnes, ecquis ille eſſet morum innocentia, & ſanctitate nobilis ſenex, omneſque viſendi hominis, & alloquendi ingenti ſtudio efferebantur. Ex eadem hac tam præclara ſanctitatis perſuaſione fiebat, vt crebræ ſenem literæ fatigarent, quarum plerunque argumentum tale erat, quale virum ſanctimonia, & vaticinationibus clarum deceret: etenim multi de futuris hominem euentibus interrogabant, alij de rebus in totum abditis. Bellarminus certè, ea authoritate vir, antequàm Capuæ infulas reſignaret, tria hæc quæſiuit per literas à Bernardino. primum an ſine graui piaculo dici ſe Epiſcopum ſiuerit, quamuis id honoris non modò non volens, verum etiam inuitus cepiſſet: alterum an in præſentia abdicare ſe magiſtratu tam arctè teneretur, vt nō exuere infulas capitale crimen, & mortiferum habendū eſſet: poſtremum, an cùm migraret è vita, ipſum ęternam beatitatem conſecuturum arbitraretur. quibus ſenex cùm per modeſtiam animum obfirmaſſet vt nihil re-

ſcriberet, iuſſus à Rectore non negligere officium, ita reſpondit, vt & illi magno ſolatio ſenis literæ fuerint, & Bernardini egregiam in primis in reſpondendo prudentiam,& præſenſionem animi commendarent. Cæterùm quæ ad illum à viris magnis dabantur literæ, erant illæ quidem humanitatis pleniſſimæ, ſed quæ ſingularem quandam in primis viri exiſtimationem præ ſe ferrent. Cùm verò Bernardinus Carpos aliquid literarum daret ad ſuos, id ſtatim ad populares, mox ad propinquos ſi qui aberant, tranſmittebatur, vt ſanctiſſima quà ciuis, quà propinqui ſui monita cum omnibus communicarentur. Iam multi literis non contenti, cominus præſentia ſenis frui voluere. Et ſanè qui eius viſendi Lupias petiere, fuere quamplurimi, ijque minimè vulgares viri, nempe Epiſcopi, Principes, Duces, ſupremique ordinum moderatores, aut Prouinciales, atque alij notæ non inferioris, qui ſenem maximo cultu, officioque proſequebantur, vt ex ijs multi nōniſi prouoluti in genua hominem ſalutarent. Sic profectò ſenem inuiſit Ioannes Franciſcus Pignatellus Spinaſolenſium Marchio, Apuliæque, & Iapygiæ Vicarius: ſic Ioſias Aquauiua Atrienſium Dux, qui etiam ſacrificanti præſtò eſſe, & hierodolum agere voluit, & clàm illo manuum, quas ante ſacrificandum ritè lauerat, dilutum poſitis genibus hauſit non ſine pietatis fœnore; etenim tunc ipſum leuari ſe morbo ſenſit, qui plures ipſum annos afflixerat. Veneti item, qui ad oram Iapygiam appuliſſent, eius alloquendi ſtudio incenſi Lupias petebant. Franciſcus Realinus fratris ipſius filius Carpis ſe Lycium cōtulit, vt patrui ſui ſanctiſſimis monitis ad virtutem, pietatemque proficeret. Alij Bario, Nola alij tridui, aut octidui viam perrexere, vt cum ſene conuento agerent, nec deerat piæ operæ pretium. Faber quidam lignarius, cui Septimio nomen domo Romanus, Barij cùm annos plures æuum agitauiſſet, ita
vo-

volente Deo, vtroque ſimul lumine orbatus, diem in totum amiſerat. Cæterùm tametſi cæcitatem ferebat æquo animo, auebat tamen nihilominus maximè, ſi quà fieri poſſet, lucis vſuram recuperare: ea re cùm de Bernardini ſanctimonia magis, magiſque in dies rumor increbreſceret, viſendi hominis ſimul, ſimul & opis petendæ ſtudio ſe Lupias ad ſenem conferre conſilium inijt: quò cùm ſe denique appuliſſet, factus obuiam Bernardino itineris ſui rationem, atque oculorum neceſſitudinem explicat: tùm ille rem aliò ex modeſtia detorquens, Accipio te, inquit, libenter hoſpes, quem Irene Virgo Lycium auexit: at cæcus, ſe verò ad Bernardinum cæcitatis opem imploraturum veniſſe, nam Irenes huius negare ne nomen quidem auditum ſibi eſſe vſpiam: enimuerò hanc viri præclaram de ipſo exiſtimationem ſenex haud æquis auribus audijt. Cæterùm hoſpitem non inuito Rectore habere domi, ac tractare perhumaniter cœpit, conclaueque illi ſuo proximum impetrauit, ac tredecim ipſos dies in Collegio verſantem benigniſſimè habuit: quo interim ſpatio plura, eaque nec vulgaria in illum ſuprà naturæ vim, atque ordinem edidit. Morem habuit ſingulis diebus inuiſere hominem, alloqui, ac de rebus diuinis cum eo ſermonem aliquem inſtituere; ad hæc os illi, manuſque puro latice abluere, nullam denique intimæ charitatis, & beneuolentiæ notam negligere: intereà loci cęcus, quamuis cætera ita lumine caſſus ageret, vt nihil diſcerneret, tamen inuiſentem ſe Bernardinum dilucidè ſemper vidit, perinde ac ſi eſſet oculatiſſimus; quo factum eſt, vt eius effigiem vſque eò ſibi ad vnguem animo effingeret, vt poſſet deinde viri faciem graphicè cum lineamentis deſcribere. iam cùm ſoleret Bernardinus paſſerculis, & cæteris id genus auiculis micas panis, & aquæ vaſculum in feneſtra ſua apponere, nihil non horum apertè Septimius fieri videbat à ſene,

fuit-

fuitque cùm in domeſtico ſacello Bernardinus rem diuinam faciens vnà cum maiore hoſtia vnicam tantùm minorem bucceam inter litandum verbis ſolennibus conſecrauit,quam cæco ipſi ſcilicet,peracto ſolenni,impertiret, cùm ecce tibi nouus hoſpes, & ipſe vt ſacro epulo ſe Bernardini manu reficeret velut vmbra conuiuij,cęleſti menſæ repentinus accedit;at ſenex,vt vtrique ſatisfaceret, è maiore buccea fruſtulum auferens ſeruauit in patina, ac mox ex ara ad conuiuas conuerſus nouo hoſpiti ſacrati panis minorem illum orbem, cæco fruſtulum maioris dedit, quæ omnia Septimius & diligenter inſpexit,& ea erant,quæ non niſi ab oculatiſſimo poſſent animaduerti. Denique ſacro ipſo Pentecoſtes die Bernardinus vltimus ſacrificantium ad aras aſtitit, vt clauſis templi foribus cæco inter ſacrificandum ſacratæ ſignum crucis apprimeret. igitur cum litaſſet, ſeque cum Euchariſtico pane ad cæcum conuerteret, Septimius repentè colluſtrata acie oculorum ita pollere viſu cępit,vt & ſacram hoſtiam magno circumfuſam lumine cerneret,& ſenis ipſius os, manuſque vicinæ lucis acceſſu irradiari ſupra morem aduerteret, reliquum verò corpus diſtinctè illud quidem, & enucleatè, haud quaquam tamen tam inſolenti lumine auctum conſpicaretur; neque aliquid ſupra videre in poſterum Septimio datum; vnde facilè quiuis intelliget feciſſe etiam multos non leue operæ pretium, cùm tantum viarum Bernardini cauſa ſuſciperent. Iam alij contra cùm iter aliquò eſſent ſuſcepturi,non niſi adito, cõſultoque anteà Bernardino ſe dabant in viam. Ala equitum multis mẽſibus Barij in ſtatione fuerat vt oram illam maritimam à Barbarorum incurſionibus tutam præſtaret. Hæc adeò cępta iam hyeme domum cogitabat; verùm nullũ ante iter ingredi voluit,quàm ſeſe Bario Lupias conueniendi ſtudio ſenis conferret:diſtant autem Bario Lupię

millia

millia paſſuum ferè centum. Igitur eò profecta, ac ſenem deuenerata, tùm demùm ſecura animi domuitionem inſtituit. nec de nihilo tantum laboris, ac viæ ſuſcipiebatur, multi enim, quibus ille, dùm in procinctu eſſent, benè precatus fuerat, feliciter ambulabant; quod in cæteris Beneuentenſium Comes, quæ Proregina Neapoli fuerat, cùm Neapoli in Hiſpanias ſoluit, experta eſt. Igitur cùm hac tanta nominis celebritate floreret, flagrare multi deſiderio rerum Bernardini, quas pro lipſanis colerent. Et verò dici vix poteſt, quàm multi mortales vndique omnium ętatum, atque ordinum eius reliquias expetiuerint, profani iuxtà, ac religioſi homines, Duces, Antiſtites, fęminę etiam illuſtres, arripientes auidè quidquid Bernardinus attigiſſet. Fortè illi aliquandò precarij ſerti linea reſoluta eſt, diſperſique ſolo orbiculi; accurrere ilicet omnes, ac certatim ſublegere, ſic, vt ne vnus quidem ſeni ſit redditus. Iſabella Feltria Biſinianenſium Princeps, eademque Vrbinatium Ducis germana ſoror enixè à noſtris Lycij tùm agentibus thoracem ſenis obſoletum petijt, quem apud ſe pro ſacro pignore haberet. Mulieres Lupienſes ampullas afferebant, vt ſi quid aquę, viniue reliquum foret, quo ille in ſacrificando eſſet vſus, acciperent, ſacræ illius menſæ analecta pro reliquijs habituræ. Iam cùm litabat ad aras, aut aures confitentibus dabat, pro ea, qua præditus erat oculorum modeſtia, nihil prorsùs eorum, quæ procul fierent, aduertere cõſueuerat: ergò multi, aut arundinem ſuffurari, aut oras veſtium cultello abſcindere, aut earum certè (quoniam attritæ iam longo vſu id facilè patiebantur) fila, ac licia retexere, quod idem inter orandum non ignobiles fęminæ aliquandò ſunt auſæ. Alij vt à ſene aliquid precum, aut literarum excerperent, pijs munuſculis cum eius humanitate certabant: cognito enim quàm ille non ingratus benè de ſe merentibus eſſet, religioſa dona mittebant.

de Beatiſſimæ Virginis laudibus diceret. Realinus, vt qui Deiparæ addictus erat in primis, loquendi de Virgine anſam, & auidè arripuit, & multa etiam ipſe in tam pij argumenti auctarium de eius cultu diſſeruit, bonum factum aſſerens, vt in obſequium coronariæ ſalutationis orbes percurrerētur. commodùm id expectabat hoſpes. itaque ſenem excipiens: eſt verò, inquit, magno mihi ſolatio monitum iſtud tuum Pater; ſoleo enim hoc ego in illam pietatis, & religionis officium conferre: ac mox quaſi tunc ſalutare Virginem vellet, manus in zonam inferens, heu me, inquit, vellem enim nunc ipſum litare Deiparæ, ſed ſalutatorium ſertum ad manum non habeo. atquì, excipit Bernardinus, non eſt cur doleas, en illud eſt mihi in promptu, hoc ego te volenti animo muneror. Igitur eques auidè, quod ambiebat arripiens, mox inde lætus abſceſſit. Nec diſſimili aſtu alij compotes voti fiebant, planè vt nulla dies inanis illi ab huiuſmodi dolis excideret. Verùm ſi quempiam excepiſſe aliquid ſui religionis cauſa animaduerteret, conari, moliri omnia, adire ipſe, aut rogatum quempiam domum mittere, denique omnem operam ponere quoad ſua ſibi redderentur. contrà ſi pueros arundinem ſibi ſuffuratos ſciret, ridere dolum innoxium, atque ad fraudem actos ideò dicere, vt ludos ſuos ſoluti cum ęqualibus luderent. Porrò omnes huiuſmodi lipſana tanti facere, vt ea ingentis muneris loco accipere ſe dicerent, neque aliter cùm à quopiam ijs donarentur, niſi prouoluti in genua exciperent, habita verò diligentiſſimè aſſeruarēt, adeò vt alij argentea theca, alij vaginis oloſericis tegerent, alij bacillum, aut cingulum ſenis minutim conciſa, pluribuſque diuiſa viritim, & bullis oloſericis condita, pro amuleto adhiberent; alij demùm vnà cum cęlitum aliorum lipſanis, perindè ac ſi eorum vnus aliquis eſſet, indiſcriminatim haberent. Et erat cur tanti fierent; ſępè

V enim

enim huiuſmodi res miraculis nec vulgaribus pretium faciebant operæ. Andriæ Dux cum ſeſe Lupias ſenem ſalutaturus contuliſſet, ex illius pallio præſegmen ferro abſcidit, ſtatimque excreſcente panno manteli lacunam Deus ſic expleuit, vt nihil inde reſciſſum diceres. Interdũ illas odor ſuauiſſimus commendabat, quem & ſeruabãt diutiſſimè, & augebant in primis ſtatis quibuſdam anni diebus, nempe cùm, aut naſcentis, aut reuiuiſcentis Domini, aut vnum aliquod id genus ſolenne ſacrum ritè peragebatur. Neque vltimum præclaræ de viro exiſtimationis indicium habendum eſt, quòd multi viuentis adhuc imaginem habere voluerunt. Horatius quidam cognomento Verdutius clàm ſene, omnium primus nobile facinus auſus, exprimendum ad vnguem curauit, vnde tot vbique locorum expicta poſtmodum exempla, vt Italiam totam compleuerint, atque hinc ad Hiſpanias commigrauerint. Cæterùm ex hac tanta, tàmque præclara omnium de Bernardini virtute perſuaſione, ac fama, è noſtris hominibus (quod magis mirere) Rector vnus inuentus eſt, cuius ad ingenium ſenex non ſatis factus videretur, eamque ob rem illum Lupijs aliò amandare eſt aggreſſus; ſed non modò à maioribus peſſimi voti compos non eſt factus, verùm etiam abire ipſe magiſtratu eſt iuſſus. Neque ita diù poſt morbo lethali afflictus in maximis doloribus efflauit animam. Alterius verò exitus, qui Bernardini laudibus obtrectauerat, longè luctuſior. *Erat hic iuris quidam peritus, qui olim in Iapygia forenſium cauſarum triumuir pro tribunali ius dixerat.* vnus ergò hic exterus auſus eſt de Bernardino maledicè aliquid dicere, ſed verò traducere integerrimũ ſenem impunè illi non fuit; etenim auitæ fidei deſertor, & religionis turpiſſimus transfuga Geneuam adijt, eoq; loci ſupremum diem infeliciſſimè obijt, Deo videlicet ſerui ſui ſanctitudinem tam ſeuerè plectendis obtrectatori-

toribus comprobante. Demum poſtquam conceſſit è viuis Bernardinus nihilò minore ſtudio viri merita tanti fieri, vt multi illo ſequeſtre apud Deum vti cęperint, eòque eius memoria celebrari in dies frequentiùs, quòd multi per illum voti ſe reos dicerent; vulgatoque Bernardini nomen miraculis fieri nobile, cępti illicò vndiq; ad eius cineres religionis cauſa magni concurſus fieri, plurimis mortalium quà ſanctitatis opinione, quà tantarum admiratione rerum excitis.

Quanti Bernardinum Lupienſes fecerint. Caput XXXVII.

ATque hinc pronum eſt intelligere, quanti parentem, ac iure, meritòque dixerim ciuem ſuum Lupienſes fecerint, quandò exteri, & longo terrarum tractu diſiuncti mortalium plerique tam magno in pretio Bernardinum habuere. Nam & habet hoc virtus, vt aſſuetudine, conuictuque tanquam attritu odor, melius ſentiatur; & præcipuè ad amorem ſui excitat, ſi illam collata in plurimos beneficia, & miracula quædam illuſtria commendent: quæ in Bernardino Lupienſes & ſenſere ſemper; & non ſine ingentibus commodis omnes experti ſunt. Sed quoniam non vacat hic ſingulatim percenſere omnia, ea tantùm in præſenti afferam, quæ in extrema viri ſenecta, aut proximè ab eius obitu egregia ſuæ in illum ciues non vulgaris exiſtimationis argumēta edidere. Nam cætera vita quanti hominem fecerint, ex ijs, quæ ſupra retulimus, nemo vnus nō facilè intelliget. Illud itaque egregiæ opinionis fuit, quod haud ſcio an in vllis Sanctorum hominum legatur hiſtorijs: nempe cùm viderent ciues ſenis ſui adhuc affecta ætate, ac valetudine vitæ curriculum protrahi, anno labentis ſæculi deci-

mo quinto Sigiſmundus Rapanaus Lupienſium Syndi-
cus in ante diem XII. Kal. Ian. concilio habito hanc de
Bernardini ſanctimonia ad reliquum magiſtratum con-
cionem habuit, quam in publica acta referri poſtmodũ
„ placuit.Quod in vrbem hanc noſtram,noſq; omnes ſin-
„ gulare beneficium Deus contulit, cùm Bernardinum
„ Realinum egregia ſanctimonia virum nobiſcum hîc
„ æuum agere tam diù voluit,& ſcitis profectò ciues, & vt
„ arbitror, vobiſcum taciti non ſine grati animi ſignifica-
„ tione recolitis: quadraginta enim, eoq; ampliùs annos,
„ illius nobis virtus ad pietatem præluxit.Mitto vaticina-
„ tiones,& oracula tam certa, vt nunquam expectationẽ
„ fefellerint; tam crebra, vt ipſe vſus admirationem penè
„ iam exterat: eius certè merita egregia, & opportunam
„ afflictis rebus noſtris opem à Deo extorſere frequenter,
„ & minimè vulgarem præſentiam priuatis cuiuſque no-
„ ſtrum commodis impetrauere, adeò vt ferè nemo vnus
„ in vrbe ſit,qui non Bernardini precibus aliquid acceptũ
„ referat. Neque Lupiæ modò noſtræ, ſed præter oram
„ Iapygiam,ac Regnum ipſum vniuerſum,prætereà exte-
„ ræ,longèque diſiunctę terrarum orę quanta ſenex apud
„ cęlites gratia polleat, plurimis periculis edoctæ ſunt.
„ Quare,cùm edita à ſanctiſſimo viro miracula iam longè
„ plurima extent, diuinationes etiam innumerabiles te-
„ neamus, quorum, niſi maturè nobis conſultum eatur,
„ memoria paulatim excidet, multi enim, qui iſtiuſmodi
„ rebus ſuperſtites fuerant,oppetiere,bonum equidem fa-
„ ctum cenſeo iniuriam temporis anteuertere, & publico
„ totius Cõmunis nomine Epiſcopum alloqui, vt quoniã
„ Bernardinum aliquandò Lupienſium patronum inter
„ cęlites futurum pro certo credimus,ius,faſque ſit nobis,
„ rerum,quæ admirandæ vulgò habentur,nec non vatici-
„ nationum iam nunc teſtes proferre,eoſque,quò fides di-
„ ctorum conſtet, ad Sacramentum adigere, ſic, vt huiuſ-

modi

„ modi inſtrumenta fidem poſteris faciant, ſi contigerit
„ illum ab obitu in Sanctorum numero collocari. Nec nõ
„ illud addiderim, hanc eandem conficiendi publicas ta-
„ bulas facultatem ab alijs etiam Epiſcopis eſſe petẽdam,
„ vbi vbi homines extant, qui admiranda ſenis noſtri faci-
„ nora, & miracula dicere pro teſtimonio poſſint. quòd
„ ſi id per Epiſcopos non licuerit, cenſeo etiam ſummum
„ ſacrorum Antiſtitem Paulum huius nominis Quintum
„ Romæ adeundum. Hæc cum Syndicus ad Magiſtratum retuliſſet, itum eſt in ſuffragia, pariterque in eandem ſententiam diſceſſere omnes, ſic, vt nullis parcendum ſumptibus dicerent. Igitur non ante è curia egreſſi, quàm ex illo corpore quatuor viros eligerent, qui maturè negotium, & ſtrenuè curandum ſuſciperent. Et ſanè nemo vnus in eo cœtu inuentus eſt, in cuius ſaltem familiam Bernardinus non ſingulare aliquod meritum contuliſſet. Hæc adeò viuenti adhuc Bernardino cæleſtium honorum veluti rudimenta decreta. Cæterùm ad ſenem iam lectulo affixum ciues paruos ſæpè liberos deducebant, vt ijs benè adprecaretur. Iam vbi exceſſit è viuis, cùm illi egregio opere mauſoleum ciues decreuiſſent, quoniam operi perficiendo temporis aliquid dandum neceſſariò fuit, moræ impatientes noluere interea loci, eodem, in quo Patres reliqui ſepulcro condi. Igitur III. Idus Octobr. eodem, quo obijt anno eductum è priore capſa corpus, in aliam longè ſumptuoſiorem condidere. Erat autem ea tota cupreſſina, & affabrè elaborata, ſubſutaque Attalico textili. huic ſeras duas cum clauibus addidere, quarum Rectori alteram, alteram Syndico ſeruari uoluere. Arcam porrò iſtiuſmodi non in communi ſarcophago, ſed in ſacrario pone aram maximam collocauere. corpori uerò, detracta ueteri penula Sacerdotali ianthina, nouam, eamque candidam circundedere. Iam vbi eo loci conditum Bernardini corpus reſcitum eſt,

ſtatim

ſtatim præcipua apud omnes in veneratione eſſe, vndiquo eò religionis cauſa accurrere, atque alij funalia incendere, alij ſuſpendere de pariete votiuas tabulas, donec ſepulcrum,quod interim excindebatur,perfici poſſet. Erat verò id elaboratum affabrè, quatuor columnis hinc inde,geminis ſcilicet ad caput,totidem ad iacentis pedes perpetuo ſcapo, atque opere Corinthio erectis. In tumulo ipſo tanquam adhuc iacentis in feretro Bernardini ſignum viſitur cum læna Sacerdotij optimè exculptum,lapis item parieti additus,atque inſcriptus his literis legitur

BERNARDINO REALINO CARPENSI E SOC. IESV,
VARIETATE DOCTRINÆ,
CARITATE IN PROXIMOS,
MAGNARVM VIRTVTVM NOTIS,
VITÆ SANCTITATE, ATQVE INNOCENTIA
CELEBERRIMO
ORDO, ET POPVLVS LVPIENSIS
PARENTI OPTIMO, ET OPTIME MERITO
P.P.
VIXIT ANNOS LXXXVI, IN SOCIETATE LII.
IN HAC VRBE XLII.
OBIIT VI. NON. IVLII SABBATHO,
ET FESTO DIE VISITATIONIS BEATISS. VIRGINIS.
ANNO SALVTIS CIↃ IↃCXVI.

Iamq; opere abſoluto,ad læuam aræ maximæ, vbi mauſoleum erigitur, obſeratis templi foribus, ne quid turbaretur,noua arca locata eſt, ac ſtatim populus frequẽs adire pios cineres, ijſque cereos accendere, & Bernardinum vocare pijs precibus cœpit. Quanquam verò noſtri homines,& Epiſcopus pium hoc populi ſtudium extinguere, & prohibere cultum ſumma vi niterentur, impetrari tamen nulla ratione potuit, quin multos adhuc dies idem pietatis officium à ciuibus præſtaretur. Igitur ma-

matutinis pariter,ac veſpertinis horis ingens populi cõcurſus fieri, & accepti beneficij indices, quà cereos, quà tabulas,aut alia id genus anathemata certatim aggerere, pietate vſque adeò contumaci,vt Antiſtes cùm prohibendo non eſſet, ratus id non ſine arcano Dei nutu fieri,edixerit Patribus,vt ne in poſterum ſtudium tantæ religionis extinguerent, contenti non excitaſſe. Quare effuſa plebs eadem agitare,& augere etiam nouis officijs pietatem, adeò vt mulieres aliquandò reptantes ad tumulum exerta lingua ſolum conuerrerent,floreſque, & ſepulcri puluerem legerent, quem mox laborantibus morbo dabant:alij penſiles lychnucos ex argento,coronas alij,pars veſtem oloſericam,denique partem nullam officij, aut pietatis negligere. Ad hæc Clerus Lycienſis ad ædem Societatis frequenter ſacris eſt operatus, vt eorum religioni ſatisfaceret, qui ob accepta à Bernardino merita, gratias agere vellent. Verùm inter litandum noſtri homines nunquam à flamine Bernardini nomen efferri,ſed vel patronam vrbis Irenen, vel Beatiſſimam Dei Matrem, vel Spiritum Sanctum,vel ipſam auguſtiſſimam Triadem vocari ſacris ſolennibus voluere.Cæterùm Kal. Iul. ac proximo die, quo die Bernardinus, vt piè credimus, migrauit ad cælites, magiſtratus vrbis quotannis templi noſtri parietes aulæis Attalicis cum pompa veſtiendos locant, ac ſolenne ſacrum Virginis ſalutantis Eliſabetham faciendum curant, preceſque ambas veſpertinas cum numeris quàm belliſſimè modulatis recitari iubent. Denique in communis lætitiæ auctarium, aliquot orbarum virginum inopia laborantium nominibus in vrnam coniectis, ſortes ducuntur, eæque,quibus felicior nota contigerit,cum honeſta dote viris quæque ſuis nuptui traduntur. Atque ita Lupienſes in annos ſingulos ſanctiſſimi viri memoriæ ſolenni ritu & piè,& gratè parentant.Iam poſt Bernardini

obi-

obitum ciues decretum anni ſuperioris affirmauere, vt illi cæleſtes honores à Romano Pontifice procurarētur; eamque ob rem rerum à Bernardino geſtarum publicæ tabulæ fieri cœptæ, & Lupijs quidem annuente Epiſcopo duo huiuſmodi inſtrumenta confecta, Tarenti item, Neriti, Stabijs, Vxenti, Capuæ, atque alibi ſingula, quæ Romam unà cum literis plurimorum ad Pontificem Maximum miſſa ſunt. Petiere autem in reliquis Bernardinum in Sanctorum album referri, Bauariæ, Mutinæ, & Parmæ Duces. Quare Pontifex tantorum uirorum poſtulatis annuens, cùm tabulas ritè, atque ordine confectas purpurati Patres cenſuiſſent, datis Apoſtolicis literis, nouas inquiſitionis tabulas cum teſtium idoneorum ſubſcriptionibus, quæ Bernardini apotheoſi deſeruirent, confici iuſſit; eæque Carpis, Romæ, Neapoli, & iterùm Lupijs fieri cœptæ, quas nunc Romana curia apud ſe habet, ijs, cùm Deo viſum fuerit, in tempore ad ſerui ſui gloriam vſura.

Libri Primi Finis.

BER-

BERNARDINI REALINI E' SOCIETATE IESV SACERDOTIS VITÆ LIBER SECVNDVS.

Bernardini Amor in Deum. *Caput I.*

NVnc, quoniam vitæ rationem vniuerſæ, rerumque geſtarum ordinem perpetuæ narrationis ambitu amplexi ſumus, par eſt enucleatiùs de viri moribus præcipua quædam attexere, vt quàm ille ſeuerè dicta, factaque omnia ad perfectæ, abſolutæque virtutis normam exegerit, liquidiùs pateat. Rem itaque omnem per capita, & ſpecies exequemur. Libet verò à faſtigio ipſo totius ſanctitudinis initium ſcribendi ducere, à caritate nimirùm in Deum, nec Bernardinus abnuerit, qui illum ita rebus cæteris anteferebat, vt diceret non habere ſe Regem, niſi Dominum Ieſum. Ergò, nihil noſſe, nihil penſi habere, niſi Deum; vt propterea de facili ſeſe rebus omnibus ſubduceret, vt illi vni vacaret, neque inde auelli ſe ſineret, niſi ſi delectabile mentis otium laborioſo negotio

poſthabendum proximorum caritas ſuaderet, adeòque à Dei nutu pendere didicerat, vt in vna illius voluntate planè acquieſceret, ac Vatis ſanctiſſimi carmen illud vſurparet, Paratum cor meum Deus. Quare ſi quid aliquandò vel ſibi, vel ſuis accidiſſet aduerſi, lætari tunc potiſſimùm, quòd non ſine magni conſilio, ac prouidētia Numinis factum id certò crederet, vir cætera mitiſſimus, & qui proximorum infortunijs lacrymas funderet. Iam, ſi quandò patratum impiè, ac nefariè aliquid cognouiſſet, ad dolorem offenſi Numinis vbertim flere, & frontem contrahere; ipſe verò nihil non aggredi, quo homines à ſcelere, ac noxis abſtineret. contrà ſicubi amplificari, & efferri Dei gloriam inaudiſſet, geſtire animo, ſic, vt religioſis etiam munuſculis eum, qui ad ſe id nuncij attuliſſet, proſequeretur. Idem nihil habebat in votis optatiùs, quàm, vt mortalitatis huiuſce tricis exutus, ad Dei ſui complexus ſuauiſſimos euolaret. Interdū verò ita ſtudio rerum diuinarum efferebatur, vt teſtem amoris ſui ſanguinem pro religione profundere, omneſque ſubire cruciatus corporis cuperet. Ergò hinc illa tranquillitas mentis, & illa veluti Alcedonia placidiſſimæ ſecuritatis, quibus aſſiduè fruebatur; hinc etiam viro nulli ſermones, niſi de Deo, ac de rebus diuinis, quòd nō aliud, niſi, quod intus in corde ſeruauerat, proferre ſermonibus poterat. quòd ſi quis inter fabulandum ad aliena deflecteret, mira dexteritate detorquere ad diuina ſermonem nouerat; quod idem aliàs ſæpè in rebus, quæ vſu veniunt factitabat, illud in hanc rem vſurpans, oportere vndique, vel è profanis rebus bolum aliquem, qui ſpiritum ſaperet, delibare. Vacabat in culina purgandis ollis aliquandò cum ſocio, atque hinc hominem admonendi occaſionem nactus, in hunc modum, inquit, repurgandus eſt animus, ſi nimirùm expreſſæ gemitu lacrymæ calidam, ſi peniculum, vitæ, morumq; examen
ſuf-

ſuffecerint. cùm ſcalas aliquandò conſcenderet, arundinem, qua nitebatur ferendam comiti dedit, rogatuſque ecquid, cùm maximè opus eſſet, fulturam abijceret, ſe id temporis in ea cogitatione eſſe reſpondit, vt, quàm ſit arduum iter ad ſuperos, pẽſitaret. Idem fatigatus aſcenſu, rogatuſque vt reſiſteret, minimè verò, inquit, tantò enim cęlo propiores erimus, quantò euadere ad ſuperiora fortiùs enitimur. Hoc idem multò frequentiùs vſurpabat in literis, penè vt omnia amicorum negotia ad Deum bellè, atque opportunè traduceret; eandemque hanc commentandi vbique de Deo ſolertiam alios edocebat. Nobilis fœmina Bernardino plurimos annos pro confeſſario vſa, cùm animi cauſa rus cogitaret, ſenem ex officio adijt: ille abituram ſic imbuit, vt cùm ſe daret in viam Magorum ad puerum Ieſum iter animo iuberet voluere; cùm ruri ageret, ſudanteſque in opere ruſticos cerneret, quà arationibus, quà foſſionibus nauantes telluri operam, eundem animi cultum adhibendum nobis eſſe intelligeret; nam & fodiendam animi ſegetem, hoc eſt cruciamentis, ac pęnis ſubigendum ingenium eſſe, & herbarum inutilium, hoc eſt vitiorum innaſcentium depaſcendam cultu ſeueriore luxuriem. Quæ, quanquam non ita per ſe magna, tamen ideò retuli, vt vel hinc Bernardini in Deum amor intelligatur, qui nullam rei benè gerendæ anſam omitteret, ſed tanquam in diuite menſa conuiua famelicus ne micas quidem perire vllas pateretur. Porrò ex ingenti, quo flagrabat in Deum ſtudio, mira etiam illa in rebus omnibus fidentia extitit, qua ſe, reſque ſuas diuinæ benignitati ita crediderat, vt firmum ſibi, ac perſuaſum haberet, nihil omnium, quibus ſibi vſus in vita foret, Deo non curæ futurum. Neque hanc perſuaſionem Deus fruſtrà habuit. Domeſtici moris eſt, matutino ante prandium excutiendæ conſcientiæ dari quadrantem horæ; fortè igitur fuit, cùm cellarius, dum

alijs omnibus vacat,panem, qui iam *illi ex toto* defece-rat,negligeret etiam ex toto;quare,cùm inibi eſſet,vt de more ſignũ examini daret,rem non ſine dolore animaduertens, illicò ad Bernardinum, qui tùm forte curabat domi,accurrit,conſilijque inops,quid facto opus ſit, rogat: ille re cognita, lenè ſubridens, hominem ſecurum agere iubet, ac Deo fidere, ac ſignum excutiendæ conſcientiæ dare,Dei ſeruis panes tempori adfuturos:paruit itaque penarius; cæterùm vbi elapſo tempore menſæ ſignum dandum erat, neque vſquam locorum panem aſpicit,adit iterum ſenem anxius rogitans, an tintinnabulo Patres cogi iuberet ad menſam, annuit Bernardinus pro certo affirmans panes affuturos: enimuerò ſubiratior ille, ecquid ita id me facere iubes? inquit; quin ad forum aliquem, qui panes comparet interim mittis? qui vbi redierit ſignum dabo; at ſenex perſtare in propoſito.Igitur ſigno dato Patres conueniunt,ſed tantùm quòd ſolenni formula ſacrare menſam occeperant,cùm ecce tibi adeſt in tempore ad ianuam ignota mulier cũ panario,in quo panes recentes ad duo de quinquaginta erant benè grandes, inuiſa plane, atque inſolenti in ijs regionibus forma compacti, eoſque ianitori offert, neq; quanquam rogata, ecquis eam mitteret, aut vnde veniret,aperuit. Neque hoc ſemel,aut iterùm, ſed ſæpiùs accidit;ſimillimis autem ſuperſedeo,ne legenti faſtidium creem. Præerat item domi Bernardinus, cùm fortè per æſtatem in doliario vas vnum ad bibendum reliquum erat,vnde & Patres,& cæmentarij aliquot, qui operam domi locauerant,vinum iam pridem hauſerant,tamen in hac tanta rei vinariæ penuria præcepit ſenex cellario, ne quem inopem,qui vinum expoſceret,abire vacuum ſineret: contra ille pro ſuo munere præmonere ſenem in tempore,ne ſi fortè benignior in pauperes ex vno dolio vellet eſſe, patres mox domi ſitirent, neque enim ad

manus

manus eſſe aliud bonæ notæ, quod emerent: etenim in ora Salentina per æſtiuos calores ſæpè iterùm feruens vinum, excitata fæce fit fugiens. audijt opportunè monentem Bernardinus, neque tamen ſententia motus, nefas eſſe dixit, qui egenis benignè faciat, ipſum indigere: ergò cùm iam diù cellarius imperata feciſſet, viſus eſt iterum illi monendus Bernardinus, ne intempeſtiuà hac liberalitate dolium exhauriretur; quamobrem ſenex cum adminiſtro, & cellario ipſo cellam vinariam adijt, exploraturus ecquis in dolio vini modus ſupereſſet, eoque loci amoto deſuper operculo, non ſine ingenti admiratione cellarius dolium vini plenum perinde inuenit, ac ſi ne cirneam quidem vnam hauſiſſet inde, lætuſque ſucceſſu ſenex, ilicet Deo fidendum inclamat, atque in poſterum nihil pauperibus denegandum. quibus diuinæ erga ſe beneuolentiæ notis mirum quantum Bernardini charitas incrementum ſumebat in dies, quam tamen ipſe fouebat aſſiduis precibus. Quare ita interdum æſtuantis intus amoris impetu abripiebatur, vt alienatus à ſenſu animus extaſim pateretur; interdùm inter loquendum manibus pectori appreſſis, oculiſque elatis in cęlum Deum ſuum inclamaret, eidemque gratias ageret; rogatuſque aliquandò, num mortem extimeſceret, negauit ſe intelligere, poſſe nobis quicquam ab ea timeri, per quam vnam proximè ad Deum acceditur.

Caritas

Caritas eius in proximos.
Caput II.

CÆterùm amor eius in Deum non aliundè luculentiùs ſpectari poterit, quàm ex eiuſdem erga proximos caritate, ac ſtudio, quo omne genus mortaliũ eſt amplexus. Et ſanè, cùm in Bernardini moribus omnia præclara ſint, tamen, ſi quid eſt inter virtutes, cui primas deferre poſſis, profectò ingens eius iuuandorum hominum ſtudium cæteris animi dotibus antepones. Eratque vſque eò ſpectata omnibus viri caritas, vt illud inter Lupienſes paremiæ loco vſurparetur, cùm aliquid in hoc genere laudis efferre vellent, Hoc profectò Bernardini charitatem redolet, ac nonnulli, qui Turcicam ſuperſtitionem eiurauerant, à Bernardino Chriſtianis ſacris initiati teſtabantur agnoſcere ſe vel in hoc vno vigere inter Chriſti aſſeclas germanam caritatem. & quidem iure, ac meritò, nihil enim agebat, quod non ad proximorum vtilitatem dirigeret, adeò, vt multum ſibi de cibo, ſomnoque detraheret, vt ſolutior alijs vacaret, ac reliquarum virtutum munia aliquandò cum virtute negligeret, vt huic vni faceret ſatis. neque vllis difficultatibus vinci poterat, ſi quæ ſeſe fortè inter opem ferendam obieciſſent, neque corrumpi ſibi opportunitatem vllam eſt paſſus, ſi quandò benemereri de alijs aliquid poſſet. atque inter hæc Dei benignitatem demirari ſe aiebat, qui tam ſegnem, inertemque vineæ ſuæ operariũ elegiſſet. Popello, qui cæteris, vt pannoſus, & fame enectus deſpicatui eſt, Chriſtianis moribus, legibuſque imbuendo in ædicula, magna cum animi alacritate nauabat operam, homineſque id genus, qui omni ope, ac facultate deſtituti, præter capita, nihil numerabant in cenſu, præcipuo quodam ſtudio, & amore adeò proſeque-

quebatur, vt mancipia, & ſeruitia heris ſæpenumerò tanquam cariſſima pignora commendaret, frequenter etiam inuiſeret, vacuumque à famulatu tempus illis aliquod ad pias preces obeundas à dominis impetraret. Iam eos, qui ſceleribus cooperti, ad illum opis cauſa cõfugerent, adeò non exoſus, vt nihil in illos non Chriſtianæ benignitatis impenderet, nihil ſeſe ab huiuſmodi hominibus abhorrere dictitans, ſed miſereri vicem illorum, & quantò nequiores eſſent, tantò ſe eos magis ex animo amplecti, & fouere, aſſiduaſque ad Deum pro illis preces fundere; meminiſſe enim & ſe hominem eſſe, ac proinde non ignarum mali opem ferre miſeris didiciſſe. Qua quidem in re Dei ſe miſericordiam aiebat ſequi, qui id genus homines ad pœnitentiam alliceret, atque amantiſſimè eblandiretur. quamobrem medico ſimilem homologetam iubebat eſſe, qui neque ſuccenſeret ægroto, neque illi quicquam malediceret, ſed fomenta adhiberet, ac morbo medicinam ex animo faceret. Ergò cognita viri humanitate accurrere ad illum omnes, quos ille beneuolentia quanta maxima poterat excipiebat, nemoque vnus niſi ſatisfactione accepta diſcedebat. Idem amor, corporis etiam neceſſitatibus obuiam ire pro virili edocebat. quare incredibile dictu eſt quanta in egenos benignitate vteretur. Et verò is erat, quicum natam vnà, adultamque miſericordiam diceres. in hos igitur ita ſe comem, & commodum exhibebat, vt viſus ſit ad blanditias vſque deſcendere. interdum eorum confeſſiones excipiens muſcas abigebat, tantique faciebat, vt eorum ſe precibus commendatum vellet, illud Dauidicum reputans, Deſiderium pauperum exaudiuit Dominus. Neque modò illis præſtò eſſe ipſe pro viribus, ſed adigere alios conſueuerat. Fortè in ſuburbanum noſtrum aliquandò deflexerat, atque inibi conſpicatus mala aurea ſub arboribus ſtrata vento paſſim iacere, illicò compli-

catis

catis in ſinum pallij oris,illud,ac linteolum malis impleuit,eaque mox in pauperes diſtribuit.Miſellus quidam ſenem rogauit, vt ſeſe noctem vnam hoſpitio exciperet, atque ille ſtatim morem gerens ianitori edixit,vt ne hoſpitem poſtridie dimitteret,ſed ſineret arbitratu ſuo domi eſſe. ergò ille tanta humanitate liberaliter vſus decem ipſos dies domi ſecurè eſt hoſpitatus.Cùm æger ſolus in conclaui pranderet, clàm adiutore ſocio aliquid obſonij ſeponebat,quod mox inopi cuipiam elargiretur. Anno à partu Virginis MDCVII. cùm ſumma annonæ caritas eſſet, ſenex ſponte maiorum lectas de menſa micas pueris fame laborantibus dabat,interdùm ijſdem ſemicinctio tectus pulmentum miniſtrabat; magnamque pecuniæ vim domeſtica difficultate,& verecundia laborantibus erogabat,qua integras domos, familiaſque ſuſtentabat. Huius autem munificentiæ partem deriuabat in paſſeres,& auiculas, quas non ſine accepta à maioribus facultate, alebat, eamque ob rem plenam aquæ cotylam,& comminuta panis fruſtula ad feneſtram alẽdis volucribus apponebat,& auiculæ,perinde ac ſi longo vſu aſſuetæ,frequentes aderant, & ſe interdùm, per hyemem præſertim,in ſenis cubiculum inferebant,cumque eo diutiùs, quodam quaſi inito neceſſitudinis iure deuinctæ agebant. Quin etiam ad eandem, in quo Bernardinus veſcebatur,patinam accedere,interdum etiam indidem cibum capere audebant.Demùm paſtæ non ante diſcedere, quàm Pater eis benè apprecatus auolandi ſignum faceret, & quò verſus iter dirigerent digito præmonſtraret. Iam ſi quem è noſtris prædatum aliquam iſtiuſmodi volucrem vidiſſet, miſellæ malo indolens omni opera eniti, donec ille ſolutam, immunemque dimitteret. Igitur qui in brutas huiuſmodi animantes ita erat affectus, quanta eundem in fratres caritate præditũ par eſt credere? ſi quem de noctu in cubiculo agens ſpatiantem

tiantem foris inaudiſſet, illicò recluſis cubiculi foribus, præſtò aderat cum lucerna, eidemque, donec tenebras euaderet, prælucebat. Idem, ſi quid rogaretur, triſtem abire neminem patiebatur. Laicus quidam ex ijs, qui in miniſterijs externis Societati operam nauant, piarum ſibi commentationum libellum excribi petijt à Bernardino: enimuerò id multum otij, multumque laboris requirebat, erat enim mole non adeò exigua volumen: iam à ſene affecta ætate, ac valetudine, plurimiſque, & maximis negotijs diſtento id extorquere non erat, niſi importuni hominis, & incommodi: ſed Bernardinus fratris deſiderium moleſtiæ ſuæ antehabuit; cœpit itaque diebus ſingulis è libello aliquid improbo labore tranſcribere: verùm cùm aſſidentem operi aliquãdò quidam adoleſcens è noſtris, qui tùm Lupijs Rhetoricæ nauabat operam, ſenem inueniſſet, re intellecta, excanduit ſcilicet domi quenquam tam improbi oris inuentum, qui tali viro, id ætatis tam operoſam prouinciam impoſuiſſet; petere proinde vt ſibi potiùs id laboris concederet; ſed negauit Bernardinus alij, quã vni ſibi, quò fratri gratificaretur, operi incumbendum: quare Rhetor, leuandi tãto onere ſenis Rectorem adit, laboriſque Bernardino intempeſtiuè additi admonet; qui certior factus ſenem rogauit, vt manum de tabula tolleret: ſed perſtitit Bernardinus propoſiti tenax, eò quòd optaret fratrem habere aliquid, vnde opera ſua proficeret, magnam ſe in eo voluptatem capere dictitans: quare vix illud denique impetrari ab homine potuit, vt porrò pergeret, ac magnam partem expleret ipſe, cæterùm affectam operam iuniori traderet ſupremam manum impoſituro. Haud ita multi menſes effluxerant, cùm eiuſdem notæ laicus alter inconſultus, cognito quàm humaniter ſenex fratri feciſſet, rogat, vt quam alteri præſtitiſſet, ſibi etiam non abſimilem operam excribendis pijs aliquot neſcio quibus ar-

gumentis commodaret: Bernardinus neque id Rectori gratum ſciens, & fratrem omninò neſcire literas, vt qui nunquam legere didiciſſet, negauit tantum ſibi otij ſuppetere, cauſatus plurium negotiorum, quibus diſtinebatur, occupationem. tùm ille cum ſtomacho: quoniam, inquit, tantulum laboris recuſas, erit, qui te humanior hoc idem non grauatè ſuſcipiat. Bernardinus fratris moleſtia, quàm incommodo ſuo triſtior, ſtatim lenire ſubiratum, ac vetare ne alteri negotium traderet, ſuſcepturum ſe, ac paulatim rem confecturum, ac mox, quod erat pollicitus, ſumma fide perfecit, libellum exſcripſit integrum, niſi quòd aliena opera interdum paulìſper eſt vſus. Neque in exteros minus pius. Clericus quidam in perſoluendo precum diuinarum diurno penſo, ita ſcrupulis conflictabatur, vt tantùm non ad inſaniam adigeretur. Igitur conſilij inops Bernardinum conuenit, animi morbum explicat, atque hic vbi conſilijs hilum non proficit, cœpit alternis recitare cum illo preces, eamque ob rem præſtolari eidem, pacatèque cum illo diurnum penſum abſoluere, quod religioſæ humanitatis officium ita ſanauit hominem, vt Societati mox nomen dederit, ſuſceptaque expeditione Indica, poſt operam ibi nauatam ſtrenuè, feliciter migrarit è vita. Noſtris verò hominibus, qui è longiquo domum ad nos ventitabant, omnia caritatis officia ſedulus impendere, adeſſe ex equo deſcendentibus, penulam humeris, cruribus ocreas detrahere, pedes lauere, lectulum ſternere, ornare cubicula, atque inſtruere ſella, papyro, cultello, calamo; fuitque cùm non egregiè, vt ſibi videbatur, hoſpitem tunc recēs aduectum ſalutauit, verùm id ſimul animaduertit, ſtatim hominem adiens infimis precibus demiſsè veniam expetijt; abeuntes verò tùm cætera humanitate, tùm lacrymis etiam proſequebatur. Quòd, ſi quem ſibi falſa aliqua ſuſpicione ſuboffenſum noſſet, nunquam deſiſte-
re

re donec officijs omnibus,& exquiſitiſſima humanitate omnẽ ex animo ſuſpicionẽ auelleret. Exteris porrò, qui domi noſtræ animum exercitijs ſpiritualibus excolebãt, ſedulam operam impendere, vt non diuina ſolùm ijs, & cæleſtia,ſed corporis etiam alimenta ſufficeret. Si quandò ianitorem ageret, & opus accerſito eſſet, curſitare per domum,quanquam inualidis cruribus ſenex,luſtrare domeſtica cubicula, monere Patres, idem ſportulas pauperibus primus afferre,neque ijs modò, qui ſoluti ac ſui iuris tota vrbe ad mendicandum vagari poterant, ſed multò etiam impenſiùs ijs,qui in cuſtodijs habiti infelix æuum inter vincula agitabant. Interdum adibat eos, qui (vt mos eſt piæ vrbis) prandium carcere detentis parabant,atque his haurienda aqua,conuehendis lignis, conuerrenda domo, purgandis patinis, omnibus denique Chriſtianæ caritatis,& modeſtiæ exercitationibus præſtò erat,planè vt non animis ſolùm,ſed corporibus etiam leuandis operam poneret. Interdum illorum cauſa magiſtratus adire,aut apud creditores ſequeſtrum agere, ſeq; pro ijs interceſſorem dare,interdum pecuniç, aliàs mulctæ leuamentum aliquod impetrare. Cuidam, qui ſe vrbis neſcio cuius Antiſtitem ferebat, in cuſtodijs habito,ne cibaria deficerent, author Rectori fuit vt matutinis iuxtà, ac veſpertinis horis prandium, ac cœna proſpicerentur. Alium,cui iam quæſtio,& tormenta imminebant,exorato Iudice exortem pęnæ dimiſit. Cuiuſdam,poſt cruciatus adhuc capite periclitantis,ita Iudici cauſam probauit, vt ſtatim ille ſolutum vinclis abire iuſſerit. Sed nuſquam viri caritas ad officia propenſior, quàm cùm morbo aliquo afflictos erigeret, quos vſque ad delicias amabat; neque domeſticos modò, ſed verò etiam exteros. Grauiter è familiaribus quidam domi adulta iam hyeme ægrotabat, eratque tempeſtas anni ſanè perfrigida. Bernardinus, cùm intempeſta nocte va-

letudinarium arctiſſimè ſomnus complexus eſſet,aſſurgens laborantem inuiſebat; eratque illi ſub dio per domeſticos hortos iter habendum; aderat tamen, atque interim humaniſſimo alloquio alleuare iacentem, gelida reficere, ſordes abluere conſueuerat. Aliàs æſtate media Lupijs Barienſis quidam in morbum incidit, eratq; omnium egenus in meritoria taberna, nudus ab amicis, ac ſuis, iamque ingraueſcente morbo imminebat exitiũ. ad id locorum fortè fuit vt duo hoſpites inter ſe fabularentur, atque inter loquendum de Bernardini virtutibus aliquid interijcerent, virique caritatem potiſſimùm ſummis in cęlum laudibus tollerent. ad ea æger arrectis auribus hunc hominem ſibi commodum fore ratus, miſit, qui ſuo nomine rogaret, vt quoniam tam procul à ſuis ageret, morboque tàm graui conflìctaretur, ne ſe adeò grauiter afflictum negligeret, ſed præſenti ope aliqua leuatum iret, neù re propè perdita laborantem deſereret. Curabat fortè domi per id tempus Bernardinus, ac Patres aliquot ægrotabant, quare in tam anguſtis rebus Patres in conſilium adhibet, quid facto opus ſit rogat, atque illi præſentem rerum ſtatum cauſati, negare aut cubiculum vllum vacare domi, aut qui valetudinarium ageret, quenquam eſſe; quare ſi admittatur, neceſſariò negligendum, proindè turpiùs deſtitui, quàm non excipi. Bernardinus, vt erat miſereri iuxtà, atque exorari facilis, acquieſcere dictis durioribus non quiuit; veniret itaque, nunquam caritati locum deeſſe, quòd ſi ægro miniſtrator nullus aderit, ego, inquit, implebo vicem. Neque mora: baiulos duos mittit, qui hoſpitem domum geſtatoria ſella conueherent, delatumque in optimo cubiculo compoſuit, medicos acciuit, ac duos ipſos, ac viginti dies domi liberaliter habuit, frequenter inuiſens, nec raro Patribus alia cura diſtractis, miniſtrabat ipſe, omnia denique Chriſtianæ caritatis munia impleuit;

donec

donec æger in totum conualeſceret. Sed illud in ſimili re longè illuſtrius: Homo Gallus genere nobili ortus, dum ſorte Romam iter intenderet, Lupias neſcio vnde auectus, ibidem graui interim valetudine implicitus ſubſtitit: iamque vrgente vi morbi in alieno ſolo, atque in ſumma rerum inopia, à ſuis longè gentium diſiunctus multis incommodis non ſine præſenti vitæ diſcrimine conflictabatur. Hoc adeò vbi reſcijt Bernardinus, quanquam domi priuatus ageret, tamen Rectori perſuaſit, vt hoſpitem opis alienæ indigum domi curandum ſuſciperet. Igitur facultate accepta in collegium deduci curat, quàm humaniſſimè tractat, fomentaque adhibet morbo, & quadraginta dierum ſpatio omni officio liberaliter habitum, demùm benè curatum, ac valentem Romam dimittit non ſine viatico, etenim nouis veſtibus, equo, pecunia, quam à pijs hominibus in hunc vsũ corrogauerat, abeuntem eſt proſequutus. Alius quidam terræ filius manibus iuxtà, ac pedibus captus, ſituque, & ſqualore obſitus iacebat, neque vnde, aut quo ſibi victum quæreret, ſatis habebat, ſordido ſcilicet, humilique gurguſtio continenter affixus; quare miſelli vicem dolẽs Bernardinus, impetrata à moderatoribus venia, vt hominem ſubinde inuiſeret, ac cibariorum aliquid ferret, frequens adibat, omni comitate, & alloquio blandus, interque eundum in via pro eodem precariam Beatiſſimæ Virginis coronam alternis cum comite recitabat. Ergò vbi ſenem iam caſulæ appropinquantem videbat æger, geſtire, & veluti gaudijs debacchari, manuſq; & vocem inconditam tollere, vix enim fando erat, & ſanctum ad ſe appellere lætis clamoribus proferebat; cæterùm ille interpellare dicentem, & ſe nonniſi peccatis obnoxium dicere, ipſum potius ſancti vocabulo dignum, qui in rebus tàm arctis caſus ſuos tàm æquo animo ferret, eratq; mira inter vtrunque de nominis huiuſce dignitate con-

ten-

tentio. Noſtris autem hominibus,ſi fortè decumberent, quantis officijs præſtò eſſet, memoratum eſt nobis in loco. enimuerò nulla mater amantiùs ad cariſſimorum pignorum quietem excubabat, ſic, vt obambulare nocturnus ad ægroti fores, admouere aures excepturus ſi quid fortè ægri lamentarentur conſueuerit; quòd ſi quem eiulantem nactus eſſet, & cui per morbum quieſcere non liceret, accurrebat illicò, comiterque alloquens, nunquid iuberet interrogabat; rogatuſque à Patribus ne ſibi tantum negotij de noctu faceſſeret, ne fortè ſenex ipſe in morbum dilaberetur, ſinerent modò aiebat, labore enim illo ſibi ſomnum conciliari, vnde refectis viribus habitior mox ad opus manè conſurgeret. Nec viuentes modò germanis hiſce caritatis officijs, ſed extinctos etiam, & ſanctiſſimos manes, qui purgatorio igne expiantur pro virili iuuabat, quos præcipuo quodam pietatis ſenſu proſequebatur. Igitur piacularia pro ijs ſacra frequenter facere, & Virginei ſerti orbiculos Deipara in ſingulis ſalutanda percurrere non raro conſueuerat. Denique vel ipſum caritatis nomen vſque eò gratum auribus accidebat, vt quæ cæteroquì viri modeſtia nulla ratione conceſſura fuerat, audito caritatis vocabulo facilè daret.

Orandi ſtudium, & aſſiduitas.
Caput III.

HVic adeò tam propenſæ in Deum, ac proximos caritati ingens precandi ſtudium acceſſerat, vnde ipſe ſcilicet in dies amor aleretur. Et erat is Bernardini animus, qui nullis à Deo ſuo negotiorum turbis abſtraheretur; quare, vt ingenuè ipſe de ſe faſſus moderatoribus eſt,ita ſe rebus commodabat,vt immotum

tum ſemper in Dei contemplatione animum ſiſteret, nam ſiue aliorum commodis procurandis, ſiue curando corpori vacaret, præſentiſſima Numinis memoria fouebatur; quicquid verò à rebus gerendis interdiù ſupereſſet otij, niſi pium aliquid aut ſcriberet, aut legeret, id omne diuinarum rerum contemplationi tribuebat, interdũ ternis, aut quaternis horis immotus inter precandum hærebat; interdum ſolidos dies, præter breuiſſimum ad meridiandum ſpatium orando continuabat poſitis genibus ante orbem Euchariſticum, neque in id ſtudium per noctem ſegnior, ſed vt erat tempeſtas illa à cæteris auocamentis ſolutior, ita Realini animus expeditior euolabat ad Deum, vt neque per morbum ceſſaret: quare valetudinarij curatores ſæpè nocte intempeſta cùm alij ſomnum caperent, fores ingreſſi poſitis genibus in medio cubiculi fundentem ad Deum preces ſenem deprehenderunt, vt hinc conficere liceat, quid ille ageret ſanus. Et fuere non ſanè pauci, qui de noctu quid rerum ageret Bernardinus per rimas curioſiùs explorauerint, iidemque mox ſenem plerunque noctis orando exigere, abſolutiſque demùm precibus, abiecta molli culcitra ſuper nudos aſſeres pernoctantem vidiſſe ſe pro teſtimonio dixere. Sub aduentum Lupias, cùm nullum adhuc Societati templum eſſet, conſueuerat ad ædiculam ſalutatæ ab Angelo Virgini nuncupatam per noctem ſe conferre, vt inibi feſſum curis diurnis animum, nocturna precatione reficeret, id verò domeſticis cognitum, exteris ita patuit. Quidam cùm nocturnum iter ingredi vellent, domique lychnis omnibus extinctis lumen in vicinia quærerent, per ædiculæ rimas fortè aliquid lucis intermicare animaduertunt, factique ianuæ propiores Bernardinum ad aram Virginis piè effuſum in preces inueniunt; ergò interpellare tantiſper orantem auſi, non minus inde ad virtutem, quàm ad iter opportunæ lucis

acce-

accepere. Atque hinc ille ſcilicet monere ſuos interdum, vt quoniam ad pſalmodiam in odeo non euigilarent de nocte, ſaltē cùm expergiſcerentur, nocturnis horis pium aliquod carmen voce profunderent, vt & ipſi ſuam cum tot Religioſorum hominum precatione confunderent: ſic enim aiebat poſſe apud Deum longè plurimùm miſtas preces, ac benigniore vena diuina beneficia in eos effundi, qui per id tempus vna quaſi voce, animoque Dei numen precibus ſalutarent. Iam ne imparatus ad orandum accederet, habebat in more poſitum ſero diei, priuſquam ſe ſomno concrederet, piarum rerum, quas matutinus animo volueret, habere prouiſum in tempore argumentum, poſtulata etiam, quæ inter precandum efflagitaret, & quæcunque per diem voce eiacularetur pleniſſima pietatis ſuſpiria præſtituebat; quæ omnia in ſchedula, fortaſsè vt matutino relegeret, cum cura adnotabat. Iam, vbi primùm euigilauerat, Deum illicò in memoriam arceſſere, ac parare ſe, animumque ſtudioſè componere, obſeratiſque cubiculi foribus, ne quid fortè animus, oculiue liberiùs euagarentur in lumine, ſibi ex toto tenebras obducere; mox ad orandum aggreſſus, eo erat oris, & corporis habitu, qui maximè pietatem iuxtà, ac religionem precantis addeceret. Plerunque flexis humi genibus, manibuſque aut explicatis in crucem, aut decuſſatis ad pectus, interdum, cùm vacare arbitris locū crederet, viſus eſt prono in terram ore Deum precari; aſt vbi ſpectantes aderant, nihil à communi more aberrabat. Inter precandum verò ita præſens diuinis intererat, vt non rarò ob concepti vim Numinis, alienato prorſus à ſenſibus animo hæreret omnis immobilis; quare qui ſuperſtites aderant, cum diù immotum cernerent, accedere ad hominem, & excutere, exploraturi an viueret. Idem tamen, ſi quandò illi animus auolaret, ſic, vt diutiùs in eadem cogitatione hærere non poſſet, vt eua-

gan-

gantem reſiſteret, prouiſa reuocandæ menti remedia habebat, atque in hanc rem illud vſui dicebat eſſe, interpellare ſcilicet aliquantùm contemplandæ rei ſeriem ſemel Dominica precatione, & ſalutatione Angelica recitandis, & cœleſtis aquæ guttulam interim Deum, ac Deiparam poſcere. externa item aliqua conformatione corporis pietatem excitandam monebat, nempè aut tollendis ad cęlum manibus, aut flectendis genibus, dolendumque ex merito cœleſtes nobis delicias interdici: ad hæc Cananææ illius mulieris exemplo firmandum animum, ac meliora de Dei bonitate ſperãda; negabat enim Deum totius illum pietatis fontem paſſurum vt ſibi creatæ res benignitate impertienda antecellerent. Ergò ſi ſol luminum princeps ima non deſpicit, ſed luce ſua vel ſordidiſſimæ fæcis purgamenta colluſtrat, quantò nos potiora bonitatis argumenta expectare à Deo addecet? Illa etiam non minùs ſapienter in hanc rem alibi edocuit: nempe, ſi cui inter orandum ab inſtituta contemplatione mens auolauerit, explicanda huic in crucis modum brachia, & in Chriſto ſotere figendum mentis obtutum, dandum terna telluri oſcula; quòd ſi à genibus doleat, Magdalenæ memor, ſedeat humilis ad Domini pedes; ſi à renibus, ſtet, & brachijs complicatis pendentis è cruce Domini pedes ſtringat, atque opem expoſcat, ſeque hominem nihili dicat, qui tantulo dolori tàm repētè ſuccumbat. Sancti item Martyris alicuius virtutem in labentis animi præſidium ſpectet; demũ Sanctiſſimæ Virginis, & Cuſtodis Angeli opem imploret. ergò huiuſcemodi ille præceptionibus inſtructus ad conſtantiam firmabat animum, neque vnquam, niſi longa ſenecta, & ægritudine victus quicquam corpori indulſit. Cæterùm nõ illi multùm ad externa hæc exuccæ, aridæque pietatis adiumenta confugiendum erat fruendis cælitum ſolatijs frequenter aſſueto, delicijs

enim cæleſtibus ita inundari conſueuerat, vt iure, & meritò facilem lacrymarum vſum inter collata ſibi cælitus dona recenſeret. & ſanè inter pietatis munia nihil erat, quod illi non vberes ex oculis fletus excuteret, ſiue diuinæ pſalmodiæ penſum exolueret, ſeù precibus aliaquauis ratione vacaret; interdùm cùm concionem haberet ad populum, aliàs cùm ſuffixi in crucem Chriſti Domini ſimulacrum aſpiceret, aut cùm precatorium Virginis ſertum percurreret. idem cùm patratum recēs immane aliquod facinus inaudiſſet, aut infortunium; vnde aliquis ingemeret, lacrymas dabat; eidem denique ſæpè cùm inter domeſticos de rebus diuinis diſſereret, aut vbi à cœna manus ablueret, vberes ex oculis lacrymarum riuuli profluebant. Verùm Bernardini preces non eæ erant, quæ pias haſce, ſed ſteriles lacrymas ſectarētur, ſed eò ſacras animi commentationes trahebat, vnde aliquod ſolida virtus incrementum acciperet, ac modò labis alicuius, ſi quam reſidere in animo cerneret, abolitionem, modò certam ſibi exercendæ virtutis rationem præſtituere conſueuerat, quæ omnia per diem ſanctè ſeruabat, aut ſi minùs propoſiti tenax errore aliquo humano laberetur, redibat illicò ad mentem, & non ſine quodam virtutis fœnore priora facta noua pietatis acceſſione dilutum ibat. Iam ad precationes veluti non leue auctarium acceſſerat aſſiduum ſalutandæ Virginis ſtudium, & vocales preces, in quibus par animi intenſio, eademque oris modeſtia, & orantis vultus, præſertim cum litaret Deiparæ neſcio quid ſupra cæteram hilaritatem amœnior. Denique tanta ſenis inter precandum vel aſſiduitas, vel diligentia minimè nullum ferebat pretium operæ, nam, preterquam quòd alienatus à ſenſibus non rarò perſtabat immotus, ita diuinis hiſce interdùm agebatur, vt vel ſublimem toto corpore in aërem ferri aliquādò nonnulli animaduerterint. Vnum hìc afferam

non

non vulgare rei teſtimonium. Tobias de Ponte vir claro genere ortus Bario Lupias contēdit, nullius ille quidem deſtinationis certus, niſi vt cum Bernardino de rebus cœleſtibus ageret. ergò per dies pluſculos pijs cum illo collocutionibus familiariſſimè habitis non vulgarem ſuſcepti laboris ſui fructum retulerat. Interea loci aliquandò Collegium petijt de more cum ſene collocuturus, ſed ne ad dicēdum imparatus accederet, priuſquàm hominem interpellaret, pre cubiculi foribus in area proxima neſcio quid pij argumenti verſans de via laſſus aſſedit, cùm ecce tibi tale aliquid meditanti viſæ ſcintillare è cubiculo celeres flammæ, quarum luce clariſſima proxima quæque colluſtrabantur. Stetit enimuerò ille ſacro quodam horrore perculſus, cæterùm mox audentior aſſurgit, atque vnde inſolens oſtentum erumperet rimari paulò diligentius occępit, propiorque ad cubiculi fores accedens, indidem nempe ſcintillas exiſtere animaduertit. ergò paulatim emoto cardine trepidus ſeſe in cubiculum penetrat, neque continuò quicquam introſpicit, etenim ne ſenis genuale ſubſellium, in quo Bernardinus orabat aſpiceret, tabula interceſſerat; ſed Tobias porrò pedem inferens Bernardinum flexis genibus, atque ipſis quatuor ab imo ſolo ſublimem elatum palmis inuenit: explicauerat in crucis modum brachia, os, oculoſque non ſine vberrimis lacrymis in cœlum intenderat, ex orantis verò corpore ingens vndique lumen effundebatur, & radij quidam flammarum: ipſe interim hærere immotus, niſi ſi labia tantùm excipias, quibus ſubinde dulciſſima Ieſu, ac Mariæ nomina ingeminabat, rogabatque vt morari ſecum, ſuoque in contubernio eſſe vellent. ergò ille rem demiratus, minimèque auſus in tantis delicijs ſenem interpellare, in eodem exceſſu mentis agentem adhuc abſcedens reliquit.

Afflictatio corporis, & Patientia. *Caput IV.*

TAntis itaque cælitum delicijs imbutus, facilè aſperiorem corporis cultum tolerabat, cui ille ita aſſueuerat, vt mos in ingenium verterit, ſomni, cibique parciſſimus ternas, ad ſummum quaternas horas quieti dabat; interdiù verò nihil de ſolida vigilia carpere, meridiationes huiuſmodi ex veteri præcepto exoſus, quòd illas & capiti noxias, & ſegnitiem animi afferre diceret: quin & dæmonium meridianum illas ex Dauidico carmine nominare conſueuerat. Inter quieſcendum autem nihil delicatum pati. Plures annos non detractis corpori veſtibus, aut ſupra lectulum, aut ſupra aſſeres nudos ſomnum capere conſueuit: aſt vbi affecta valetudine iuſſus à moderatoribus eſt culcitram ſopori addere, paruit; cæterùm detractis linteis ſimplici lodice ex lana contentus erat, ſic, vt neque per hyemem quicquam adiungeret, neque rurſus ſummis caloribus eandem abijceret; rogatuſque quì fieret, vt eodem ſtragulo vtens nunc vim maximam frigoris, nuc æſtus toleraret? habere ſe in promptu reſpondit, vnde per hyemem incaleſceret, atque vnde frigus ſumma æſtate captaret, recitatis pro diuerſitate temporum duobus illis verſiculis, Benedicite glacies, & niues Domino, Benedicite ignis, & æſtus Domino. Tentatus morbo aliquandò, vt Medicis, & Rectori obtemperaret, ne ſcilicet mali vis inualeſceret, addidit lintea, cæterùm inter ſpoliandum corpus, tanto cum animi ſenſu Numini gratias egit, quòd ſibi, qui nouiſſima exempla eſſet commeritus, & inferorum ſupplicijs addici deberet, tàm mollẽ culcitram ad quieſcendum concederet, vt è ſuperſtitum oculis pias lacrymas excuſſerit. Idem nunquam ſibi, neque ſtrati, neque pul-

puluinaris carminari tomentum, aut excuti eſt paſſus, quòd negaret cubile ſibi niſi humum deberi. Iam in cibatu nihilò ſibi indulgentior. Ter in hebdomadas ſingulas ieiunium ſeruare ſolitus, bis quidem ſimplici cibario pane,& puri laticis hauſtu contentus, atque idipſum adeò diſſimulanter factitabat, vix vt alios aduerteret: reliquis porrò diebus cibi adeò parcus, vt penè ſit ſupra fidem, nam præter cæteram longè plurimam abſtinentiam, qua ſubinde patronis cælitibus, & quidem ſępè litabat, animaduerſum diligenter à multis eſt, tunc, cùm cibum lautiſſimè caperet, vix illum ſelibram eſſe. ſtatis verò Eccleſiaſtica lege ieiunijs, lõgè frugaliùs veſcebatur, adeò vt multis tàm tenui victu vitam producere pro miraculo habitum ſit. Nihil vnquam ſibi, ne extrema quidem ſenecta indulgeri voluit: roganti verò cuidam ecquid ita arctè ſe, ac duriter haberet in victu, ſe quidem, inquit, eſſe plus nimio; cæterùm ſi quid reſpueret, id à ſe vtpotè à gulæ obnoxio tanquam ingrati ſaporis abijci. Affecta ætate aliquandò quadrageſimæ ieiunium ita ſeruauit, vt ſupra panis cibarij micas nihil obſonij adderet. Aliquot verò annis retoſto, tunſoque in puluerem pani, perparcè crudi intubi modum, & purã aquam in menſam appoſuit. Sanctioris hebdomadæ diebus, aut natalitijs Domini ferijs domeſticam cœnationem ne adibat quidem, ſed in cubiculo, aut hortenſe fœniculum, aut acinos paſſæ vuę, aut ex vino intritæ aliquid capiebat in cibum. & fuit, cùm appetente natali Domini die ipſum quatriduum omni prorſus cibo abſtinuit, ac roganti Rectori ecquid ita acciſas inedia vires attereret, explicato ad hilaritatem ore reſpondit, non in ſolo pane hominem viuere. Idem ſe flagellis frequenter cędere in more poſitum habuit. Cilicia interdiù ille quidem non ita ſibi frequenter induebat, ne huc illuc ad animorum ſalutem diſcurſanti impedimento eſſent; cæ-

terùm

terùm noctù non rarò ſomni negligens;neque æger pat-cebat corpori, ſed aut cilicinam veſtem, aut certè ſetoſum,& horridum cingulum nudo lateri admouebat. Per hyemem purgandis manibus calculos adhibebat, quorum aſpera perfrictione, ac diuturna ſanguinem eliciebat, cauſatus hoc vno medicamine manuum cruſtas excalpi. denique is erat, qui ſibi corpus vndeunde accerſitis cruciamentis frequenter attereret. porrò huic affli-ctandi corporis ſtudio geminum in perferendis ærumnis animi robur acceſſerat. Aliquot annis, cùm nondùm galericulo vteretur, ad capilli neglectum, quotquot è domeſticis adiutoribus tondendi rudes eſſent, id artis ediſcere iubebat de ſuo, ac die quodam egregios ſcilicet notæ huius artifices capiti ſuo omnes adhibuit, qui inæquabili, ac fluctuante pectinis ductu capillum diſcrimine incerto malè tonſum peſſimè deformauere. Nihilò vero his meliorem aliquandò tonſorem externum expertus egregiè tulit; nam dum ille paulò inconſultiùs tractaret ferrum, imprudens partem auriculæ abſcidit, hæſitque miſer inertiæ compertus ad aſpectum ſanguinis, qui ex vulnere manabat vberiùs. Cæterùm cùm errati veniam demiſsè à Bernardino expoſceret, ſtatim ille: atquì nihil eſt, inquit, fili, cur te ſocordiæ vllius inſimules; certè aut nullum eſt vulnus, aut nihili, perge porrò, & ſupremam operi manum admoue, quibus & exanimum confirmauit, & ſe ita ſupra dolorem exhibuit, vt, cùm noſtri diù multis linteis ad exiccandum appoſitis, ſiſti adhuc ſanguis nō poſſet, tamen ipſe rideret plagam, & nihili faceret. Ægrotabat aliquandò per æſtiuos calores, atque illi per ſummam incuriam valetudinarij curator nihil interim attulit cibi, at ille nihil conqueſtus, ita medici lege cautum credidit. Lupienſis ora per æſtatem culicibus permoleſtis obnoxia eſt; eos Bernardinus minimè abigere, ſed ſinere ab ijs ſibi exugi ſanguinem,

quoad

quoad eos ſatias cœpiſſet, quamuis illi cutis non leuiter à morſibus intumeſceret. muſcas item ſecuras ſecum agere iubebat, & cuidam abigenti, dùm ægrotaret, ſenex vt ceſſaret, edixit, cauſatus aliquam ſe ab illis tolerantiæ exercitationem accipere. Cubiculo vtens per hyemem ſanè frigido, eodem rurſus per æſtatem præferuido, nihil tamen vnquam corrigendæ tempeſtatis ſęuitiæ fomenti apponi voluit. quare cùm nihil cruciamenti aut non ſubiret ipſe, aut non oblatum æquo animo acciperet, breui ita corporis vires attenuauit, vt ſuſtinendis greſſibus quinquagenarius arundine vti cœperit. Diſtillationibus item laborabat aſſiduè ſiue cœli Lupienſis vitio, quod quanquam ſalubre, ac liquidum, tamen inter Ionium, ac ſuperum mare ſitum iugiter acceſſu ventorum perflabile, ac tenue redditur, ſeù continenti labore, quo audiendis confeſſionibus, iuuandiſque proximis caput fatigabat, ſiue neglectu corporis, cui nihil vacabat. Igitur pileoli vſum, cui nunquam antea aſſueuerat in remediũ adhibuit. Epiphoræ violentia ſubactus aliquandò, quæ aurium ſenſum ita retuderat, vt ne campani quidem pulſu æris excitarentur, qua tertio demùm menſe leuatus, vt capiti immite cœlum defenderet, galericulo vti cœpit. Subinde etiam morbis afflictus in lectulo erat, doloribuſque frequens inceſſebatur, nec dum affecta ætate, multò autem ſenex frequentius, in quibus eum morem tenuit. Æger anagnoſten aſceticum aliquid recitãtem audiebat, quem ſubinde iuſſum interquieſcere, per interualla, modò Dauidica carmina, modò Chriſti ſoteris cruciatus interijcientem excipiebat. Idem aliquandò per hyemem ægrotans Rectoris iuſſu coactus cubiculum, quod perfrigidum, & incommodum eſſet, mutare, ac migrare in aliud, vbi publicus focus arderet, paruit quidem, verùm admodum ægrè, adeò vt vultu mœrorem non diſſimulanter oſtenderet; rogatuſque

ſatin

ſatin ſe bellè haberet? En,inquit,ſanctum me falſi iuxtà, ac fallentes mortales dicunt, atquì cupiditatum impotentium plenus ſum miſer, eiectum me è cubiculo meo doleo. Hæc tùm ille in obtentum; cæterùm hoc illi veriùs dolebat,& ſibi in conclaui priſtino præcluſam amici receſſus, & tolerantiæ opportunitatem,& domeſticis reliquis in nouo per ſtationem ſuam,accedendi ad ignē ſæpiùs impedimentum additum. Iam ſi quod Eccleſiaſtica lege iuſſum ieiunium ægrotantem occupauiſſet, id, vt non ſeruaret nulla ratione adduci poterat: non tamen ſe moderatoris imperio difficilem dabat, ſed id à Deo precibus impetrabat, vt quo die ſolenni ritu inedia ſeruanda eſſet, ſibi illo die, ne legibus ſolueretur, meliuſculè eſſet, quare nihil ſuper ea re aut medici iniungere,aut Rectores audebant. Nihil æger ferebat ægriùs, quàm ſui præcipuam aliquam rationem haberi, nefas enim aiebat talibus illecebris aſſueſcere; contrà verò nunquam aut violentiam morbi, aut medentium incuriam querebatur. Reſupinus aliquandò cum ſella prolapſus humi caput afflixit,agebatque tùm fortè ſolus in conclaui: iacuit itaque ferè per horam malè habitus, donec additus illi curator laicus ſenem reuiſeret, qui hominem ita deprehenſum, exanimum credidit; ſed ille ſubridens nihil ſibi dolendum accidiſſe ait:verùm non ita abijt à noxa immunis, quin illi pluſculos dies in lecto eſſe ob doloris ſenſum acerrimum neceſſe fuerit. Cæterùm in his,ac talibus geſtire ſe Bernardinus aiebat, nullum enim luculentius diuini amoris in homines argumentum eſſe,quàm res aduerſas. Porrò æger relaxabat ſubinde animum ſcribendis carminibus,vel vt medico gratias ageret,vel vt cœleſtium donorum,quibus ad id locorum affatim cumulabatur, monumentum apud ſe aliquod extaret.In his porrò tàm crebris aduerſæ valetudinis conflictationibus interdùm non ſine miraculo

ſani-

ſanitati eſt redditus. Dolore laterum aliquandò vehementer excruciabatur, verùm cùm D. Nicolao Tolentinati nuncupati fruſtulum panis hauſiſſet, repentè conualuit, neque tentari ſe in poſterum ampliùs ea peſte ſenſit, quamuis anteà non rarò huic malo obnoxius indoluiſſet. Expreſſum aliàs è Diui Nicolai Myrenſis Epiſcopi oſſibus liquorem ſibi adhibuit, atque eſſe illi melius cœpit; dolor enim ſiniſtri brachij, quo plures dies laborauerat, ſacro malagmate eſt prohibitus.

Animi modeſtia, & demiſſio.
Caput V.

EA verò modeſtia præditus, nihil vt de ſe quiſquam ſentire demiſſius poſſet: etenim non modò ſe nihili facere, ſed haberi etiam ab alijs, & dici volebat nihil ſe, niſi peccatum eſſe, & ſi quid eſt nihilo ipſo longè deterius: non enim, aiebat, nihilum Deo contumax vnquam obfirmatè reſtitit, quod ipſe toties factitauiſſet. Iam ſe cœno, lutoque poſthabere familiare illi, & vſitatum. igitur non ſolùm nihil ambire vnquam, niſi ſi vt ſubeſſet coquo, ſed ad omnem etiam domeſtici famulatus laborem deſcendere, cum domeſticis adiutoribus miſcere operam, ac ſæpè ſolus eorum miniſteria occupare, atque obire nunc conuerrendis hoſpitum cubiculis, nunc purgandis ſordibus, interdum in philoſophicis, aut theologicis diſſertationibus ſedes ipſe, & ſcamna conuehere, ſtatuere in hemicyclum. præclaræ autem alienæ de ſe æxiſtimationis oſor tàm contumax, vt penè modum excederet, iraſci enim; dolere, flere idem vbertim, quoties honeſta ſanctitatis nomenclatura appellari ſe à quopiam intellexiſſet, accuſare etiam id hominis, & carpere acerbiùs, interdùm fugere cùm exire laudes alia

ratione non poſſet. Literas ſolitus frequenter accipere beneficiorum teſtes ab iis, qui ſe eius opera aliquid à Deo impetraſſe dicerent, incredibile dictu eſt quanto illas cum animi mœrore legeret. Quare aliquando, cùm neſcio quid huiuſmodi accepiſſet, totus in lacrymas ſolui, & dolere infortunium ſuum cœpit, errore tàm manifeſto teneri multos, vt ſe hominem nihili pro ſancto habeant, & miraculorum etiam effectorem exiſtiment. Iamque ſinum impleuerat lacrymis, cùm ianitorem arceſſit; ille verò accurrens, fletuque madidum ſenem aſpiciens hæſit, aliquid mali ſuſpicatus: at Bernardinus flens adhuc, aſſidenſque, En, inquit, an non iuſtiſſimi doloris mihi cauſa eſt? & epiſtolam porrigens, inuenies hìc Bernardinum virum ſanctum dici, & qui, ſi Superis placeat, etiam miracula efficiat. At ò quæ iſthæc hominum falſa exiſtimatio eſt? aut quæ Bernardini inſectatio? verùm ianitor, qui morbi iuxtà, ac remedij ſciens aderat, rem aliò vertens paucis affatus ſic de facili dolorem leniit:
" Enimuerò, inquit, in poſterum, Pater, fatigabo & ipſe
" precibus Superos ne mihi diutiùs vitam proferant. en
" ego, vt vides, iuuenis adhuc, & æuo meo florens ſum;
" iam ea mihi vitæ conditio, ſtatuſque eſt, qui me ſpecta-
" bilem minimè reddant, laicus ſcilicet ſine literis, ac do-
" meſticis miniſterijs addictus, ſine ingenij opibus; nihil
" valeo iuxtà, ac nihil ſcio, ſed tamen (quæ eſt multorum
" falſa de me exiſtimatio) iam nunc ab omnibus decedi,
" appeti, magnifieri cœptus ſum, alij enim manus oſcula-
" ri, alij preces expoſcere, precarium alij Virginis ſertum
" auferre certatim ſtudent. tãti ſcilicet apud homines eſt,
" eſſe de Societate. age porrò, & da me quoque id ætatis
" ſenem olim attingere, in qua tute nunc es, profectò lon-
" gè me cultu maiori proſequentur quàm te in præſentia:
" cæterùm, vt vt ſe res ſit habitura, profectò in eadem
" perſtare ſententia eſt animus, certum eſt enim mihi, ne-

glectis

„ gleᶜtis rationibus meis, vnam Societatis rationem ha-
„ bere, lætarique noſtri ordinis homines vulgò tanti fieri,
„ vt ſancti, vt rerum etiam admirabilium effectores exiſti-
„ mentur. quamobrem, Pater, equidem vſque eò quicquid
„ id eſt honoris non reijcerem, vt cõtrà religioni haberem
„ à me bonam hanc Societatis exiſtimationem intempe-
„ ſtiua modeſtia deteri. Quibus Bernardinus ita acquie-
uit, vt qui ex mœrore anteà, nunc præ gaudio lacrymas
matris ſuæ lætus honore profunderet. Iam vt prauam
de ſe hominibus exiſtimationem ingeneraret, conſueuit
idem, vbi primùm nouus aliquis Collegij Rector Lupijs
magiſtratum iniret, apud illum grauiores anteactæ vitæ
noxas ſacra confeſſione deponere, vt illæ moderatoris
animum occuparent, & ſe hominem flagitioſum, & ſce-
leribus coopertum oſtenderent. Sed verò ſeni iſtiuſmodi
conatus fruſtrà erant, nam quò ſe cunque verteret, in
præclaram ſanctitatis perſuaſionem non ſine dolore
incidebat. Sacerdoti animam agenti, vt operam ſuam
tempori afferret, accurrit aliquandò; atque vbi ægroto
primùm eſt viſus, geſtire ille præ gaudio, ac virum ſan-
ctum adeſſe tandem expectatum dicere: Bernardinus
hac voce perculſus è veſtigio pronum ſe humi ſternere,
ac lacrymari cœpit, irrogatamque ſanctimoniæ laudem
irriſui habere: demùm cum ſtomacho ſeſe mortalium
omnium caput longè ſceleſtiſſimum dicere, cui ferendo,
niſi diuina clementia, nihil eſſet, iacuitque diù in hunc
modum eadem ingerens. Fratrem, cum fortè domi ſenex
curaret, ob eandem hanc ſancti viri nomenclationem
impunè abire minimè eſt paſſus. Quòd ſi quandò ab
ægrotantibus accerſeretur vt eorum confeſſiones exci-
peret, aduolabat illicò alacer; cæterùm ſi quid ijdem ex-
poſcerent, quod præclaram ſui exiſtimationem præſe-
ferret, ſiuè vt ipſis benè apprecaretur, ſiuè vt amuletum
aliquod pium admoueret, tergiuerſari, & ſubterfugere,

 reli-

reliquos enim Societatis homines ad id muneris longè aptiores dicebat eſſe, eamque ob rem Sacerdoti, à quo interdùm comitatus huiuſmodi homines adibat, primas in hac re facilè tribuebat, ipſe cum cæteris precanti preſtò eſſe, & reſpondere ſolebat. Aliàs vrbe media incedens fortè in aniculam incidit, quæ tùm ipſum grauiter dolore capitis ægra ſenem ſimul aſpexit, inclamat: Age dum, vir ſancte, & mihi benè apprecare, ſignumque crucis imprime, doleo enim à capite vehementer, meminique me ante aliquot annos eodem remedio vſam conualuiſſe: at Bernardinus compoſito in mœrorē vultu, atquì, inquit, ſi ſcelera mea noſſes, non modò me iſto nomine non cōpellares, ſed verò etiam nequiſſimum mortalium diceres. Patri cuidam miranti, ſiue per iocum, ſeù ſeriò Bernardinum ad eluendas animi noxas confeſſarium adire, quòd diceret virum tam frugi expiatione nulla indigere, nulla ne, inquit ſenex, tibi religio eſt, Pater, hæc de me tàm falsò proferre, cùm & ſceleribus obnoxius, & diuinis muneribus ingratus maximè omnium viuam? Cùm quidam ideò Bernardinum tam diù æuum proferre diceret vt haberent cæteri, vnde virtutis, atque integritatis exempla peterent, contrà ille Dei miſericordia factum dixit vt tam diù inter mortales ageret, quòd nondùm religioſæ vitæ iter inſiſtere didiciſſet. Societatis obtrectator quidam maledicta in noſtros plura de more congerens, neque tamen de Bernardino detrahere, aut ſenem in inuidiam vocare auſus, addidit, grande piaculū eſſe id hominis inter nos agere, integrum ſcilicet, & piū inter temulētos, & impios. Hoc vbi reſciit Bernardinus, probare dictum, ſenſum tamen aliò detorquere, vt non ſine piaculo fieri diceret, vt ipſe inter nos ageret tam improbus, tam ſegnis inter tam caſtos, ac ſtrenuos. Octogenarius nondùm ſcalarum prolapſione debilis opis alienæ oſor, ſeque, & ſua curabat ipſe conuerrendis ſordibus,

ſtibus,ac reliquis cubiculi muneribus infimis obeundis, nec rarò fiebat, vt dum ſibi trullam purgatum iret, in principes viros, qui ipſum præſtolarentur, offenderet: nec tamen vllo ipſe aut rubore perfundebatur, aut manus à ſordido munere abſtinebat; nec ſe animo capere poſſe aiebat, quì fieret, vt homo de Societate hiſce muneribus obeundis erubeſceret. Quondam, ſæuiente hyeme,iuſſerat Rector nocte quadam lectulum ſenis batillo cubiculario concalefieri;at Bernardinus talium deliciarum inſolens, quà precibus, quà congeſtis vndique rationibus Rectoris beneficio interceſſit . cæterùm ſero diei,cùm actus diurnos excuteret,animaduertit ſententiæ ſuæ tenaciorem ſe,quàm oportuit fuiſſe, ac moderatoris imperio plus iuſto aduerſari conatum:igitur mane poſtridie, cùm ferè omnes adeſſent, flexis genibus ante Rectorem demiſsè veniam petijt,multaque noxæ amplificandæ addidit.Publicam Chriſtiano orbi expiationem Paulus V.Pont.Max.ſtatim ab inito Pontificatu indixerat,eius verò diploma Rector Bernardino inſpiciendum tradidit, vt ſi quam verba vlla dubitationem afferrent, oſtenderet, eamque Patres conferendis capitibus excuterent,ac definirent. Paruit Bernardinus, ac Patrum ſenatu habito, rogati ſententiam idem omnes cenſuere, niſi quòd Bernardinus à reliquis vna tantùm in quæſtione diſſenſit, cætera congruens; & quoniam, vt fit, tuendæ ſententiæ ſuæ ſtudio viſus eſt ſupra morem (quamuis non ſupra modum) efferri,mane poſtero,cùm Patres omnes eòdem fortè conueniſſent, infert ſeſe in medios cum ſchedula Bernardinus,impetrataque à Rectore dicendi poteſtate, poſitis genibus heſternæ altercationis facinus accuſans, in ea complures noxas de ſcripto recitauit,ſuperbiæ enim ſe,quòd ſentẽtiam ſuam aliorum placitis ante habuerit; contumaciæ, quòd in meliorem ſententiam diſcedere noluerit; exempli mali,

quòd

quòd ſenex coram iunioribus id auſus fuerit; animi in-
deterius obſirmati, ac pertinacis, quòd nec auctoritati,
nec rationi quicquam conceſſerit; aliorum denique ad
ſeptendecim huiuſce notæ erratorum inſimulauit; mox
veniam demiſsè petijt, tentauitque ſingulorum pedes
exoſculari,ſed vetitus à Rectore eſt,qui cùm omnes præ
ſtupore attonitos, ac lacrymis madidos cerneret, iacen-
tem erexit, nonnullis interim clàm ſenis veſtem piè de-
oſculantibus. Et ſanè hoc adeò conſtans Bernardini
tuendæ ſententiæ ſuæ ſtudium eò poterit admirabilius
videri,quòd nunquam ille ingenio ſuo fidere,quanquam
literis non leuiter imbutus,conſueuerit; ſed vel in rebus
leuiſſimis conſulendi viros eruditos morem ſibi fecerit;
qua in re viri modeſtiam, ac deſpicientiam ſui ſuſpicere
eſt,nam eius ſapientia quãti fieret,memorauimus ſuprà.
Ergò hic tam excultus optimis diſciplinis, literas ſuas
adeò vel negligere,vel occultare, ita rurſus magnifacere
alienas, vt non modò eruditiſſimum quemque, ſed ru-
diores aliquandò conſuleret, neque Lupijs tantùm, ſed
etiam Neapoli, aut Romæ agentes. Scitabatur autem
interdùm ea,quę minimè interiorem literaturam requi-
rerent,ſed quæ nemo,quanquam vnus è multis,non ſol-
ueret ipſe. His tamen vel diſſimulatæ ſapientiæ,vel in-
ſcitiæ per modeſtiam obtentæ rationibus,nihil aliud,niſi
demiſſi animi laudem referebat;nemo enim viri ſapien-
tiam cum tanta ſui deſpicientia coniunctam non ma-
gnopere ſuſpiciebat. Eadem diſſimulandæ doctrinæ in-
duſtria in humanioribus literis vtebatur,adire enim no-
ſtrates adoleſcentes, qui Lycij id ſtudij publicè profite-
rentur,ab ijſque ſyllabarum tempora exquirere minimè
erubeſcebat, quanquam ſuper his egregios ipſe olim
commentarios ediderat. A iuris etiam peritis leges edo-
ceri volebat interdum,iampridem iuris prudentię laurea
ſumma omnium admiratione donatus.Eccleſiaſtes qui-
dam

dam è noſtris per feſtos verni ieiunij dies, puellis, quæ non dum per ætatem ad ſacram ſynaxim acceſſerant, in ædem accitis, horis pomeridianis ſumendi ritè Euchariſtici epuli rationem tradebat: Bernardinus perinde ac ſi non dum ſenex hæc, & talia didiciſſet, immiſtus turbæ adeſſe frequens, atque audire, quæ dicebantur attentiùs, & tanquam vnus è triuio prima illa rudimenta fideliter animo conſignabat. mox cùm vellet Pater concionem dimittere, iuſſis puellis procumbere in genua, ſenem rogauit, vt benè virgineo illi cętui apprecaretur; at ille rurſus negare id ſuarum partium. ergò poſitis genibus vterque contendere donec peruinceret Bernardinus, & aſſurgens concionator benè omnibus diceret; quod ipſum tamen iuſſum ſe à Bernardino facere dixit; at ſenex precatione ſuſcepta aſſurgit iterùm ipſe, & Patris imperium præfatus, iterùm benè virginibus dicens, ſic demum fecit omnibus abeundi poteſtatem. His itaque Chriſtianæ modeſtiæ officijs vacans, & præteritas animi noxas aſſiduè verſans, tantam ſui cognitionem adeptus eſt, vt quanquam donis cœleſtibus affatim cumulatus in maxima apud omnes egregiæ ſanctitatis, & miraculorum opinione floreret, nulla tamen vnquam in Societate inanis gloriæ cogitatione tentatus ſit, quod ipſe tùm alijs ſæpè, tùm Rectori præcipuè Alexandro Ferrario de ſe ingenuè aliquandò profeſſus eſt.

Præ-

Præclara Bernardini de alijs exiſtimatio. Caput VI.

NE qua verò demiſſi, modeſtique animi pars ab officio vacaret, quantum ipſe ſibi de præclara ſui exiſtimatione imminutum ibat, alterum tantum alijs facilè concedebat, ſic, vt nihil vſquam mortalium eſſet tam perditum, ac nefarium, quod non ſingulari apud ipſum virtutis opinione floreret. Nec modò non viſus quenquam malignè carpere, aut detrectare vnquã, ſed potius magnificus idem alienæ laudis buccinator, & præco. Si quem alij maledicere audiſſet, contrà ipſe ratione aliqua factum hominis probabile reddere; nec rarò euulgatis ſceleribus, manifeſtos criminum tueri etiã pro viribus, eleuare noxas, aut vbi immane facinus omnem patrocinij vmbram euinceret, bonam certè hominis mentem interpretari erat ſolitus, atque alia in mediũ afferre, vnde illi quoquo modo laus aliqua exiſteret. Conſueuerat idem interdum alienis noxis ſuas obtendere, ſeque, ſi in pari certamine fuiſſet, hoſti teterrimo manus longè turpiùs fuiſſe daturum aiebat. quare ſuos in tempore ſæpè monebat, vt ſi quandò de alienis virtutibus commodè loqui poſſent, id verò & volenter facerent, & ex animo; ſecus, cùm eſſet obloquẽdum, aut ſilerent omninò, aut ſi res pateretur, quod ſequius factum, bono id certè conſilio, ac mente factum dicerent. igitur cùm quiſquam in alios ſe coram aliquid contumeliæ iaceret, ferebat id admodùm ægrè. quo animaduerſo à noſtris, ipſi quaſi ſerij per iocum, nefarium cuiuſpiam aliquod facinus afferebant in medium, vt Bernardini ſtudium hoc argumenti genere iocosè inſectarentur: at ille nulla ratione acquieſcere, ſed aut factum infectum dicere, aut, cùm tergiuerſari non poſſet, quaſi ipſe manifeſtus

feſtus ſceleris eſſet, erubeſcere, demum pernegare poſſe hoc ſibi in animum inducere, vt facinus tam immane factum cuipiam crederet. Præcipuo autem tuendi viros Eccleſiaſticos ſtudio efferebatur. cui rei illud accidit admiratione dignum. Vir inter Principes nobilis Lupienſium Prætor agebat aliquandò cum noſtris ſanè perfamiliariter, is adeò inter loquendum Antiſtitis neſcio cuius viri magni erratum enarrauit, addens id iam in ore vulgi, atque in communibus prouerbijs vbique verſari. Aderat Bernardinus, ac re cognita ſtatim vultu ad maieſtatem compoſito, & ſono vocis auguſtiore negauit tantum flagitij venire homini vnquam in mentem potuiſſe, nedum patratum ab eo tale aliquid eſſe; cùmque Prætor in eodem perſiſteret, neque ſe obtrectandæ alienæ virtutis, ſed narrandæ rei vulgatiſſimæ id afferre diceret, addidit ſenex propoſiti ſui tenax; Ego verò id neque hiſce oculis hauſi, neque in animum vnquam inducam meum, vt id ſceleris patratum credam, ſed demus id eſſe factum, ecquis Antiſtitis mētem penitus introſpexit? & fuit illi fortaſſe vnde factum ſuum alijs probare poſſet; tu verò, qui alijs præes, ac præſtare teneris cæteros, quippè à quo alij morum exempla repetunt, neque habere vllam errori fidem, neque illum euulgare ſermonibus tuis debes. Idem in ſacra homologeſi, cùm atrocia fatentium ſcelera audiret, non continuò quicquam de egregia eorum exiſtimatione detrahebat, idque non ſolùm ex eo, quòd egregiæ cuiuſdam, ac maſculæ virtutis duceret peccata ſua alteri aperire, ſed multò etiam magis, quòd talibus, ac tantis ad prolapſionem illecebris acti, non tamen ſeſe ruina aliqua maiore paſſi eſſent affligi. Theologus quidam è noſtris tentaturus ecquid ſenex malè aliquandò de alijs exiſtimaret, an, inquit, Pater cùm quis animi noxas apud te expiat, hunc ſi ſe homicidij reum dicat, tu non habebis pro homicida? Negauit

enimuerò ille;at cùm vrgeret Theologus nefas eſſe quē-quam eius ſceleris abſoluere,quod ab eo,qui ſe illius authorem profiteatur, non credamus admiſſum impiè, equidem,addidit Bernardinus,occiſum ab eo hominem credo,ac propterea confitentem abſoluo,& æquam crimini mulctam irrogo, cæterùm conceptam animi fraudem ita expiabilem arbitror,vt qui alteri necis cauſa extitit, is, ſi rei attributa ſpectentur, cenſendus iure homicida non ſit. Sæpè ſeni inter ſcribendum paſſeres aderāt, atque in ea ipſa papyro, in qua pingebat literas familiariter iuxtà,ac ſecurè ſaltabant,quod cùm quidam demiraretur,& intempeſtiuos operæ turbatores inſimularet, ſtatim ipſe excuſare auiculas,& innoxias dicere,quòd ſe intra papyri marginem continentes, nullum ſcribenti negotium faceſſerent. Nec homines ſolùm,aut animantes,ſed,quod mireris,ipſum etiam veteratorem dæmonē ſæpè excuſatum volebat. Senex inter ambulandum non rarò fallente veſtigio lapſus,ſi quem audiret,qui caſum dæmoni vitio verteret,ipſe continuò, certè quidem aiebat, minimè in hac re dæmonium eſt accuſandum, ſed ſocordia mea. Quare nonnulli cum de dæmone interdū ſermonem ſererent, eundemque capitalem hominum inſidiatorem iuſtiſſimè inſimularent,ac nihilominùs tamen addebant,erit fortaſſe, vt illum Bernardinus excuſatum velit,tùm ſenex,ego verò dœmonium excuſatum minimè iuerim,inquit,cæterùm pro comperto illud habeo,ipſum,ſi poſſet reſipiſcere, pulcherrimum fuiſſe Dei opus futurum. vnde quanti cæteros faceret pronum eſt intelligere. Porrò hanc tantā benè de omnibus ſentiendi laudem non ſine aliquo impendio eſt aſſequutus;etenim ſtatim ab inita Societate cœpit mali dæmonis arte aliena dicta, factaue ſiniſtrè accipere, verùm idem mox ijs ipſis, quæ in deterius deflexerat, peiora committebat, quod cùm animaduertiſſet, cœpit in ſe, moreſque ſuos

ſedulò

ſedulò inſpicere,ſubducere animum ab alienis, atque vt eam curioſæ mentis peſtem abigeret, Beatiſſimæ Virginis opem efflagitauit,qua auſpice,ita ſui victor euaſit,vt hac ſe in poſterum tentatione pulſari minimè ſenſerit; quod ipſum cùm elegis numeris caneret,illud in cæteris egregiè monuit:

Sæpè ego ſum expertus,quòd cùm meliora notarim,
In peiora rui, culpaque pęna fuit.

Neque minùs præclarè de literis,quàm de moribus aliorum sētiebat.Solitus cùm de alijs ſcriberet,ſemper egregium aliquod elogium addere. Allata olim ad ipſum eſt ſcriptio illiterati planè hominis, & inſulſi; erat autem epiſtola latinè ſcripta,ſed inſcitiæ,& inficetiarum pleniſſima, rogatuſque ecquid cenſeret? in ea quidem plura eſſe, quæ laudem mererentur reſpondit. Cæterùm vt egregiè de omnibus, ita de religioſis hominibus præclarè admodum in primis exiſtimauit:nam & vniuersè omnium ordinum inſtituta magnifacere, & ſingulatim cuiuſque familiæ ſpectatiſſimos mores laudare conſueuerat,illud in hanc rem vſurpare ſolitus,ſicubi Dei notitia vigeat,eam certè inter aſceteria vigere.Præcipuo autem cultu è Franciſcana familia eos proſequebatur, quibus ab acuminato capitis tegmine Capucinorum nomen indidit vulgus.De his enimuerò & ſermonem ſerebat crebriùs, & à ſæueriore cultu corporis ex Chriſti amore ſuſcepto animum æſtimans,ſeueris pariter, caſtigatiſque moribus longè excultiſſimos non de nihilo conijciebat. Contrà ipſi à viris hiſce religioſiſſimis,& amor, & cultus haud ſine fœnore reddebatur, nam & adire frequentes officij cauſa, & conſulere, tùm ſi quem eorum, qui nuperrimè ipſorum familiæ nomen dediſſet,labare animo, & in ſuſcepto vitæ propoſito vacillantem cognoſcerent, hunc ſtatim,ne ex toto langueſceret,& Chriſti ſuaue iugum excuteret, ad Bernardinum deducere conſueuerant,

rant,

rant, non ſine certo operæ pretio, vſu enim didicerant, ſæpè tepidas mentes admonitu ſanctiſſimi ſenis recaluiſſe.

Paupertas, & caſtimonia Bernardini. *Caput VII.*

PAupertatem ita coluit, vt eam planè in delicijs haberet, dicere ſolitus hac ſequeſtra locupletandis animis Deum vti; ac ſæpè ingentes Numini agebat gratias, quòd ſe id vitæ inſtitutum tenere voluiſſet, in quo rem nullam habere, aut dicere poſſet ſuam. Nihil vnquã in cultu corporis, nihil in victu, aut in cubiculo pati poterat, quod ex ipſius legibus maximè non eſſet. Æger conopeum circundari lectulo vetuit, dedecere hoc pauperem dictitans, ac vix adduci potuit, vt tegeticulam ſumeret. Nouas ſibi nunquam veſtes induit, illud in cæteris cauſatus, nolle ſibi tantum inde negotium faceſſi, vt tam ſæpè manus ab recenti tinctura ſordidas lauerer: quòd ſi id Rector imperaſſet, rogabat ſaltem, vt recentiſſimas adhuc, terendas, macerandaſque tantiſper alteri daret, donec florem illum ſaturi nigroris aliquis vſus elueret: poſt, vbi ſedere illi nouum indumentum conſpicaretur, eidem à Rectore proprium vt eſſet, infimis precibus extorquebat. Bellarminus Prouincialis nouam aliquandò lacernam in humeros ſenis iniecit ipſe, pro imperio addens ne quicquam hiſceret, atque ita demum expugnari potuit ſemel, vt indumentum id genus acciperet. Facilè parabili cultu contentus nihil eorum reſpuebat, quæ in vſum afferebantur, ac nihil querebat ſupra. Pura literarum præſegmina aſſeruabat, ijſque, cùm ad familiares ſcriberet, quibus cum illi neceſſitudo intercederet, vtebatur. qua de re ſic olim ad fratrem.

Exi-

„ Exiguam papyrum exaro ad te, nam in domo pauperis copia non ſuppetit; cæterùm in hac rerum difficultate longè mecum præclariùs agitur, quàm inter aulæ potentioris diuitias. Arundinem,qua greſſus ſuſtentabat, ſi quandò vſus comminuiſſet, commiſſa inter ſe internodia craſſo lino præligabat, firmiorem ita demũm eſſe dictitans. Suis ſibi veſtes ſarciebat manibus, cinguloque vtebatur diſciſſo, conſutiſque fruſtulis compacto, ac geſtiebat interdum oſtiatim victum cum manticis quærere. Ferrea lucerna iam ab illo tempore cùm Lupias venit perexigua admodum, & incommoda vſus, nũquam, vt eam cum paulò elegantiore, maioreue mutaret, adduci potuit, quò fiebat vt per hyemem, cùm poſt occidentem Solem euigilatur ad lucernam diù, noctibus ſingulis ad olearium conditorium, quod à cubiculo procul aberat, ſæpiùs itaret vt inſtillaret oleum lumini. quòd ſi illi ſtudium eſſet intermittendum, neque diutiùs continuandum, extincto ellychnio, apertoque cubiculi oſtio, communis lucernæ, quæ in domeſtica ambulatione ſplendebat, vnà cum lumine nocturni rigorem frigoris excipiebat. Affecta ætate, cùm moderatorum iuſſu cibum in cubiculo caperet, ſocius ad illum aliquandò perſica duo attulit, at ſenex aſpectu mirificè delectatus, pulchritudinem commendauit. tùm ſocius belliſſima quidem, cæterum ſat magno conſtare dixit, pretiumque cùm euulgaſſet, Bernardinus, enimuerò non hic pauperum cibus eſt, inquit, proinde ne tangendi quidem mihi horum, nedum edundi ius eſto, neque vllis precibus exorari potuit, vt ſaltem fruſtulum deguſtaret. Cùm Collegio præeſſet Rector, Adminiſtro, qui iniuſſu ſuo communi feneſtræ è tela clauſtrum recens appoſuerat, mulctam irrogauit, quòd diceret, vetus adhuc aliquantulo vſui eſſe potuiſſe. Sacerdoti item, qui laxioribus calceis per vrbem incedens plus iuſto poſticam calcis alu-

tam

tam attriuerat, impune eſſe non ſiuit. Non ita multò poſt quàm Lycium tenuit ſacram faciendæ rei diuinæ veſtem, atque inſtrumentum omne nobiles fęminæ Bernardino dono miſere. in his lineum ſacrificantis tegmen egregiè fimbriatum, Phygioque opere belliſſimè expictum, quod Bernardinus non priùs accepit, quàm elegantia illa nimis exquiſita, cultuque detracto, res illi inter ſacrificij munditiam, & religioſam paupertatem bellè conſiſteret; quod equidem ſicut viri ſtudium in paupertatem egregiè commendat, ita laudabilem aliorum in rebus ſacris magnificentiam minimè damnat. Iam caſtimoniam quantam adeptus ſit, memoratum nobis in loco eſt, cùm ſe ſcilicet ſtatim ab inita Societate Mariæ Deiparæ Virginis totum fidei, & patrocinio commiſit. certè is, qui Bernardino à confeſſionibus fuerat, iuratus aſſeruit eam ſe in illo pudoris integri laudem inueniſſe, quam ſanctiſſimus ordinis author Ignatius poſtulat, ſupremam ſcilicet, & Angelorum integritati parem, ac fęliciter æmulam. Et ſanè ita in hoc genere floruit, vt nemo vnus illo ſeuerior, nemo verecundior videri poſſet. Fœminæ nullius vultum aſpexit vnquam, ſed oculis per modeſtiam in terram demiſſis, eas quàm pauciſſimis, nec ſine ſocio alloquebatur. eratque eius in hac re ſeueritas ita omnibus cognita, vt illud inter Lupienſes vulgò iactaretur tritum communi ore prouerbium, Bernardini ſedem, cum fœminas alloqueretur, nunquam excalefieri. Ingredienti per vrbem aliquandò puellæ nobiles fortè obuiam fiunt paratu, qualis elegantioris fortunæ nuptas deceret; hæ ſenem, quo à confeſſionibus vtebantur, ſalutatum anteà perhumaniter, alloquuntur, & circumſiſtunt; ſed Bernardinus defixo humi obtutu ſalutantes excipit, atque illę officio defuncto mox abiere; cæterùm Bernardinus nudato adhuc capite, & ceruice ad pectus reflexa aliquandiù poſt digreſſas in ſtatione

per-

perſtitit,nec abeuntes animaduertit, donec ſocius abijſſe nunciaret. Ergò hinc ſuos interdum monere, ne vnquam inter alloquendum vultus fœminarum aſpicerēt. Idem nunquam officij cauſa domos illarum adijt, quòd ſi qua ſalutationis tantùm cauſa ſenem arceſſeret,negabat id quidem officij in præſentia ex vſu eſſe,ſatiùs idem mox,cùm vterque inter cęleſtes agerent,præſtari poſſe. Nobilis fœmina quæſtoris vxor, poſtquam Bernardinus cum viro ſuo negotij neſcio quid confecerat, eum ad domeſticum ſacellum inuiſendum vocauit,vt ſigna aliqua oſtenderet affabrè elaborata,ac nuperrimè Venetijs aucta. ſenex humaniſſimæ mulieri morem gerens vnà cum illa ad ædiculam pergit, verùm cum reſtitiſſe in aula ſocium animaduerteret, quanquam ſublato oſtij velo,in proſpectu erat,repente ſe tamen inde proripuit, ſociumque grauiter increpans, Hem, inquit, hæccine frater legum cuſtodia eſt? ita ne morem domeſticum ſeruas? age, & te vnà mecum in Sacrarium infer, nefas enim hominem de Societate, vbi mulieres agunt incomitatum eſſe.Iam vbi,vt benè puellis apprecaretur,manus earum illi, aut os tangenda eſſent, nihilò ſe minus legis huius ſeuerum cuſtodem exhibuit. Rogatus à viro nobili vt virginis filiæ adhuc impubis aurem, qua illa laborabat, cruce ſignaret, non ante morem homini geſſit, quàm eum vel inuitum cogeret ſuper puellæ aurem velum apponere, atque ita demùm tectæ auriculæ manum admouit, vndè mox virgini eſſe melius cœpit. Aliquandò cùm nobili fœminæ animam agenti ſuprema Chriſtianæ charitatis officia Bernardinus impenderet, repentina illius vomitione perfuſus,nunquam ſe à familiaribus tangi eſt paſſus, ſed ſordium plenus, & male olens,vt eiectamēta oris elueret,domum redijt.Tantam porrò viri caſtimoniam ſatis omnibus cognitam, miraculis etiam Deus illuſtriorem reddidit; nam & ex ipſius

cor-

corpore,& ex ijs,quæ ſenex attigerat, ſuauiſſimum quẽdam efflari odorem non raro ſentiebant ij,qui cum viro agerent; qui odor aliquid ſane mortali fragrantia maius oleret; atque indidem fiebat, vt aliqui, quò libidinem vincerent,qua ſe vrgeri ſentiebant, ad Bernardinum cõfugerent:quidam vt noxias huiuſmodi formas ex animo abigeret,calculos Virginis coronarios ſeni ſacrandos dedit,quibus poſtmodum vſus ſenſit pretium operæ, nam quoties illos piè ſibi, & cum cultu admouebat, omnis illicò ſordidæ cogitationis nubes procul aberat. Matrona quædam illuſtris, & opulenta datis ad ſenem literis rogauit vt ijs reſcriberet,cauſata mentem ſibi, ſi quandò huiuſmodi curæ ſolicitaſſent,legendis ipſius literis præſentiſſimè alleuari. Ad hæc multi,cùm ſe ad Patris pedes abieciſſent vt de peccatis confiterentur,repentè magno criminum dolore perculſi,vix præ lacrymis fari poterãt: cuius rei illud vnum argumentum afferam. Corporis iuxtà, atque animi candorem inter domeſticos nobilis mulier iam inde ab adoleſcentia quindecim ipſos annos ſeruauerat, ac veſtium inanem pompam exoſa, vile, ac religioſum amiculum induerat:verùm, (vt eſt muliebre ingenium mutabile ſemper, ac varium) paulatim carnis illecebris tam arctè tentari pium mentis propoſitum cœpit,vt poſthabitis anteactæ vitæ conſilijs,tota iam de nuptijs cogitaret. igitur congenerem menti hominem nacta, iam ſe illi deſponderat, nupturamque chirographo ſuo promiſerat,modò domeſtici, ac ſui non abnuerent. cæterùm hi,cùm præferoces eſſent,ac longè aliam mentem viderentur habituri, mulier cauta fœminas nobiles duas ad propinquorum ingenium præmolliendum, veluti ſequeſtres, tentando vado adhibere voluit: at hæ re intellecta abnuere, negare operam,neque apud tales viros noui conſilij interpretes ſeſe vlla ratione futuras dicere.menſem tenuit muliebris pugna. ad vltimũ,

quò

quò ſe earum altera ab importunis precibus extricaret, age,inquit,quoniam ſanioris te inſtituti pigere iam cœpit,filia,aut forti animo teterrimum hoſtem excute,aut ſi nouiſſimo huic amori ſuccumbere certum eſt,Bernardinum adi anteà, atque illum tibi in hac re authorem adhibe. enimuerò ridere iſthæc mulier,hoccine,inquiés, vt ego dæmonium audiam? ecquid tandem ſenex mihi, niſi vt prioris vitæ propoſitum ſequar ſuaſerit? atqui hoc à rationibus meis longè eſt alieniſſimum.tùm illa, quandò ita mentem obfirmaſti, inquit, vt opportunam monentem reſpuas, quantum te inde dedecus conſequatur tu videris. cæterùm ne addubites,ſenem conueni,eidemque nouum iſthuc vitę conſilium explica;poſtmodùm velit nolit ille, polliceor me tibi apud propinquos tuos nuperæ iſtius cupiditatis non interpretem modò, ſed authorem futuram. læta promiſſis fœmina ſtatuit hominem conuenire.igitur cùm ad ædem noſtrā ſe contuliſſet,ad confeſſionale Bernardini ſubſellium ſenem alloquutura procumbit in genua, ſed tātùm quòd poſitis genibus humum attigerat,cùm repentè ſingultibus, lacrymiſq; vbertim manantibus occupatam pudere nuptiarum cœpit.Fortè huic ſpectaculo author conſilij mulier aderat,quę rei nouitate perculſa,ecquid opis indigeret exploratura confeſtim aduolat,ſed vbi expreſſas ſalubri pœnitentia lacrymas vidit,reſtitit,interpellare tàm iure dolentem non auſa. illa verò per gemitus,ac lacrymas ſeni omnia conſcientiæ vulnera aperuit,teſtataque ipſa poſtmodùm eſt, ſe, cùm ad Bernardini pedes accidiſſet,ingenti veluti pondere leuatam ſenſiſſe, oblatamque animo noui propoſiti ſpeciem adeò fœdam ſibi eſſe viſam, vt & ſe inconſtantiæ ſuæ pœnitere maximè cęperit, & cohibere vim lacrymarum ingētem non quiuerit. quare poſt obitum ſacræ confeſſionis myſterium, detractas è ſinu ſcriptas amatoriè literas ſtatim reſcidit.

Parendi amor, & domeſtica diſciplinæ cuſtodia. Caput VIII.

PVdorem verò tam integrum, ingens obedientiæ ſtudium commendabat, quam ipſe tanti ſemper habuit, vt nullum tam arduum dari poſſe imperium diceret, cui non ex animo obtemperaret. Nullis itaque in exequendis maiorum nutibus, aut difficultatibus, aut moleſtia conflictatus eſt vnquam, quin neq; ſe vnquam obnoxium ſcrupulis fuiſſe fatebatur idcircò quòd, ſiqua animum religio tetigiſſet aliquandò, ſtatim Superiore conuento, eius ſe fingendum arbitrio in totum daret. Diruto olim eius cubiculo ob nouum ædificium, facta illi eſt à Rectore poteſtas vt quod maximè vellet, optaret è reliquis; ſed Bernardinus negauit ſibi fas quicquam eligere, nam quod habendum daret, eo ſe ſtatim contentum futurum. Eſt domeſtici moris, ſi quid in rem publicam peccatur, id ſtatis anni temporibus de ſuperiore loco publicè inter epulares accubationes arguere, & noxias hoc potiſſimùm mulctæ genere animaduertere. Bernardinus quanquam is erat, cuius in dictis, factiſque omninò mendæ nihil ineſſet, tamen Rector, fortè vt virtutis periculum faceret, neſcio quid in illo, tanquam in ſcirpo nodum, quæſiuit. igitur inter diſcumbendum, dum cenſor ſuæ quemque labis inſimulat, vbi ventum ad ſenem eſt, illud ſubtiliter notauit in homine, quòd cùm aliquid vellet aſſerere, quò dictis adderet fidem, inolita ſibi conſuetudine, Certè, ſemel, atq; iterùm diceret, quaſi dedeceret tantam authoritatem grauiùs quàm par eſt rem confirmare. at Bernardinus, quaſi diuinæ vocis admonitu ita in poſterum ab ea dicēdi formula abſtinuit, vt nunquam aliàs, quanquam veteri more penitus inſitam menti, protulerit. Mediaſtinus cùm abeſſet domo

ali-

aliquandò, edixerat Rector vt in haurienda aqua ſibi quiſque conſuleret. id adeò, quod domeſticis adiutoribus dictum voluit, cùm neſcio quis longè aliter eſſet interpretatus, Bernardino renunciauit imperatum à Rectore omnibus eſſe vt haurirent aquam è puteis. ergò Bernardinus nihil diſcuſſa re continuò ſibi parendum ratus, depreſſum in maiorem altitudinem puteum adit, ibique ſenex ſeptuagenario maior ferream catenam arripiens inſueto labori cœpit ſtrenuè nauare operam, donec certior de tota re factus Rector ad laborantem accurreret, inceptoque iuberet abſiſtere. Aliàs cum vellet Rector coram nobilibus viris ſenis obedientiam periclitari, dum fortè templi parietes pannis oloſericis ad feſtum diem veſtirentur, iuſſit ſenem operis præſtò eſſe, ſcalaſque earum conſcendere: Bernardinus iocosè primùm ſecum agi ratus Rectorem rogat, ſeriò ne rem talem imperet; cùm, Seriò, reſpondiſſet, nihil ſenex moratus, lacerna ex humeris ne impedimento eſſet, abiecta, ſcalas cœpit aſcendere, tùm verò Rector, omnibus viri virtutem demirantibus, ſatis eſſe pronunciat, ac ſenem porrò pergere vetuit. Iam non accepit ſolùm, ſed impleuit reapſe non diſſimile imperium aliquandò. Claudius Aquauiua, cùm Lupienſe Collegium Prouincialis inuiſeret, quo tempore ædificium templi magnam partem eſſet affectum, iamque opus ad fiſtucationem, ac tectum ſpectaret, Bernardinum rogauit, ecquid fabris cementarijs, operiſque deeſſet; cùm verò negaſſet ille ſibi id rei vnquam fuiſſe curæ, atquì, excipit Claudius, tuum fuerat id curare oppidò diligenter. quare age, teque ad opus confer, ac ſi quid facto ſit opus exquire, ſtatimque Bernardinus, conſcenſis ductilibus ſcalis, ad faſtigium ſummum euadit, ſedulòque rem omnem exequitur, atque inde mox ad Prouincialem certus rei nuncius reuertitur. Eandem, quod magis mirere, laicis adiutoribus obe-

dientiam præſtabat;quare,cùm aut ab ianitore,aut ędituo arceſſeretur,aduolabat illicò,ſic vt iterùm euocandus nunquam eſſet; nec verò ſibi ab iiſdem eorum nomina efferri volebat, qui ſeſe conuentum vellent, ſed illud vnum pro imperio edici, Adi ad templum, aut ianuam,eſt,qui te,Pater,inibi opperiatur. Ad æris campani pulſum, quo aliquid ſtatis horis ex more agendum ſignificatur, ſtatim accurrebat tanto parendi ſtudio, vt illi vultus ex ardore ſuccenderetur,ab eundique facultatem à nobilibus viris, quibus cum fortè colloqueretur petebat,cauſatus ſe Dei voce, & imperio acciri. Idem monebat alios vt ſtudioſè maioribus obtemperarent, neque imperata, ſed cunctationem excuterent, obſequium enim ſine oculis, non ſine auribus debere eſſe dicebat, mentiſque, & animi volentis obſequium externæ operæ addendum eſſe. Cùm adoleſcens quidam è noſtris Lupijs literas profiteretur, illum Prouincialis adulta hyeme quatridui iter ſuſcipere,atque abire aliò imperauit, verùm cùm imbecillo admodùm capite laboraret, enimuerò ſibi ab intempeſtiuo itinere longè plurimum timebat,ergò anceps animi Bernardinum quid facto ſit opus rogat: at ſenex adeundum Rectorem pronunciat, explicataque animi ſui ſententia, poſtmodùm illius verbis omninò ſtandum, atque ita demum caſura fœliciter omnia:quod viri conſilium ſapiens rei exitus comprobauit; nam, cùm ille dicto audiens fuiſſet,atque iter Rectoris admonitu eſſet ingreſſus, non modò nullum ab incommoda anni tempeſtate damnum fecit,ſed contrà ab importuno capitis languore conualuit.Iam alius, qui noſtris hominibus præerat, conflictatus maximè ſcrupulis,de magiſtratu abdicando ſedulò cogitabat,ſed datis ad ſenem literis, ita in obtinenda prouincia, quam iuſſus inierat, eſt confirmatus, vt & tunc, & aliàs ſæpè functus eodem munere neque ſe Religioni obnoxium

vlli

vlli ſenſerit, & tam ſapienter rempublicam adminiſtrauerit, vt in obeundo munere ſuo, cumulatè omnibus ſatisfecerit. Cum hac verò tanta obſequendi facilitate egregiam in moderatores obſeruantiam iungere conſueuerat, nam & in hebdomadas ſingulas Rectorem adire, eidemque tyronum more conſcientiæ ſuæ rationem reddere, & recitare de ſcripto ſua ipſius errata omnia poſitum in more habuit; alloqui verò nudato capite donec illud tegere iuberetur. Præſidebat domi ſenex quæſtionibus, quæ de ratione officiorum, & conſcientiæ nodis ſemel, aut bis in ſingulas hebdomadas explicandis haberi ſolent, atque hic ille, auditis, collaudatiſque aliorum ſententijs, cùm ſuam ipſius afferre vellet in mediū, aſſurgens nudato capite, quid ſentiret, apertè ſignificabat, deinde Rectori ſententiam ſuam ſubijciebat. Eandē in cuſtodia legum domeſticarum ſedulitatem adhibuit. Nunquam niſi reſignatas ſaltem à moderatoribus literas vt acciperet adduci poterat, quanquam haud rarò temporis, & negotiorum anguſtiæ Rectoris abſentis moram non paterentur. Aliquandò ſenis cubiculo ſeras addere cogitauit Rector, multi enim viri ſanctitudinem prætexentes, clam illud expilabant: hoc adeò Bernardinus ne fieret, quòd domeſtica iura non ſinerent, vehementer contendit, adeò vt Rector ne qua maiore ſenem moleſtia afficeret, deſtiterit ab incepto. Additum verò ſibi adiutorem laicum perinde ac ſupremum ipſum Societatis moderatorem ſemper audijt, regi ab illo facilis nihil recuſabat, quod ille fieri imperauiſſet. Nobiles fœminæ aliquandò Lycium ſenem ſalutaturæ conuenerāt, nempe Vritana Marchio cum filio, ac ſorore, Sācti Petri Duce, alijſq; Baronibus, ac principibus viris. id cū reſciſſet ſenex, qui tùm ab extrema ſenecta æger aſſiduè in lectulo erat, tulit oppidò grauiter ſe tanti eſſe: igitur valetudinem excuſans negauit, niſi cum vitæ diſcrimine, poſ-

ſe

ſe ſe quopiam è lecto efferre,quod ſanè veriſſimum erat, paucis enim ante diebus,cùm ſe è lecto eieciſſet, ita animo linqui cœpit,vt tantùm non exanimaretur. verùm nihil æquè in præſentia ſenem morabatur ac latendi amor,& deſpectus ſui;non enim is erat Bernardinus,qui tales fœminas Marchionis Spinulę fortiſſimi Imperatoris ſorores, vir cætera humaniſſimus, ſibi negligendas putaret, præſertim cùm enixiùs id Patres rogarent. Sed obfirmatum ſenis animum adiutor ſocius in hunc modum facilè expugnauit. Nobiliſſimum cœtum vocat in craſtinum pollicitus fore vt ſenem alloquerentur. Ergò vbi primùm mane poſterum diluxit,adit iacentem benè matutinus,atque eia,inquit,Pater,ſextus hic hebdomadæ dies Chriſti cruciatibus ſacer eſt, proinde iubeo te ad templum adrepere,& rei diuinæ intereſſe, & Euchariſtiã ſumere.Dictum factum;debilis,ac ſenex è ſtrato proſilit, ſocioque,& arundine innixus ſeſe in ædem vix agit,eoq; loci rei ſacræ operam ſedulus nauat, quanquam ne frigora læderent,fomentis ſubinde eſt releuatus:mox rebus diuinis ritè obitis, nobiles,vt compoſitum fuerat, feminæ,ſalutandi,alloquendique hominis opportunitatem adeptę propiùs adeunt,& voti compotes fiũt. Sub idem ferè tempus Marchio Spinaſolenſium cùm vellet è prouincia diſcedere, Bernardinum officij cauſa conueniẽs, ſibi vt abeunti benè precaretur expoſtulauit, nec contentus precibus,etiam pileolum, quem ſenex capiti induerat, vt ſibi elargiretur expetijt; enimuerò poſtulatis abnuere non potuit Pater, præſertim cùm Rector, ne quid cunctaretur, imperio etiam reſtitantem adigeret. confeſtim itaque detractum capiti dono dedit; verùm inter tradendum ſocius interpellans,quid tu,inquit,bono omini parcis? agedum, & munuſculum iſtuc bona prece commenda, ac iube, vt quiſquis galericulum induerit,omnem, quo fortè laborauerit, capitis dolorem pro-

procul habeat. Mirum dictu. paruit illicò ſenex,& muneri ſuo benè precatus, ſic demùm principi viro dedit.

Singularis Euchariſtiæ cultus, ac ſtudium erga Deiparam ingens. Caput IX.

AD hæc animi bona ſingularis pietas in Deum,& in Deiparam,cæliteſque omnes non vulgaris cultus acceſſerat. Nam ſi quà cœleſtium veneratio augeri poſſet,geſtiebat,tantaque ipſe obſeruantia Diuina tractabat, vt nunquam niſi de genu, aut certè inſiſtens pedibus, cùm alia ratione non poſſet, horarias preces, aut Virginis calculos coronarios abſolueret. Pictas Diuorum imagines, & reliquias haberi volebat, ſed cum cultu nimirùm, vnde animus ad pietatem excitaretur. Sanctorum autem virorum res geſtas & lectitabat frequenter, & breuiarium ex iis confecerat vt memoriæ faciliùs commendaret. idem, cùm ſe res dediſſet, opportunè illas afferebat in medium; quorum verò potiſſimũ cultui erat addictus, horum peruigilia & abſtinentia cibi & publica tergi verberatione colebat. Audito nouũ aliquod templum extrui,mirificè lætabatur,ſummiſque laudibus efferebat eos, qui in id opus incumberent, aut curarent de ſuo. Diuorum cultum pro virili amplificare ſtudebat,eorumque lipſana,aut icones ad ægrotantes ſæpè nõ ſine ſucceſſu mittebat. Cæterùm in Euchariſtiã ſingulari ſtudio efferebatur. ergò illam ſalutatum interdiù frequenter ibat, & cùm arbitris, & interpellatoribus vacuam ædem crederet, ad imam arãm poſitis genibus, explicatiſque in crucem brachijs, continuabat diù preces. Iam vbi ſtatis anni temporibus cultu ſolenni Euchariſticus orbis expoſitus publicè eſſet,ipſe horis plurimis pre-

preces immobilis fundere adeò prolixas, vt euocandus, excitanduſque eſſet ne quid detrimenti ſuſciperet. Puer quidam ferè quadrimus aliquandò cæteræ turbæ immixtus celeſte epulum ſumpſit: id adeò, cùm mater animaduertiſſet, iratior filium apud Bernardinum inſimulauit: at ſenex, vtinam, inquit, pari animi integritate Bernardinus ad Angelorum panẽ accederet, ſtatimque prouolutus in genua latentem in pueri pectore Dominum tandiù eſt veneratus, donec Euchariſtici panis attributa illa ſtomachi calore conficerentur; puerum verò ipſum ponere pariter genua iuſſit, & quas edidicerat preces, interim recitare. Idem author omnibus erat vt ad ſacram ſynaxim frequenter accederent, cuius tanta ipſe ſuauitate perfundebatur, nihil vt in vita iucundius accidere ſibi diceret, quàm quòd inter ſacrificandum quotidie celeſti ferculo reficeretur. Et verò ille non modò animi vires, ſed corporis reficiebat, ſic, vt præſens, ac vegetus tantis ſenex laboribus ſatis eſſet. Iam cùm ad ſacrum aræ myſterium accederet, vt paratior eſſet, nunquam, aut certè admodùm raró non ille animum anteà ab labeculis confeſſione expiabat: rem verò diuinam piè, & modeſtè, ac ritè peragebat; tantique eſſe altaris hoſtiam dicebat, vt ſi ſemel in vniuerſo orbe terrarum litandum eſſet, omnes vel longiſſimorum itinerum ærumnas vorandas duceret quò quis ſacrificanti intereſſet. Ipſe verò cum faceret, ſæpè lacrymis immadeſcere, ſæpè ex imo pectore ſuſpiria placidiſſimè ducere conſueuerat. interdum inter litandum alienato à ſenſibus animo in mẽtis exceſſum abripiebatur; ſacro demum ritè peracto, agendis Numini gratijs plurimum temporis adhibebat. Geminum huic in Sanctiſſimam Virginem Dei parentem Bernardino ſtudium inerat, quod iam inde à puero à matre hauſerat, adeò vt vel ſolo Deiparæ nomine audito geſtiret inſolenti lætitia, nec raró inter colloquendum

dum

dum abrupta quædam in Virginem obſeruantiæ, ac pietatis pleniſſima veluti iacula emitteret, & nunc magnam Dei parētem inclamaret, interdum perindè quaſi præſentem oculis cerneret, eius pulchritudinem, ac decora efferret; nec ſtudio ſuo contentus nihil omittebat, quod alios ad id pietatis accenderet. In eius laudibus recenſendis aſſiduus, eius imaginem quàm ſtudioſiſſimè coli iubebat. Quòd ſi quis in grauiora tempora incidiſſet, huic ad opem impetrandam voti alicuius Deiparæ nuncupandi fiebat author. Porrò in ſalutanda Virgine adeò frequens, vt affecta iam ætate duodecies, aut tredecies interdiù, totidemque per noctem vicibus precatorios orbes conficeret. addebat his, iterabatq; ſæpiùs encomia, quibus Eccleſia Deiparam colit, & ſibi præſentem orat. Iam dulciſſima Ieſu, ac Mariæ nomina & vſurpabat frequenter, nec ſine inſigni aliqua nota pietatis, quibus elegantiſſimos titulos laudis addebat, atque hinc ſcribendi ſemper ducebat initium, eaque ſe in ore, ſed multò magis infixa penitus in medullis habere dicebat; eadem hæc edoceri pueros primùm, atque his infantiam initiari, & loquendi ducere auſpicium volebat. Cōſultus à quopiam, cui Ioſepho Popinæ nomen, qua ratione potiſſimùm tentationes abigeret, hæc illi nomina præſentiſſima fore reſpondit, ſi ita Ieſum, ac Mariam vocaret, vt eos ſibi viæ duces, & comites comprecaretur, quod cùm ille præſtitiſſet, iureiurando poſtea aſſeruit, quoties breuem hanc precandi formulam opis indigens adhibuiſſet, viſum ſibi manifeſtè ante oculos Bernardinum, ſiue cùm ille adhuc viuens inter mortales ageret, ſiue poſt mortem obitam, facientem animos, hortātemque ad pugnam cum teterrimo hoſte fortiter ineundam: ipſe verò Ieſum ſibi, ac Mariam in parentes amantiſſimos elegerat, eorumque ſe fidei, & clientelæ commiſerat. Hinc porrò Angelicam ſalutationem tanti fa-

ciebat,vt ſe grandi aliquo munere auctum crederet, vbi quis ſemel Virginem ſuo nomine ſalutaſſet, cuius in verbis ſingulis immoratus aliquandò, ſic de ea poſtmodùm latinè ſcripſit: Inuenio, inquit, magnifaciendam,
„ primò quòd illius author auguſtiſſima Trinitas extitit,
„ neque enim ſolent nuncij, qualis fuit Gabriel, niſi quæ
„ accepere à Dominis referre: quare ſi Tullij orationes
„ miramur, quantò æquius Dei verba ſuſpicere? deinde
„ quia ab Angelo recitata,eodemque ſupremo; demùm,
„ quia ad Virginem ſpectat, magnis enim non niſi magna
„ conueniunt. Illud etiam ad rei commendationem addebat, Dominicam precationem, & Aue Angelicum,ex Doctorum virorum ſententia, non ſolùm ab vnius precantis pietate, operaque pretium accipere, ſed merito ſuo valere,& ex ſeſe.Demùm non ab re fuerit addere his donum egregium, quod illi, dum ſe ad Angelicam ſalutationem mane proximo commentandam iam ſero diei pararet,diuinitùs collatum eſt. Fortè ſenex conſecrare verbis ſolennibus cœnam iuſſus,dum formulam recitat, vacillante memoria lapſus,inter expiandum aberrauerat. iamque cùm ſe in cubiculum recepiſſet,& matutinis commentationibus argumentum ex more expediret,ipſa ſcilicet ſalutatæ ab Angelo Virginis verba,venit in mentem erroris ſui,atque,vt erat vnicè ingenuus,etiã ſine arbitris ſolus erubuit. cæterùm id ſecum reputanti continuò noua lux oborta diuinitùs menti, qua plura ſe errore illo à Chriſto edoctum animaduertit,ac primũ quidem ſe hominem nihili, qui tam ex facili erraret: alterum ante opus quodlibet aggrediendum quantumlibet minimum, opem diuinam implorandam: tertium Dei bonitatem, qua hominum voluntas ad id auxilij petendum excitetur, moneaturque, nulli vnquam malignè deeſſe:quartum denique ſi quid inſit in ipſo opere vitij, debere id omne ſocordiæ noſtræ referri acceptum;

nos

nos enim expoſcendæ diuinæ opis ſtudium, curamque
neglexim⁹. Hæc verò poſtquàm intellexit, Chriſtum
ſoterem ſic ipſum amicè increpantem audire viſus eſt
ſibi, quemadmodùm ipſe mox in libellum memoriæ
» cauſa retulit. An tibi, inquit, ex animo lex illa ordinis
» tui excidit, qua iuberis id omnium maximè habere in
» votis, vt ſtultus, ac vecors ab omnibus habearis, ſed ita
» cautè vt nullam dictis, factiſue iſtiuſmodi exiſtimationis
» anſam præbeas? atqui cùm in aggrediendo opere nec
» me vocas, nec à me opem expoſcis, an ne agis tūc aliud,
» niſi occaſionem ſtultitiæ tuæ præbes? quid ergò mirum
» ſi nec auſpicatò, nec litatò iter ingredientem certa te
» fallit via, cùm tute tibi volens plus nimio fidas? quan-
» quam id ipſum minimè animaduertis, & cogitare te
» alia omnia credis. Igitur vt hanc noxiam intelligas, de-
» cipi ego te, atque errare permitto, quò & te nihili eſſe
» cognoſcas, & me præſentem ſemper intuearis. quod vbi
» ritè præſtiteris, tunc enimuerò quæcunque egeris, ad
» meam gloriam ſpectabunt, quæ in eo propriè ſita eſt, vt
» me authorem bonorum omnium, & caput intelligas,
» proximique tui ad vitæ ſanctioris inſtitutum ſequen-
» dum pariter excitentur, ac tute ipſe ad mei memoriam
» in dies acriùs incaleſcas, quæ tuæ demum ſumma virtu-
» tis abſolutio, ac perfectio eſt. quæ cùm edoctus fuiſſet,
ingenti ſe gaudio perfuſum ſenſit.

In Sanctos Angelos, & Irenen Virginem, ac Martyrem obſeruantia. *Caput X.*

NEc reliqui cælites Bernardino neglecti, & primò Angeli, inter quos tutorem, cuſtodemque ſuum præcipuo cultu venerabatur, cuius conſuetudinem, ac præſentiam ita ſentiebat, vt officioſæ cuiuſdam in illum obſeruantiæ argumenta deprehenderes. viſus enim frequenter à multis, cùm ſe intrò in aliquem locum ferret, præſertim in templum, veluti de loco cedere, & exteriorem ſeſe illi comitem dare. Et quidem ſeni noſtro cum beatiſſimis hiſce cœli ciuibus neceſſitudinem maximam interceſſiſſe idonei authores multi tradunt, qui cum ijs colloquia miſcere interdum cùm in conclaui ſolus ageret, non inanibus coniecturis ad ſuſpicandum adducti ſunt. Certè ipſe cuſtodi ſuo referebat acceptum, quòd dum ad aram faceret, vir cætera capitis imbecilli, & diſtillationibus maximè obnoxij, tamen immitis cœli inclementiam per hyemem ſummo manè nihil ſentiret, ſed rem diuinam innoxius perageret, crudioris ſcilicet auræ morſus abigente Angelo. Idem aliàs laico maximi oneris arcam ſuccollanti, dum reponeret, tulit ſuppetias, atque ita facilè ſenex affectis viribus ſolus excepit immane pondus, ac ſi ſtipulam leuem de bajuli collo ſuſtolleret, quod demiratus frater nec hiſcere attonitus potuit, ac pro certo habuit Angeli cuiuſpiam ope id eſſe factum, cùm nefas omninò eſſet ſenis vnius infirmi viribus tantum oneris excipi. Quondam fallente veſtigio per ſcalas lapſus, caput ad immane ſaxum afflixit, ſed præſens exitium illi defendit Angelus, vt penè in totum ſoſpes euaſerit, quod ipſe datis ad amicum literis teſtatus eſt. Iam cùm ſenex ſcribendis carminibus nauabat

uabat operam (factitabat autem iſtud non rarò) eò neceſſitudinis cum illo proceſſerat, vt ſibi initia carminum dictaret Angelus, poſtremos ipſe numeris modos apponeret; quare cùm quidam è noſtris, cui Octauiano Tufo vocabulum, eleganti epigrammate luſiſſet, ſeni dedit, precatus vt ſibi totidem verſibus reſponderet: Atquì, inquit ille, id tibi polliceri non eſt, neque enim præſtare poſſum, qui in numeris concinnandis totus ex tutore Angelo pendeo; ille enim auſpicari verſus, ipſe conficere ſoleo. Hoc idem in epiſtola ad fratrem apertè teſtatus eſt, ſic enim habet: Scripſit ad me Barulo quidam è noſtris, ad quem ego reſcripſi tetraſtichon, quod de nocte non ſine Cuſtodis Angeli ope confeci. Ipſe verò ſic olim illum diſticho eſt alloquutus.

Angele, Cuſtodem mihi quem bona Gratia fecit,
Sis precor auxilij cura beata mei.

Cuius plurima exempla manu ſua confecit ipſe, atque ad certos homines miſit, non ſine magnis in patronos cuiuſque Angelos pietatis, & cultus incrementis, adeò vt rerum ſucceſſus miraculis etiam pluribus nobilitari cœperint. Iam quanta obſeruantia ſanctiſſimam Lupienſium patronam Irenen veneraretur, incredibile dictu eſt. etenim communibus officijs acceſſerat ſingulare beneficium ipſi redditæ ſanitatis, de quo ſuperiore libro meminimus; cùm verò Virginis pignora odorem inſolitæ ſuauitatis afflarent, maximam inde ſibi acceſſionem pietatis in eam fieri ſenſit. igitur pluribus, iiſque diuerſis carminum modulis eius nomen concelebrare, eius interdiù frequenter ædiculam viſere, atque implorare opem ſæpiùs cœpit: geſtire idem cùm ad Virginis lipſana religionis ergo confluere mortales plurimos cerneret: denique vt ſe illi proprium veluti mancipio, ac nexu addictum oſtenderet, nihil omittebat, quod eius cultum amplificare, ac diffundere longè, latèque poſſet.

Fortè per eos dies, quibus ſacra Irenes oſſa Lupias tranſuecta ſunt, Victorius Priuli, vir inter principes nobilis, cùm lipſanothecę linteolum appoſuiſſet, adhęſiſſe tenui lino recentiſſimum odorem animaduertit: igitur cùm dentibus forte tunc ipſum laboraret, dexteræ genæ illud admouit, neque ita multò poſt tactu ſalubri conualuit. Hoc adeò cùm ſenex animaduerteret, ſubit periculum facere. igitur goſſipium oſſibus Virginis admouens, cùm inodorari id quoque cognoſceret, cœpit illicò laborantibus pro ſacris lipſanis mittere, quod pergratum Irenæ accidiſſe, cùm exitus rerum felices, tùm illuſtria quædam miracula probauere. Quidam, cui tenuis admodum, & anguſta domi ſupellex erat, cùm & hãc ſibi clàm furto ſublectam vidiſſet, tanto animi mœrore eſt afflictus, vt in morbum inciderit. agebant porrò miſerum malè perpetuæ quędam vigiliæ, ſic vt ſeptennium ipſum nunquam ſalubriter, tranquillèque dormierit, nam vix illi ſomnus acceſſerat, cùm repentè excitus euigilabat; quamobrem iure, ac meritò demirabantur medici, tantæ inſomniæ hominem tandiù eſſe ſuperſtitem; cæterùm illi vitam morte omni grauiorem morbi violentia effecerat, ita enim viuebat, vt vecors, ac ſtolidæ mentis hominis vmbra veriùs quàm homo per agros, ac loca ſola oſor celebritatis erraret, cibi non minùs, quàm ſomni parcus. in hoc rerum ſtatu aliquandò deſidenti fortè ſub arborem virgo egregia forma ſe ſe viſendam dedit, cui candida palla virgineos artus velabat, ac laborantem placidè affata, ſe Irenen Lupienſium patronam eſſe dixit; dein imperat, ſi ſe ſaluum velit, Lupias petere ad fines Hydruntinos, atque inibi ſanctitate celebrem virum, cui vocabulum Bernardino in Collegio Societatis exquirere, atque huic omnes animi noxias ſacra confeſſione aperire, curare demùm, vt eiuſdem manu lanæ xylinæ modus, quæ ſua ipſius lipſana attigiſſet, eius capiti adhi-

adhiberetur. paruit extemplò miſer, ſuſceptoque nouem dierum itinere peruenit Lupias, ac ſenem conueniens rem illi omnem aperuit: exceptus itaque à noſtris hoſpitio perhumaniter eſt, ac rebus omnibus ritè abſolutis, ſtatim ſomno tam arctè complexus eſt, vt quatuor ipſas, ac viginti horas continenti ſopore dormiuerit, dein ſe cibo refecerit, ac demùm recuperatis breui viribus, ſanus, ac ſoſpes remeauerit domum. Triputeum, ſuburbanum oppidum eſt, tribus fermè paſſuum millibus Lycio diſtans. hìc ſortè mulier dextero brachio laborabat, quod Myrmecia ita corroſerant, vt ſæpè inde chirurgi mortuæ carnis execta fruſtula ſine vllo ſenſu doloris abijcerent. hæc adeò Lupias aliquandò ſe contulit, vt ſi quid denique opis in medicorum arte ſupereſſet, periculum faceret: at hi inſanabilem morbum pronunciant: ergò cum illi ad reſtim, vt aiunt, res redijſſet, deſperatis humanis opibus, ad ſenem noſtrum adijt, qui mulieris malum commiſeratus, priùs de peccatis confitentem audijt, dein ſacra communione refecit; ad vltimum iubet goſſipium Irénes, quod ipſe dederat, ad brachium apponere: quæ, cùm cuncta ordine peregiſſet, proxima nocte Virginem aſpectu pulcherrimam videre ſibi viſa eſt in ſomnis, quæ redditæ ipſam ſanitatis admonuit: nec vana fuiſſe ſomnia probauit euentus: mane proximo proſilit è lectulo integra, ſic vt maximo miraculo medici tam ſubitam, tam certam ſanitatem aſcriberent. ergò confirmata ſucceſſibus præſentia Virginis mirum quantùm pietatem ciuium, & cultum erga patronam auxit; ſtatimque, ſi quid vel immineret aduerſi, vel in præſens vrgeret diſcriminis, adito Bernardino, aliquid goſſipij efflagitabant, nec deerat pijs ſuorum ſtudijs, ac votis egregia Virgo. Cæterùm, quod è ſenis manibus xylum prodibat, id demùm in cunctis vnum ſalutare, ac præſens experiebantur. Denique non vnius vrbis,

bis, aut Regni finibus contineri tantarum rerum fama potuit, ſed longè, latèque terra Italia, atque extra vagatus rumor multos mortales ad iſtiuſmodi Xylinæ modulum lanæ efflagitandum exciuit, quibus ex animo ſenex benignè faciebat, monebatque omnes vt eam cum pietate, ac religione tractarent, ita demùm præſentiſſimam Virginis opem pollicitus. Gaudebat verò in primis Irenes & nomen, & patrocinium quàm latiſſimè effundi, cui rei crebris literis ipſe miracula euulgabat, authorque etiam fuit Antonio Beatillo ſcribendæ hiſtoriȩ, qua Virginis res præclariſſimè geſtas, cruciatuſque fortiter pro Chriſtiana religione ſuſceptos in lucem ederet; quod ille non ſine magnis laboribus, conquiſitis vndiq; Italis, Græcis, Latiniſque voluminibus præſtitit. Sed de Irene, ac Bernardino iterum infrà nobis incidet ſermo, nunc reliqua expediamus.

Bernardini in reliquos Cælites cultus, & religio, nec non quanti ab eo Societas fieret. Caput XI.

IGitur ad reliquos Cælites patronos cognominem ſuum Diuum Bernardinum Senenſem addidit, cùm alijs nominibus multis, tùm quòd illi olim cum familia Bellintania vetera hoſpitij iura interceſſerant; conſueuerat enim ſanctiſſimus ille vir, cùm per Galliam Ciſalpinam iter ageret, aliquandò Carpos deflectere, atque apud Bellintanios diuerſari; quare Bernardinus, & popularium ſuorum, & propriè maternȩ domus veterem patronum, & hoſpitem mirificè coluit: Carolum etiam Borromæum Mediolanenſem Antiſtitem, quem adoleſcentulum caſtiſſimis moribus Ticini cognitum habuit, quemque ipſi Ambroſio, & propter inſulas vnius vrbis,

& pro-

& propter morum in primis integritatem æquabat. Iam Ignatium Societatis parentem quanti faceret hinc intelligere eſt, quòd illum proximum Principi Apoſtolorum Petro inter cæleſtes tenere locum dictitabat, & res ab illo geſtas lectitabat ſtudioſè, & poëticis numeris eleganter non rarò claudebat. Idem Ignatij lipſanis non ſine pietatis pretio vtebatur. Mulier, cui Patientia vocabulum, graui, ac pertinaci morbo conflictabatur: ad eam Bernardinus paruam lipſanothecam cum Ignatij Parentis reliquijs attulit monens vt ſe illius fidei, & patrocinio committeret, atque abijt. itaque mulier cùm vix ſibi pium amuletum appoſuiſſet, repentè placidiſſimo ſopore correpta, vidit Ignatium, audijtque ſe perhumaniter alloquentem; cæterùm domeſticorum ſtrepitu excita, grauiter illos increpuit quòd ſe turbis intempeſtiuis tanti hoſpitis præſentia pariter, & alloquio priuaſſent; addiditque fidem dictis, breuiſſimo enim ſoporis illius interuallo ſanitati integræ eſt reddita. Barulum celebre oppidum eſt in Apulia. hìc Portitoris vxor fœmina nobilis vſque eò ſe infeſtam dolebat à muribus, vt peſtem hanc à ſe nulla ratione poſſet abigere, nam quoquò illa pedem tuliſſet, aderant ſordidæ animantes, ſic vt nec lectus illi vacuus eſſet à muſculis. igitur animi incerta, patrem de Societate conſulit, qui nec abnuente ipſa Bernardinum per literas certiorem facit: at ſenex re cognita cùm reſcriberet, appoſuit literis ſacrum Ignatij effigie numiſma, illudque ſibi fœminam de collo ſuſpendere, & Dominicam precationem, atque Angelicum Aue recitare ſemel iuſſit: quæ cùm imperata feciſſet, nuſquam gentium illi mures in poſterum viſi. Camillæ Ammiratæ oculos frequens vexabat epiphora. hæc aliquandò violentia morbi ſubacta ſenem adijt rogitans vt ſibi ſaluberrimæ crucis ſigno ſacraret oculos: at ſenex Ignatij numiſmate accepto, non te ego,

inquit, filia, ſed Beatus Ignatius ſignat, ſtatimque oculis illud in crucis modum apprimit non ſine ſucceſſu; ab illo enim attactu integra, ac perpetua oculos ſanitas eſt conſequuta. Ioanna item Petrarola aſcetria nobilis penè agebat animam; quod cum reſciſſet ſenex, Ignatij nummum ad laborantem miſit ea lege, vt ſe illi hunc non amplius triduo commodare diceret. Mirum dictu: tertio die cùm virgo expiratura mox videretur, ſacri numiſmatis, quod à ſene acceperat, tactu conualuit. Sileo reliqua. Iam Ignatio Franciſcum Xauerium non immeritò parem addebat, quem ipſum non diſſimili elogio proximum inter Diuos Paulo gentium Apoſtolo dicebat eſſe. eum igitur non diſpari cultu proſequebatur, picta enim viri ſanctiſſimi imagine in ægrotantium opem non ſine miris ſucceſſibus vtebatur. Difficili admodùm puerperio Deianira quædam miſerè laborabat, cùmque eluctata diù non poſſet eniti, lethali rigore correpta iam in exitu vitæ erat. Interea loci frater ſororis anxius ad Bernardinum aduolat preces expoſtulans: at ſenex Xauerij iconem commodans, blandè mœrentem confirmat, ac ſucceſſura mox laboranti omnia prædicit. frater itaque & amuleto, & vaticinatione lætus accurrens ſorori imaginem admouet, ac tantùm quòd laborantem attigerat, cùm mulier marem feliciter in lucem edidit, cui ob præſentem opem Ioanni Franciſco nomen eſt inditum. Adoleſcentem alium veneficijs, & cantionibus morti proximum ſacra eiuſdem Xauerij effigies, quam Bernardinus illi vt pro amuleto eſſet, miſerat, ſanitati repentè reſtituit. Cæteros verò de Societate vitæ ſanctimonia illuſtres viros pari cultu proſequebatur. Stanislao ſemper Angeli elogium addidit: Aloyſium verò certa prece vocabat quotidie, euulgatamque typis adoleſcentis ſanctiſſimi vitam auidè legendo ſæpius hauſit, eandemque peruolutandam pluribus dedit, & ſcriptorem operis lu-

culen-

culentiſſima epiſtola vel hoc in primis nomine commendauit, quòd cum egregijs, magniſque virtutibus minuta pariter virtutis officia, & quædam illius veluti pietatis fragmenta collegerat ne perirent; mox etiam ſe tarditatis inſimulauit, qui ſe ſenem in ſtadio virtutis ab adoleſcente, tanto interuallo præuerti ſit paſſus. Societatem verò ipſam iam inde ab initio tanti fecit, vt eam inter ſanctiores, integrioreſque, qui in Chriſtiana republica florerent, ordines numeraret, eandemque Apoſtolicæ, ac naſcentis Eccleſiæ exemplum, & imaginem diceret, in qua cum vitæ innocentia doctrinæ ſplendor, cæteræque virtutes, & magna in primis cùm in Deum, tùm in proximos caritas eniterent. Se verò in horum, ac talium hominum numerum adſcriptum gaudebat maximoperè, adeò vt quo die Societatem inijt, illum diem ſemper fauſtum ſibi, ac feliciſſimum diceret, ijſque benè adprecaretur, quorum opera Societatem ſibi nunquam antea cognitam, perſpectam habuit. præcipuos verò in his Daualum, & Triuultios numerabat. Neque vnquam ſe pro tali merito referendis Numini gratijs parem exiſtimabat, ſed ingratum, atque indignum omninò dicebat, vt qui inter feliciſſimas vites huiuſce Domini vineę vnus ipſe ſterilis palmes locum ſine fruge occuparet, neque ſe Ieſu ſocium, aut comitem vllo iure vocandum, qui præeuntem ſtrenuè ducem, tàm lentè, tàm ſegniter ſequeretur; tanti verò à ſe humilioris vitæ huius fieri ſtatum, vt nullis conditionibus, vel ſi terrarum orbis imperio ſecum quis paciſceretur, adduci ſe poſſe diceret vt humilem lacernam cum Regum purpura commutaret. Idem, cùm in Societatis mentionem incidiſſet, additis ſemper egregiæ notæ laudibus, ac titulis commendabat: illam ſcilicet virtutis, ac ſanctimoniæ palæſtram, illam caſtrorum aciem, illam cęli rudimentum quoddam, & terram lacte, ac melle manantem dicebat. interdum

puellam, quæ Altiſſimo placuiſſet, interdum ordinem, qui Ieſu ſibi valde propitio meritò gloriaretur; æuum autem in ea degentibus à Deo omne bonum oſtendi. Addebat ſocios, Ieſu, ac Maria auſpice, cum ingenti animorum prouentu terra, marique vagari ſemper. eam denique Societatem dicebat eſſe, quæ propter egregiam partium ſymmetriam, mutuamque beneuolentiam, cælitum rempublicam, & beatarum mentium immortale domicilium inter mortales feliciſſimè æmularetur. Nec Societatem modò ſanctam dicere, ſed omnia, quibus illa vtitur, eadem nomenclatione donare conſueuerat. ſic ſanctas leges, regimen ſanctum, vitæ, morumque inſtitutum ſanctum dicebat. Nec ordinis modò vniuerſi, ſed ſingulorum commilitonum virtutem, reſque geſtas ſummis laudibus efferebat, adeò vt neminem non ſuſpiceret, & ſe ab omnibus omnia virtutis, ac probitatis exempla petere fateretur. Singulis porrò elogium illud aptari verè dicebat poſſe, nempe vt Ieſuita ſuo quiſque iure nuncuparetur, inde ſcilicet, quòd Ieſus ita & cogitaret, & loqueretur, & ageret.

Fides, ac ſpes Bernardini.
Caput XII.

HVius verò erga cęleſtes religionis, & cultus parentem, atque altricem Fidem habuit, cuius ſeruandis, augendiſque pro viribus ſanctiſſimis placitis diù, multumque laborauit quà habendis concionibus, quà ethnicis traducendis ad Chriſtum, aut Iudæis, aut Mahometica ſuperſtitione imbutis. nihil in eius doctrina non cum ſanctiſſima Religione conforme, adeòque omnibus in hoc laudis genere integritatem, ac ſapientiam ſuam probauerat, vt & ipſius authoritas ſemper omni-

omnibus plurimi eſſet, & ſi quid in fidei controuerſijs anceps interdum incideret, non modò Lupienſis Antiſtes, ſed omnes oræ Hydruntinæ Epiſcopi illo diſceptatore, atque arbitro vterentur. Lucius verò Fornarius Antiſtes Vritanorum Bernardini effata cum ipſis ſacrorum voluminum placitis contendebat. Cęterùm in confirmandis Catholicæ fidei dogmatis mira quà ingenij, quà orationis dexteritate pollebat. Eques quidam Tranſmontanus neſcio quibus intemperijs actus, eiurare Chriſtianam fidem peſſimo conſilio decreuerat; iamque Bizantium, & Mahometis haram perfidus transfuga cogitabat: ſed delatus Lupias, ad Bernardinum negotij cauſa ſe contulit; cùmque inter colloquendum peſſimam mentem aperuiſſet, ita à ſene religioſiſſimo in Chriſti fide, quà congeſtis rationibus, quà molliſſimo alloquio confirmatus, erectuſque eſt, vt veſanæ mentis turpe conſilium abijciens, immundæ ſuperſtitionis importunam cupiditatem excuſſerit, domumque reuerſus in veteri perſuaſione perſtiterit. Iam cùm progreſſus fidei apud Indos audiret, geſtiebat ſupra modum, eoſque ocyus literis euulgabat. Nec defuere interdum ſequuta ſenis fidem miracula, nam & morbos longè plurimos curaſſe, & exegiſſe pro imperio dæmonia memorabitur nobis in loco. Nunc aliqua curſim attingam. Decumbebat ex morbo philoſophiæ Doctor P. Petrus Alois. is itaque inuiſenti ſe Bernardino, eia Pater, inquit, & mihi piam aliquam precationem ad Deum funde: tum ille, ecquam potiſſimum tandem? at æger, nimirùm Euangelicam illam, Super ægros manus imponent, & benè habebunt, ac ſtatim ſenex conceptis verbis precatus, inſuper addidit ipſe, Super ægrum manus imponit Bernardinus, ergò ſanabitur, nec euentus piam conſequutionem fruſtrà habuit. Aliàs ſerpens dira, malumque prę ſe virus ferens ad Bernardini pedes innoxia aſtitit. certa-

uere

uere ſuperſtites peſſimæ animanti malum exitium creare, at ſenex miſeratus, arundine abactam aliò impulit, eidemque quò verſus iuberet ire ſignificauit; nec illa abnuit, ſed ſtatim eò concedens, nuſquam apparuit. Idem aliquandò venenum haud dubiè hauſit innoxius. quod ita ſe habuit. Piſces neſcio quos lethali toxico infectos imprudentes in foro ichthyopolæ venum dederant; ij verò inter fercula menſis appoſiti, omnibus aut præſens exitium, aut morbum creauere: inrer hos viri duo religioſi ſerò cognitam peſtem cùm non potuiſſent reuomere, extincti ſunt: noſtri verò omnes diù, ac malè habiti vix tandem antidotis maturè adhibitis periculum exiere, vno interim Bernardino prorſus indemni, magno vtique fidei argumento, cùm Dominus de credentibus dixerit Et ſi mortiferum quid biberint, non eis nocebit. Porrò ex eodem Chriſtianæ perſuaſionis, ac fidei amore fiebat vt ſacros Eccleſiæ ritus maximè commendaret. igitur & publicarum ſupplicationum vſum probabat, & de myſterijs ritè obeundis, tractandiſque, de ſuffragijs etiam, & criminum indulgentijs commentariolos ſcripſit, idemque rurſus aniles, & vanas ſuperſtitiones inexpiabili odio proſequebatur; hæreticos verò, & ſanctiſſimæ Religionis perduelles multò peiùs oderat, carpebatque quà ſcriptis, quà verbis quantùm maximè poterat. eorum libros ſi quà incidiſſent in manus, tradebat igni: item ſi quos, qui apud ipſum de peccatis confiterentur, huiuſce lectionis adſtrictos cerneret, grauiter increpitos, & ſacramento etiam rogatos expiare igni hanc peſtem comburendis voluminibus adigebat: quin & ipſe aliquandò iſtiuſmodi amentiæ libros à fœminæ manibus paulatim excuſſos cremauit omnes. Iam ſupernæ felicitatis in illo ſpes nihilò minor, propè vt vna hac ſuſtentare ſeſe quodammodò videretur; nihil tamen ipſe ſibi tribuere, ſed Domini erga ſe miſericordiam meri-

tum

tum ſuum dicere. Nihil frequentiùs in literis, quàm bonorum cæleſtium deſideria, expectationeſque ingerebat. Communem iſtam in terris mortalium ſtationem, nunc militiam, interdum ſuſceptam ad cæleſte domicilium peregrinationem, carcerem etiam, & compedes nominabat, ſæpè rogitans Deum vt animam ſuam educeret è cuſtodia. Lætitiam vultu ille quidem ſemper, cæterùm tunc vt maximè ferebat præ ſe, cùm ſe ſe & ſenem, & affecta ætate videbat, quòd ita demum morti proximum communes haſce mortalitatis ærumnas, & inferni hoſtis petitiones exire ſe poſſe crederet; quare longioris æui curſum ſibi timebat, ita tamen vt omnis à diuina voluntate penderet. Totus in ſempiternæ beatitatis contemplatione defixus hærebat, neque illi ſuauiſſima Dei recordatio excidebat vnquam ex animo, ſed illum præſentem vbique locorum cernere, coram illo ambulare conſueuerat. Denique vſque eò cælum, ac diuina ſpectabat, vt euectus identidem ad ſupera animus diù nihil iſthæc mortalia ſentiret, ſed excutiendus, excitanduſque non rarò eſſet, quò ſe demum aliquandò colligeret, atque ad ſenſuum officia referret.

Virtutes reliquæ Bernardini. Caput XIII.

NVnc cætera ſtrictim attingam. & virtutes quidem principes illæ quatuor, & veluti cardines reliquarum quanquam ſatis perſpici poſſunt ex ijs, quorum hucuſque meminimus, tamen aliquod veluti auctarium dictis addere, non ſine operæ pretio erit. Igitur Prudentiam ſenis ſatis conſtat fuiſſe magnam, ſic, vt viri, & rerum vſu, & doctrina ſpectabiles ſæpè Bernardini vnius ſententiam cæteris omnibus anteferrent. Scitum

eſt Prouinciales noſtros, cùm de re aliqua referrent ad Patres, inter conſiliandum ſi fortè cæteri longè alia ſenſiſſent, ſenis tamen placita, poſthabitis reliquis, præoptaſſe. Claudius Aquauiua ſupremo ſe familiæ noſtræ magiſtratu abdicare ſedulò cogitabat. Hanc verò mentem vt exueret, quanquam iniecta grauioris noxæ religione Aſſiſtentes, & viri authoritate graues pro virili parte contenderent, nunquam tamen exorari ſe paſſus eſt vt abijceret, donec conſulto Bernardino, alia omnia cogitare iuſſus ab illo eſt, tantumque viri prudentiæ tribuit, vt & dictis in præſentia acquieuerit, nec poſtmodùm aliàs vnquam de reſignando gubernaculo cogitauerit. Lycium viri aliquot religioſi nouè conuenerant vt certum ſibi in ea vrbe domicilium ſtatuerent. hìc adeò (vt ſunt in noua re hominum animi diuerſis ſtudijs, ſententijſque diſtracti) facta illicò ſunt magna ciuium, partiumque diuortia, his adnitentibus vt noui hoſpites ciuitate donarentur, contrà alijs enixè obluctantibus vt omnis illis aditus obſtrueretur. ergò cùm ſuæ quiſque ſententiæ patronum, authoremque idoneum quærerent, adire omnes ſeorſim ſenem, atque ad partes trahere. verùm ille cognita re, vt quàm commodiſſimè negotium pro nuperis aſcetis tranſigeret, principiò neutris ſtudere, ſed ſtudia partium conciliare inter ſe, & diſſidentes pacificare pro ea, qua apud omnes authoritate pollebat eſt aggreſſus; quod cùm illi ſucceſſiſſet, tum demum recipiendorum hominum author extitit, ſtatimque omnium ſuffragijs in vrbem aſciti ſunt. Porrò in alijs, ſeù ad arctioris diſciplinæ ſtudium, ſi piè viuerent impellendis, ſeù, vbi de ſemita deflecterent, in viam reuocandis mira dexteritate vtebatur, ſemperque cum efficacitate operis, agendi lenitatem, & placidiſſimi ingenij facilitatem iungebat; ijs verò, quos ad virtutem informabat, principiò faciliora quædam Chriſtianæ ſapientiæ

tiæ veluti rudimenta imperabat, mox vbi paulatim prima proceſſerant, ad nobiliora maſculæ virtutis facinora valentes impellebat. In primis autem piarum commentationum commendabat vſum, adeò vt ſodalibus Parthenijs, quibus cum imperio præerat, exemplo etiam anteiret, tantumque ſenis induſtria valuit, vt omnes ex illo Virginis ſodalitio cùm virtutibus cæteris, tùm orandi in primis laude florerent. Iam ad ſingularem iſtam prudentiæ, conſilijque vim, geminum iuſtitiæ, æquitatiſque ornamentum addidit, ad quam longè ante initam Societatem ſedulò incubuit, adeòque in hoc genere operam ſuam probauit, vt Daualus, cuius vniuerſæ Bernardinus ditioni præfuerat, leges eum ſcribere iuſſerit, quibus æquitatis, ac iuris dicundi rationem futuri poſt ſe prætores edocerentur. In Societate verò vſque eò perſpecta omnibus integritas viri, vt non Lupienſes modò magiſtratus, ſed verò etiam longè gentium diſiuncti reſponſa ab eo ſanctiſſimi iuris expoſcerent; eundemque litigatores, ſimul vt ne foro, aut iudicijs longioribus cõflictarentur, ſimul vt æquitatis certiſſimam rationem inirent, ſibi in arbitrum legerent; quos ita diſſidentes cõponebat, vt cumulatè ſemper omnibus ſatisfaceret. Idẽ pactiones, conuentuſque, quanquam æqui, tamen ſi ſpeciem iniqui aliquam præſeferrent, author erat ne fierẽt. nam de eius animi magnitudine nihil attinet dicere, qui ita humana deſpexerat, vt quæ in hominem cadere poſſunt omnia, ſubter ſe haberet, & mortales caſus planè contemneret. Animi verò affectiones, propenſioneſque vſque eò macerauerat, vt ſine humanis affectibus videretur, atque illud in hanc rem vſurpabat, eò ſpectaſſe olim Deum, cùm viuentem ab aris victimam omnem prohibuit, vt ſignificaret, nullum noſtri ſibi ſacrificium probari, niſi anteà prauæ animi affectiones, atque impetus extinguerentur. Idem morborum moleſtias ferebat

æquè, agebatque Numini gratias cùm acerbiſſimis cruciatibus conficeretur, nunc leuiſſimam hanc ſuis noxijs mulctam à pio vindice irrogari dictitans, nunc ſe beneficio ſingulari affectum, quòd cum morborum patientia beatæ vitæ ſpem ſibi faceret Deus. tanta animi fortitudine præditus, vt nullis patientię tentationibus ſuccumberet. ſenex olim, & affectis cruribus debilis, eòque inualidus ingredi, ipſum vndecies è templo, & confeſſionali ſubſellio accitus vt noſtrorũ confeſſiones exciperet, qui per diem feſtum ſolutè, ac vagè myſterium confeſſionis obibant, non modò nunquam conqueſtus aliquid eſt, aut contraxit frontem, ſed perinde alacer, lætuſq; ſuprema vice accurrit ac prima. In cuſtodia ſenſuum vigil, nihil auribus, oculiſue ſine certa æqui, rectiq; ratione tribuebat; oculos verò ipſos ita ex vſu demiſerat, vt multi, quò ſenis modeſtiam vel ſuſpicerent, vel periclitarentur, ſeſe pro eius cubiculi foribus ſiſterent, neque interim videntes ipſi à Bernardino conſpicerentur. Laicus quidam communi menſæ fercula matutinis iuxtà, ac veſpertinis horis cõplures menſes ſæpiùs miniſtrauerat, nec tamen ille vnquã ſenem aduertit, donec ſpatio ſemeſtri elapſo, cùm neſcio qua illius opera indigeret, veluti de recens aducto, ac nouo hoſpite, ecquis eſſet alium quendam interrogauit. qua quidem in re teſtati aliqui ſunt eum nihilò minori modeſtia inter epulares accubationes aſtare ſolitum menſis, quàm cùm ad aras faciens cæleſte epulum ſumeret. Floſculos verò, aut alia id genus puerilia oblectamenta nunquam non modò manu geſtare, ſed ne in conclaui quidem habere voluit. Iam ad cæteram viri ſapientiam, pietatemque, qua omnium in ſe ſtudia conciliauerat, acceſſit non vulgare amoris incitamentũ, facilitas adeundi, quantam vix in aliorum commodis moribus inuenires; adeuntes autem ad ſeſe & excipiebat humaniter, & eo vultu, vnde ſanctimoniæ lux, & odor

qui-

quidam efflabatur integritatis,vt hominum voluntates, ac ſtudia ad ſe vel vno oculorum obtutu pelliceret, in iiſque germanæ quoſdam pietatis ſenſus, atq; igniculos excitaret. Theologus quidam è Franciſcana familia, cui vetus cum Bernardino neceſſitudo interceſſerat,iureiurando eſt teſtatus tranquillandæ conſcientiæ,atque abſtergendi mœroris donum illi cælitùs eſſe collatum.Neretinus etiam medicus quidam vnius oris aſpectu cùm ſe, tùm alios ad ſenis amorem , ac reuerentiam adactos aſſeruit,idemq; de ciue ſuo narrauit,illum ſcilicet longè anteà à noſtris hominibus alienum, cùm aliquandò deduxiſſet ad ſenem,vbi procul aſtitit, è veſtigio mutaſſe mentem in melius , ſic vt ad aſpectum primum iniectæ ſenſum pietatis teſtificari lacrymis cœperit, & coronarios Deiparæ calculos ſeni applicitos pro lipſanis cõſeruauerit.Beliſarius verò Aquauiua Neretinorum Dux de ſe narrabat,quo die primitùs ſenem vidiſſet,eo die quãdam de cælo lucem affulſiſſe menti , qua ſe ad viri cultum manifeſtò ſenſit impelli , quo factum vt iam inde pro ſanctiſſimo viro ſemper habuerit.

Abſoluta vita , morumque perfectio.
Caput XIV.

ERgò hinc quiuis facilè intelliget quàm in omni genere laudis abſoluta numeris omnibus viri virtus, & integritas fuerit . certè qui eo ſunt familiariter vſi , hominem & ſuſpexere ſemper maximè , & ſummis laudibus extulere . Quidam verò è Franciſcana familia ſpectatæ virtutis , ac ſanctimoniæ , quid de Bernardino ſentiret interrogatus,illum iam plures annos ne leuem quidem admiſiſſe noxam reſpondit. quod ſanè viri integerrimi, ſanctiſſimiq; de caſtiſſimo ſene reſponſum,rem

ex merito æſtimantibus, haud dubiè quin aliquid mortali coniectura altius ſapere videri poſſit. Sacerdos etiam è noſtris, qui illi à confeſſionibus fuerat, non modò grauioris noxæ labem in eo omninò nullam, ſed ne leuiorem quidem voluntariè ſuſceptam inueniſſe ſe vnquam pro teſtimonio dixit. Hoc idem alius Theologiæ doctor, qui ſenem apud ſe de peccatis confitentem exceperat, teſtatus eſt, addiditque non potuiſſe ſe, niſi communes quaſdam retroactæ vitæ maculas fatentem abſoluere. cuius verò maximè generis labes homini adhæſerint, facilè quis inde confecerit, quòd cùm è noſtratibus quidam, vt à ſene noxas, quarum ſe in homologeſi reum diceret, diſſimulanter excerperet, quæſiſſet ab eo ecquas demum homines pij, & ſeuerioris diſciplinæ ſtudioſi cùm confeſſarium adirent, poſſent animi labes eluere, Bernardinus reſpondit poſſe viros huiuſmodi negligentiæ culpam fateri, quòd exciti de ſomno non ad primam de Deo, ac rebus cæleſtibus cogitationem animum adiecerint: accuſare etiam ſocordiam, quòd in Deum ſuum non ſtudio ſummo caritatis exarſerint. Igitur ille has, aut certè non ita longè diſſimiles in ſene offenſiunculas eſſe intellexit, quæ quidem aut nullæ ſunt, aut leuiſſimæ, vel certè fatendum eſt inde ſe crediſiſſe obnoxium, quòd virtutibus vacans, non omnes illarum numeros inter agendum obiuerit. Rector item quidam Collegij, apud quem Bernardinus de erratis confitebatur, eam ab integerrimo viro expreſſam in moribus virtutis imaginem inueniſſe ſe dixit, quam ſanctiſſimus Parens Societatis Ignatius in ſuis legibus, inſtitutiſque formauerat, ea autem non niſi ſumma quædam, & numeris omnibus abſoluta Chriſtianæ ſapientiæ ratio eſt. Theologus notæ ſanè non deterioris illud de Bernardino elogium ſcripſit, nempè eam animi rectitudinem aſſequutum ſenem, vnde vitio ſuo primus hominum parens,

rens,atque author exciderat;addiditque vſque eò illum omnes religioſo homine dignas virtutes complexum eſſe, vt anceps iudicium æſtimantibus fecerit ecquam vnam reliquis ante habuerit qui adeò excelleret in ſingulis, vt quamlibet tenendam ſibi certo ſtudio deſtinaſſe videretur. Alijs,quibus cùm ageret,adeò diuinum neſcio quid, & mortali fragrantia maius olebat, vt cùm illum adirent, agere ſe cum cæleſtibus arbitrarentur. Cæterùm tam exaggeratæ virtutis faſtigium non ſine ingenti labore, & induſtria tenuit, utque ad illud euaderet,in primis animum ab labeculis,erratiſque leuioribus non minori diligentia prohibuit, quàm cæteri ſoleant religioſi homines,ac pij ſeſe à lethalibus abſtinere.quamobrem illud Parentis Ignatij inſtitutum ſeuerè tenuit,ut non modò contra omnes, ſed cōtra unam aliquam propriè certam, deſtinatamque animi affectionem, aut uitium pugnam capeſſeret, ac ueluti cum uno hoſte in certamen uirtutis ſingulare deſcenderet,idemque non modò integram uirtutis unius rationem generatim amplecteretur, ſed illius officia ueluti membratim diuiſa ſuſciperet, atque in uno potiſſimum certis diebus ſe ueluti pugilem,athletamque prouidum exerceret. qua ratione incredibile dictu eſt quantos breui in uirtute progreſſus fecerit, quantumque ſe ſe in poteſtate habuerit ſemper, ſic ut de ſolido benè compoſitæ mentis ſtatu deijci poſſe nulla ratione uideretur. unde factum ut, cùm in eius uitæ rationem,moreſq; religioſi aliquot uiri cenſorio ſupercilio diligenter per aliquot annos inquirerent, eiuſdemque omnia facta, dictaue reuocarent ad trutinam, nunquam tamen, ne leuioris quidem errati inſimulare hominem quiuerint. Illud etiam ſummoperè cauit ne per otium aliquando torpeſceret,& uirtus inerti deſidia langueret:quamobrem aliquid ſemper moliebatur, nam aut legendo, aut ſcribendo operam dabat,

aut precationi ſtudebat,aut deniq; cum proximis agens ad illorum ſalutem, & commoda ſedulus incumbebat, nihilq; accidere homini optatius poterat,quàm rerum agendarum,ac negotiorum multitudine diſtineri. cui rei illud vſurpabat ſapienter,vt ignis non modò ob iniectas aquas, ſed etiam ob alimenti inopiam extinguitur, ſic non ab vnis modò criminibus,ſed ab operum etiam bonorum ceſſatione ardorem animi elangueſcere,& opprimi. Nullam igitur temporis iacturam faciebat vnquam, atque ea propter horologij vſum, quod horarum quadrantes ſignificaret,in Collegijs maximè commẽdabat, terna inde deſumi commoda dictitans, primum admoneri ſcilicet hominem elapſi temporis,nam(quod vnum iuris eſt noſtri) ſi quid per inertiam diffluit, caſtigatore illo vtimur: alterum ſubeundam extremi iudicij aleam indicari: poſtremum euehendi ſubinde ad cæleſtia animum monitorem opportunum dari. Denique in Societatis legibus,moribus,inſtitutis volutabatur aſſiduè,inde omnem vitæ ſanctimoniam hauriri dictitans,ac poſſe quemlibet de Societate facilè ad omnem virtutis rationem excoli,ſi ſe legibus ſuis obnoxium velit.nam quemadmodùm in præclariſſima Solis luce,indiuidua de facili ſpectari poſſunt, quæ in locis obſcuris fallunt oculos, ita ſi quis legum ſibi domeſticarum lumen admoueat, huic vel leuiſſimæ labes viſuntur,quæ negligentes cæteroquì,ac deſides facilè fugiunt.

Libri Secundi Finis.

BERNARDINI REALINI E SOCIETATE IESV SACERDOTIS VITÆ

LIBER TERTIVS.

CONTINENS Bernardini vitæ curriculum, eiuſque virtutes hactenus, quantùm arbitror, ſatis ſuperioribus libris enucleauimus. Reſtat nunc labor vltimus, rebus ſcilicet ſupra naturæ vires admirabiliter geſtis, præſenſionibus, viſis illuſtribus debitus, quem in hunc locum conſultò reiecimus, ne perpetuam rerum ſcriptionem huiuſmodi veluti emblemata interiecta diuiderent; quanquam ita ſunt omnes illius vitæ numeri, parteſque plenæ rerum admirabilium, vt quocunque oculos legendo vertas, in id genus aliquid ſemper incurras. Cæterùm neque hìc animus eſt perſequi omnia, quæ ſingulatim enumerare infiniti laboris eſſet, certumque eſt in rebus ſæpè ſimilibus, legentium faſtidio, & otio minimè abuti.

Ber-

Bernardini viſa quædam illuſtria.
Caput I.

IAm primum omnium conſtat, Bernardino viſa cæleſtia & plura,& minimè vulgaria contigiſſe,nam præter ea, quæ ſuperiore libro attulimus, ſcitum eſt hoc fauore cælitum frequenter animum ſenis imbutum; nos ea hic, quæ ab idoneis teſtibus explorata magis accepimus,pauca admodùm in medium afferemus. Igitur anno poſt partum Virginis MDXCVIII.dum noctu preces ad Deum funderet, obiecit ſe ſe illi Virgo Regina cælitum purpureo amictu,cęruleaque deſuper palla ſpectabilis,cæleſte pignus in vlnis geſtans,ac propior ſeni aſtãs Puerum Ieſum lectulo admouit,vt ſenex cæleſti ſpectaculo iucundiùs frueretur;mox illum ita placidè eſt allocuta, vt Bernardinus liquidiſſima cæli voluptate perfuſus, magnam inde vim lacrymarum effuderit. Quare cùm excubitor primo mane cubiculum ſenis eſſet ingreſſus, eundemque ſuauiſſimè flentem vidiſſet, ſciendi auidus vnde illi tam bellè res flueret,aut cur tam piè hilaris eſſet,interrogauit;tum ſenex adhuc lacrymis madidus, ò, ſi vidiſſes,inquit, ò ſi ſpectaculo interfuiſſes! tum ille, ecquod tu mihi ſpectaculum mane narras? quid iſtuc ſibi rei velit effare Pater, vt felicitatem iſtam tibi tuam gratulari ex animo poſſim. Ad hæc Bernardinus, narro tibi, inquit, Diuinam Parentem vidi, quam amictus purpureus, & cærulea cyclas obibat, ore ſupra quàm cuiquam credibile eſt ſpectabili,quæ mihi cæleſte pignus ſtringendum vlnis humaniſſimè dedit; tum excubitor, macte,inquit,cæleſtibus donis,Pater: idemque mox ad Rectorem adiens rem illi omnem aperuit. Iam quod ſubnectitur, nihilò fortaſsè minùs illuſtre haberi debet. Eſt moris noſtri cælitum litanias diebus ſingulis

ſimul

ſimul recitare, poſitiſque vnà genibus ſiue ad aram templi maximam, ſiue in ſacrario domeſtico ad ſuſpenſam Deiparæ imaginem, præeuntem prece Sacerdotem excipere. Ergò cùm aliquandò de more ſupplicaretur, Pater Petrus Antonius Spinellus, qui per eos dies Prouincialis fortè Lupijs agebat, animaduertit ſenem non è veteri inſtituto defixis humi luminibus, ſed coniectis in icona Virginis immobiliter oculis, inter precantes aſtare, vultu interim ob conceptum ardorem animi mirè ſuccenſo, lacrymiſque vbertim manantibus madido. igitur poſt abſolutas preces temperare ſibi Spinellus nequaquam potuit quin à Bernardino exquireret, ecquid interim illi inter litandum communibus precibus accidiſſet; ille ex nec opinato ſubita quæſtione perculſus, primò tergiuerſari tantiſper, donec ſubactus imperio, viſa mihi inter precandum in tabula Virgo Deipara eſt, inquit, adeò inſolenti lumine circunfuſa, vt mihi & cor, & oculos raperet; quamobrem tantæ maieſtatis aſpectu attonitus hæſi donec ſub exitu precum Virgo ſe tandem ex oculis repentè proripuit. igitur Prouincialis cùm alijs pluribus, tùm Lupienſium in primis Antiſtiti viſionem vulgauit, qui hanc ipſam B. Virginis imaginem ſpectatum adijt, & Patrum corona ſeptus, poſitis genibus eodem loci, iiſdēque ſupplicijs præſentem Diuæ opem implorauit. Mox verò à ſenis obitu, eius cubiculo in ædiculam verſo, eadem Deiparæ effigies beneficij monumentum, & teſtis appoſita ibidem eſt. Octauum iam ſupra ſeptuageſimum ætatis annum agebat cùm Patres, appetente iam Autumni frigore, cōſulere ſibi quiſque, & hiberna veſte noxiæ tempeſtati ire obuiam parauerant. Bernardinus, quanquam id ætatis homo, & affectis viribus valetudini obnoxius, tamen vt ſuam ipſius cum infantis Ieſu frigore nuditatem ſociaret, ſtatuit hoc hyemis nihil æſtiuis veſtibus addere, eamque ob rem fieri ſibi à Rectore ſu-

ſcepti conſilij poteſtatem petijt, qui ne abnuendo ſenem affligeret, paſſus eſt ſe exorari. Igitur natalitijs Chriſti Domini tenebris in ſacram ædem de more, vt aures confitentibus daret, egreſſus, tanto nocturni frigoris morſu corripi eſt cęptus, vt non modò pœnitentiæ ſubſellium, ſed confitentes ipſos ſuo ſenex horrore concuteret. Enimuerò tam ſæua ſenis ab gelu trementis ſpecies mouit nobilem fœminam, quæ ſtatim Rectore adito rogat vt pro imperio rigentem adigat tantiſper ad ignem accedere, qui tempeſtiuè monentem audiens, iubet illicò Bernardinum ſe domum recipere, vnàque adiutori mādat vt foculum cum viuo igne in cubiculum ſenis inferat. Cæterùm interea loci dum laicus ſatagit imperata exequi, Bernardinus receſſum cubiculi nactus cœpit animo diuina myſteria peruolutare; cùm ecce tibi hæc, & talia meditanti offert ſeſe viſendam oculis Virgo Deipara vndique cæleſti colluſtrata lumine, cui cum modulis ſuauiſſimis aderat præſtò Beatarum mentium ſatellitium, atque vbi propiùs ſenem aſtitit, è ſinu Virgineo in eius vlnas cæleſte pignus expoſuit tanto cum ſenis gaudio, vt iteratò dicere auditus ſit: Age, alterum exiguum moræ da Hera, adeòque caſtiſſimis Pueri amplexibus non modò mens, verùm etiam ſenile corpus incaluit, vt & omnem in præſens rigorem excuſſerit, nec vnquam reliqua hyeme poſtmodùm alſerit; quæ quidem omnia ex eodem Spinello, qui pluribus cum fide narrauit, poſtea reſcita ſunt. Nihilò minora his, quanquam non ita enucleatè, viſa cæleſtia Bernardinus cum nonnullis familiariter agens retulit. Habebat per verni ieiunij dies conciones ſacras ad frequentem populum è noſtratibus quidam, cui Metello Caracciolo nomen, qui curioſè pius intempeſta nocte non rarò ad ſenis cubiculum ferebat ſe ſe, per cauſam quidem vt illum nunquid opus eſſet, interrogaret, reuera vt quid hoc tempore

age-

ageret, oculatus teſtis inſpiceret; at ſemper illum coronarios Deiparæ globulos percurrentem inueniebat. cæterùm cùm negaret interim Bernardinus ſe vlla re indigere, ſtatim de laudibus Virginis ſermonem inſtituebat. Igitur cùm Dei Matrem tam ſtudioſè commendaret, quæſiuit ab eo Metellus nunquid aliquandò Deiparam oculis vidiſſet: tùm ſenex ingenuè, vt inter amicos ſolet, ſibi quidem Beatiſſimam Virginem olim in veteri cubiculo per horæ quadrantem viſam teſtatus eſt. Nec diſſimili candore animi laico cuidam è domeſticis adiutoribus non obſcurè idem Bernardinus aperuit. ardebat hic cupidine mira cognoſcendi ex ipſo ſene an, quod in omnium ore verſabatur, viſam ſæpiùs Bernardino Deiparam verum eſſet. eam ob rem cum eo de ſingulari erga Virginem ſtudio ſermonem ſerens, inter dicendum illam demum integerrimæ matris impenſiùs colendæ rationem videri ſibi commodiorem ſignificauit, ſi quãta oris ipſius ſpecies, quæ forma oculorum cæleſtium eſſet, poſſet quis aut oculis, aut animo cernere; etenim cùm ea, quæ pulcherrima vidimus, efflictim diligamus, fieri minimè poſſe, vt viſa quis ſemel Cælitum Virgine, non continuò in eam admirabili quodam amoris ſtudio incaleſceret. cæterùm neſcire ſe addidit an fas homini ſit inter mortales agenti, hæc, aut talia ſaltem in ſomnis aſpicere. Ad hæc Bernardinus, enimuerò non immeritò, inquit, fili, ſpeciem Virginis tu mihi commendas, nam cùm ego illam aliquando conſpexerim, hoc dicere pro certo habeo, tantam eſſe, vt cum illa mortalis vllius formæ dignitas componi nullis partibus poſſit, ac ſtatim ita deſcribere paulatim Virginem cœpit, ac ſi præſentem tum ipſam oculis intueretur. quare laicus familiari ſenis alloquio in rem ſuam vſus, vigilans ne, inquit, an inter ſomnia tantam ſpeciem es contemplatus? tum ſenex, enimuerò nihilò tunc ego minus eram vigil, atq;

in præſenti cùm te alloquor; mirantique quì fieret vt vſq; eò tantæ pulchritudinis forma tam firmiter adhuc hæreret animo, reſpondit, non ſibi ſemel, ſed ſæpiùs viſam. Quod idem aliàs Spinello Prouinciali Bernardinus confirmauit. Erat fortè hic anno labentis ſæculi decimoquinto in cubiculo ſenis, & cum eo de rebus cæleſtibus agens, in Deiparæ laudes ſenſim dilapſus eſt. hìc ſenex datum ſibi cælitus dixit vt in extrema ſenecta illam præſentem animo aſſiduè cerneret: inceſſit tum Prouinciali cupiditas interrogandi hominis, an etiam oculis Virginem conſpicaretur. igitur iuſſis abire omnibus, ſemotis arbitris idipſum eſt percontatus, cui Bernardinus in hæc tantùm verba reſpondit, non ſe illam quidem ſemper, ſed propemodùm ſemper aſpicere, quod Spinellus, vnde hæc emanarunt, alijs poſteà narrauit. Demum ante biennium ferè quàm è viuis excederet, cùm totus illi in contemplatione patibulati Numinis hæreret animus, ſtatim oculis etiam videre datum ſuffixi in crucem Chriſti Domini immane ſpectaculum, ſpectabatque ſæuos lictores in Caluariæ iugo acerbiſſimæ neci intentos nudare artus, cædere, clauis figere ſpectantibus Iudæis, ac per ſummam ignominiam contumelijs pluribus, ac probris innoxium, atque immerentem inceſſere; ipſe interim ingenti mœrore afflictus abire totus in lacrymas. Ecce autem veluti diſcedente ſcæna, longè alia ſe rerum facies illi exhibet, nempè rediuiuus ex inferis humanæ ſalutis aſſertor, ac vindex Ieſus inter innumerabiles cæleſtis militiæ choros magno lumine circunfuſus apparuit, qui non modò mœrorem abſterſit, & lacrymas, ſed ingenti etiam lætitia animum cumulauit; quare cum abijſſet ex oculis viſio, ſenex recentibus gaudijs adhuc perfuſus hæc ad numeros cecinit:

Me miſerum, in lacrymas totus conuertor amaras,
Dum video Chriſti tradita membra Cruci.

Me

Me quoque felicem, Chriſti dum gaudia cerno
Angelicos inter glorificata choros.
Quorum, cum adiutor domeſticus, qui Latinè neſciebat, ſenſum interrogaſſet, rem illi omnem ordine narrauit. Hoc verò vbi domi vulgatum eſt, ab ipſo ſene complura carminum exempla excribenda plurimi curauere, illud obtēdentes, velle apud ſe Chriſti cruciatuum iuxtà, & Anaſtaſeos pium illud monumentum extare, ac dum ſenex gratificaturus omnibus operi vacat, interim aliqui, num ſibi lictorum ſæuities ſupramodum immanis viſa eſſet, diſſimulanter, vt rem ex ipſo cognoſcerent, interrogabant, quibus ille immaniorem profectò quàm cuiquam credibile ſit, eſſe viſam minimè inficiabatur.

Multis inſolenti lumine circunfuſus aſpicitur. Caput II.

EX hac porrò tam crebra mentis illuſtratione non nihil interdum lucis in corpus eſt deriuatum, quod animaduerſum à multis, iiſque non rarò, qui Rectores domi cum imperio præerant; hi enim inter precandum radijs fulgentibus vndique colluſtratum Bernardinum inuenere. Hoc idem domeſticus adiutor, cui Vincentio Hillario vocabulum, teſtatus eſt, viſum ſibi ſcilicet ſemel, cùm ſolus preces in conclaui funderet, iterum cùm litanijs intereſſet, inſolito ſplendore circunfuſum. Antonio item Beatillo tunc ipſum Lupias tenenti ſenex lumine irradiari viſus, adeò vt cum amplecterentur inter ſe (vt noui hoſpites ſolent) in eius os figere oculos perſtrictus radiorum inſolentia non poſſet. Nobili fœminæ, cui Petronilla nomen, è Piſacana familia, antè biennio quàm Bernardinus oppeteret, quo tempore propter oculorum caliginem aris ſenex abſtinebatur,

tur,adeò illius vultus nouæ lucis acceſſione mactus apparuit, vt qui proximè illum ambiebat aër, longè plus templo cætero illuſtraretur. Quædam,cui nomen Sybilla, ex ore ſenis inter ſacrificandum radios exiſtere compluries vidit,addiditque tunc ſibi maximò lucem increbreſcere viſam, cùm ille bis tacita precatione ſemel viuentium ante ſolennia conſecrationis verba, iterum extinctorum poſt elatam ſupra caput ſacrificantis cæleſtem hoſtiam, commeminiſſet, ac ſubuerita aliquando ne ſibi oculi,aut locus vnde ſpectabat,imponerent,periclitari voluit an in alijs ſacrificantibus indidem ſpectans, hoc idem animaduerteret, nec vnquam tamen tale aliquid in reliquis deprehendit. Ioannes quidam Antonius cognomento Niger,domeſticus adiutor,dum ſeni ſacris operanti præſtò eſſet, tantum ex eius ore emicare luminis vidit, vt cùm Sol omnis abeſſet, Solis tamen radio colluſtrari ſibi ara videretur; quod idem nec ſemel alios aduertit,vel cùm Bernardinus in æde ſacra publicè oraret, vel cùm in ſodalitio Virginis in priuato funderet preces, ſic vt multi rei nouitate attoniti, ſe ſeque tacitis obtutibus aſpectantes mutuò,ſenem, Angelum dicerēt. Sed nihil in hac re illuſtrius,quàm quod Iacobus Brancacius Sacerdos è Societate, & iuratus iampridem publicis tabulis pro teſtimonio dixit, & mihi cùm aliàs, tùm nuperrimè, vt rem hiſtoriæ huius monumentis ex ipſius ore hauſtam ſyncerè proderem, amicè narrauit. Agebat hic Lupijs anno ſalutis redditæ MDCV. cùm fortè die quadam ad ſacram ædem plus ſemel ſe contulit, vt, quoniam per eos dies ſolennia Euchariſtica agebantur, expoſitum de more in argenteo circulo ſacrum Chriſti corpus religiosè veneraretur: cùm verò eò loci nunquam non Bernardinum ſuppliciter aſtantem in genua, orantemque magno cum animi ſenſu inueniſſet, demiratus enimuerò eſt conſtantem ſenis pietatem, qui ſe-

ſeptuagenario maior affectis viribus tam aſſidua prece nunquam tamen laſſeſceret. Mox à prandio cùm hæreret ibidem Realinus, pulſu campani æris audito, quo ad domeſticam parænesim omnes euocabantur, aſſurgit vt concioni cum reliquis intereſſet, ac fortè inter eundum per Brancatij cubiculum tranſijt, qui cùm veteri in ſenem obſeruantia, tùm recenti in primis pietate actus, cœpit hominem religioſiùs colere. quare cùm præeuntem ponè ſequeretur, ſubijt animum cogitatio ſcalarum gradum illum ipſum, in quo ſenex pedem ſtatuerat, deoſculari: quo facto cùm aſſurgeret, viuidos è ſenis corpore emicare igniculos vidit, ac primò quidem ſibi timens exhorruit, pedemque retrò egit: at mox ſubueritus ne motus ipſe inclinati, eleuatique corporis oculis impoſuerit, eoſdem manu perfricat, ac ſemel, iterum, tertiò conuertit aciem aliò, neque aliquid tale vſpiam animaduertens, iterum ad ſenem reuocat, iterumque igniculos eiaculari vndique deprehendit; quibus ille argumentis diuinum aliquod oſtentum eſſe nec immeritò credidit, nempè Numine ipſo conceptum inter precandum ſenis ardorem teſtante. Cui rei illud acceſſit, tàm enim Brancacius diù ſcintillas vidit exiſtere, quàm ſenex diù ſolus præ ipſo ambularet, qui tam aſſiduè orantem vidiſſet. eędem, vbi ſe reliquæ concioni Bernardinus immiſcuit, ſtatim euanuere.

Abdita quædam, & occulta diuinitùs aperit Bernardinus. Caput III.

SEd in maximis cœli donis nullum fortaſſe cenſeri luculentius debet, quàm diuinus quidam mentis afflatus, & præſenſio animi certa; qua longè poſt futura prædixit vel occulta, & ab omnium conſpectu remota ſine vllo errore monſtrauit. Quæ quidem in Bernardino tam crebra, teſtataque fuere ſemper, vt vatis, ac diuini laudem, nomenque nemo illi vnus, qui modò hominem noſſet, malignè ſit inficiatus. Horum adeò, quoniam longè plurima in teſtimonium rei exempla ſuppetunt; ne multitudo operam turbet, ſub ſingulis quæque capitibus per ſpecies tributa ſeparatim tractare argumenta pretium operæ duxi. Ergò vt hinc potiſſimùm ordiar, multa ille quidem intus abdita, & latentia penitùs non cognouit modò, ſed palàm in lucem aſſeruit. Oppidum eſt in Salentinis nouem millibus paſſuum ab Lupijs diſtans, quod Diuæ Mariæ Nouolenſis vocabulum habet. huc ſe aliquandò ſenex vt Palmerigenſium Comitem toparcham inuiſeret, fortè fortuna contulerat, à quo humaniſſimè exceptus, poſt conſueta verborum officia, illum de Nouolenſium infortunio querentem audijt; enimuerò oppidani magna ſalubris aquæ penuria laborabant, nam tametſi abundè ſatis puteorum eſſet, humor tamen deterrimus minimè vtilis bibendo erat, eamque ob rem aquari procul indigenæ cogebantur. ergò illorum vicem miſeratus ſenex, vnà cum hero deſcendit in atrium, vbi vitioſæ aquæ defoſſos puteos plures inuenit, contemplatuſque rem præſentem, in arenæ medio ſignauit locum arundine, eumque effodi iuſſit, fore enim vt inibi ſalutarem venam certiſſimè inuenirent. Igitur herus ſtatim putearijs accitis imperata exe-

qui-

quitur: nec rem feſellit euentus, etenim inter tot inſalubres venas fons tamen vnus inuentus eſt emicantis aquæ, qua nihil vel ad bibendum vtilius, vel vberius ad reliquos vſus optari poſſet. Adoleſcens nobilis, vt virginem, cuius amore miſerè deperibat inuiſeret, inſolenti veſtitu tectus vt inobſeruatus lateret, ad aſceterium ſe contulit, virginemque allocutus ſe illi aperit, atque in vxorem depoſcit. equidem de facili res conuenire inter illos, vt inter pares poterat; ſed puella tempore ſibi ad deliberandum opus eſſe, & conſulere ſe probos viros velle reſpondit, ſtatimque ea ſuper re Bernardinum interrogat. ille, quanquam is erat, qui neminem rei cuiuſpiam vnquam inſimularet, tamen apertè reſpondit caueret dolos aſoti iuuenis, & inceſti, non illum nuptias, ſed ſtuprum, & nequitiam coquere. Senis monitum firmauit euentus. adeſt idem mox adoleſcens nocturnus prædo veriùs quàm amator, & factitias ex oloſerico ſcalas ſacris parietibus admouet, ſed tantùm quòd in illas induerat pedem, cùm inuerſæ neſcio quo caſu, ſaxum ingens traxere ſecum, quod tantùm non præſens exitium adoleſcenti intulit; cæterùm ſicut illi ſaniorem mentem indidit, ita ſenis ſapientiſſimi dictum probauit. Quidam Lupias contenderat vt Bernardinum inuiſeret, factuſque voti compos, inter alloquendum multa admirantis animi ſigna edidit, mox verò ab ſene digreſſus, cauſamque admirationis rogatus, certè quidem, inquit, id hominis aliquid ſupra homines eſt, qui mentis arcanum meæ, nulli niſi ſi vni Deo anteà cognitum, ediſſeruit mihi. Neriti coniuges quidam iam multos annos veneficio, & cantionibus obſtricti geniali toro abſtinebantur: hoc adeò clàm omnes habuerant; verùm Bernardini fama exciti certum hominem ad illum, qui huic malo præſens aliquod amuletum poſtulet, legare deliberant. quare Octauium quendam cognomento Nuc-

cium nobilem virum ad id muneris eligunt. hic verò, negotio ſuſcepto, Lupias ad ſenem nullo ſibi anteà vſu cognitum adit, at ille vt primùm cubiculi limen intrantem vidit, venientem occupat, eidemque ſuſcepti itineris cauſam aperit primùm, deinde quid facto ſit opus edocet, Diuę ſcilicet Irenes adhiberi malo goſſipium imperat, certum inde veneficij remedium fore pollicitus. Lupijs mulier poſt vterum complurium mēſium, ſemel, atq; iterùm abortum paſſa, ferre partum ſe iam tertiùm credebat, neque obſtetrix ſentiebat aliter. quare periculis ſuis edocta, ne quid ſibi, aut featuræ crearet mali, ſeſſitando totos dies hærebat immobilis, Bernardini precibus ſe interim commendans. Iamque lunam octauam inierat, & ſe prætumido ventre propediem parituram exiſtimabat, at Bernardinus, quanquam fœminam nunquam inuiſerat, tamen illius filiam aduocans, nuncia, inquit, parenti tuæ, non illam in præſenti grauidam eſſe, poſſe proinde omni metu vacuam rebus domeſticis, vt anteà nauare operam. quod vbi illa ad matrem retulit, & nouum ſanè accidit, & creſcente in dies vtero vix inueniebat fidem. cæterùm cùm per duos alios menſes adhuc illi venter intumuiſſet, tandem in exitu decimi omnis intentæ tumor alui, nullo dolore, nulloque adhibito pharmaco repentè reſedit ipſe. Soræ Duces diù nuptias innuptas experti, vulgo veneficijs irretiti habebantur; at Bernardinus nullius id quidem magicæ artis, ſed in altero coniugum naturæ impedimentum eſſe ſæpiùs ad quendam ſcripſit, quod rei exitus comprobauit. Summis cruciatibus edendo fœtu Anna Adorna nobilis fœmina conflictabatur, iamque biduum fruſtrà laborauerat. Bernardinus emortuum intus partum, cæterum periculi expertem mox redditurain confirmauit, neque aliter euenit. Porrò idem plurimis antequàm eniterentur, ſexum futuræ prolis edixit. Lucretiæ Saracenæ fœminam,

Cæci-

Cæciliæ Sanctoriæ, Camillæ Marullæ, Petronillæ Recuperæ, alijſque longè pluribus daturas infantem maſculum ante nunciauit; nec euentus præſenſionem fefellit. Veſicæ doloribus miſerè laborabat iuriſconſultus egregius, & loco nobili natus Ioannes Iacobus Mettola, quod vitium medici calculo tribuebant. hoc verò æger cùm audiſſet, conclamatum vitæ ſuæ credidit, imparem ſe exciſorij ſcalpri doloribus ratus. igitur ad Bernardinum è lectulo ſcribens, eius ſe precibus commendatum voluit; at ſenex macte animo ægrotum eſſe iubens, negauit illum calculo laborare, breui conualiturum pollicitus. nec ſenis verba fruſtrà habuit euentus.

Multa diſtantia procul enunciat.
Caput IV.

IAm, quæ longè gentium remota, nihilò minori vaticinandi ſpiritu edidit. Agebat Venetijs adoleſcens quidam nobilis Lupienſi domo è Condoa familia, grauique morbo implicitus, in eo erat vt inibi animam emitteret, quod domeſtici Lupias ad propinquos ſcripſere. lectis itaque domi literis, quidam iam vixiſſe ratus Bernardinum rogauit vt pro extincti manibus ſacrum parentale perageret, at ſenex lenè ſubridens facturum ſe quidem tunc ipſum reſpondit, cæterùm adoleſcenti iam benè eſſe. ille dictum longè ſecus accipiens credidit præclarè vtique cum illo agi, quippe inter cæleſtes adſcito; ſed Bernardinus re diuina ritè peracta rem enucleatiùs explicans, non obijſſe adoleſcentem, ſed optimè conualuiſſe pronunciat. quo ille nuncio lætus domeſticos propinqui funere mœrentes certiores reddit, qui ſenis effato tantiſper erecti, literas auidè opperiebantur: hæ verò vbi ſunt redditæ, Bernardini reſponſum proba-

uere, etenim æger cùm extinguendus mox videretur, nec opinatò cœpit habere ſe melius,ac mox integræ valetudini eſt redditus,quod eſt ex literis cognitum. Venturum ſe propediem Lupias nouus quidam Rector ſcripſerat,& verò etiam equos conduxerat.hoc adeò Antonius Beatillus, qui tum Lupijs Collegij Adminiſter curabat,ferebat ægrè, quòd negotij ſui cauſa Neapoli noui Rectoris opera ſummopere indigens, intempeſtiuo diſceſſu turbari omnia videbat. igitur ſenem conſulens id ab eo reſpōſum tulit, bono animo eſſet, Rectorem enim, quanquam iter inſtruxerat, nouis quibuſdam impedimentis retentum adhuc Neapoli agere: ſcriberet proinde quæ vellet, ac pro certo haberet tempori redditum iri literas. Senis dicta exitus probauit omnia. Scripſit quæ in animo habuit Beatillus, literæque Rectori adhuc Neapoli agenti tempeſtiuè ſunt redditæ, quibus lectis Adminiſtri negotium Rector ſtrenuè, feliciterque confecit. Oppidum eſt apud Calabros, cui à Diua Chriſtina nomen. in eo Philippus Spinellus Cardinalis grauiter ægrotabat, exceperatque morbum ſuppuratio, nanque in genu dextero tumor abſceſſerat, ac bimenſem chirurgi ſcalpellum paſſus, nihilò melior aut exitium ſibi, aut certè debilitatem timebat. quare tentatis nequicquam omnibus, tandem ad Bernardinum tanquam ad ſacram anchoram perfugium habuit. ad eum itaque vnà cum Petro Antonio germano fratre è Societate ſcribit, illius preces, quibus apud Deum valebat plurimùm, enixè poſtulans. ſenex acceptis literis in hunc modum reſcripſit: Puer, qui natalitijs hiſce ferijs natus eſt, te, vt ſpero, ſanitati reſtituet. nec ſecus accidit. poſtridie natalis Chriſti diei Spinellus conualuit. Didacum Pareſciam hominem Hiſpanum Prorex Neapolitanus Philippo Hiſpaniarum Regi in Conſiliarium nominauerat. quamobrem Lucretia Petrarola Didaci vxor, viri

hono-

honore ſolicita, datis ad ſenem literis, etiam atque etiam rogauit vti rei exitum apud Deum enixè precibus commendaret. Bernardinus poſt fuſas preces mulieri cuidã, quæ Petrarolam propinquitate ſanguinis contingebat Lupijs agenti, Pareſciam in Hiſpania Conſiliarium à Rege iam eſſe dictum apertè ſignificauit. quæ ſtatim Lucretiæ quidquid à ſene acceperat, Neapolim ordine, diligenterque perſcribit; contrà illa nihil adhuc tale ex Hiſpania compertum ſe habere reſpondit. cæterùm poſt, tribus elapſis menſibus, allatis demùm ex aula literis, Pareſcia collatis temporum articulis, tunc ipſum ſe Conſiliarium renunciatum comperit, cùm Lycij propinquam vxoris ſuæ de rei ſucceſſu Bernardinus admonuit. Pro Quæſtore Regio Lupijs Romanum Lubranum Prorex Neapolitanus eſſe iuſſerat; hanc verò ille prouinciam ſibi ſummoperè deprecatus recuſauerat diù, ſed ſubactus imperio, ſubire neceſſe habuit; quare cùm Lupias Februario menſe tenuiſſet, Bernardinum adijt, à quo eſt humaniſſimè exceptus. Verùm inter loquendum lætari ſe inquit ſenex talem virum facie noſſe; cæterùm per ſibi moleſtum eſſe, hominem ea prouincia, vnde illi ſolicitudines graues exiſterent, implicatum videre. Quæſtor regreſſus domum vix ſanus quatriduum egit, cùm ob ſuſceptam initi magiſtratus ægritudinem atræ bilis intemperie afflictus quieſcere nulla ratione poterat. Senem itaque iterùm conuenit, abijcit ſe ad pedes, leuamentum ſibi aliquod à Deo precibus vt impetret enixè rogat; tum Pater iure quidem, ac meritò ipſum angi, cæterùm bono animo eſſet, breui enim futurum vt prouinciam alteri traderet: at Quæſtor negare id in præſenti fieri poſſe, quòd Prorex detrectanti ſibi onus, idoneum habere ſe neminem dixerat præter ipſum vnum, cui Lupienſem quæſturam committeret. immò verò habet, Bernardinus excepit, ſtatimque vt de ægri-

tudine

tudine tua audiet, ſucceſſorem vnum aliquem ex ærarij Regij rationarijs dabit. Dein monet vt Proregem de re tota certiorem faciat, rem ſucceſſu non carituram. patuit itaque Lubranus, ſtatimque lectis Neapoli literis Syluester quidam cognomento Realis, rationibus Fiſci præfectus, ſubrogatus Lubrano eſt; at Bernardinus nondum Lupias vllo rei rumore allato Lubranum alloquens ſucceſſum illi iam à Rationario nunciat, eundemque ſe proxima hebdomada viæ daturum prædicit. Verbum ſenis nullum excidit; omnia illi, vt prædixerat, euenere. Iam hic ipſe Lubrani ſucceſſor Syluester nihilò ſolutiorem prouinciam nactus, iiſdem ferè anxius curis Bernardinum alloquens, habere ſe maximoperè in votis dixit Neapolim reuehi, cui ſtatim ſenex, eſt igitur vnde gaudeas, nunc enim ipſum illò euocaris, neque res falſum habuit, literæ enim, quæ hominem iubebant Neapolim, iam erant in via. Hilaria quædam nobilis fœmina domo Vigilienſis, Lupijs in domo Præſidis morabatur. Huius verò germanus frater in Gallia Ciſalpina tacitus agitabat, ſic vt quid illo factum, aut quàm ſe bellè haberet, neſciret iam diù ſoror. hæc itaque de fratris incolumitate ſolicita, die quodam puerum mittit, qui nomine ſuo ſeni nunciet angi ſe plus nimio deſiderio fratris, adeò vt ipſius apud Deum precibus quàm ſummoperè indigeat. ad ea Bernardinus fœminam ab hoc metu ſecuram agere iubet, fratrem ſoſpitem viuere, ac mox eius literas ipſi redditum iri prædicit, neque abfuit dictis fides; eadem prorſus hebdomada fratris literas illi tabellarius reddidit, vnde ſaluum, ac ſoſpitem fratrem ſuum læta cognouit. Morbo vſque adeò graui afflictus Neapoli Franciſcus Antonius Calous Lupienſis iacebat, vt ſacro oleo delibutus ſupremam animam ageret; huius verò rei nunciæ literæ Lupias delatæ effecere vt frater illum pro extincto crederet. cæterùm ne matrem repentino

tino nuncio affligeret, cœpit eleuare morbum, atque ęgritudinem diſſimulare, filium ſcilicet febri, quanquam non leui correptum Neapoli in lecto eſſe; cupiebat enim domeſticum infortunium, veluti diuiſum in partes, diſſimulanter matri porrigere, atque ita ad audiendam filij ſupremam calamitatem eius animum præparare. igitur cùm hoc iam ſibi perſuaſum haberet fœmina, ipſum illum ægroti germanum fratrem ad ſenem mittit rogatum preces pro filio. verùm is totius ſcilicet rei cõſcius, Bernardino extinctum iam Neapoli fratrem nunciat, ac preces poſtulat. ad ea nihil ſenex. cæterùm recitari ſibi literas iuſſit, quibus lectis, abi, inquit, & iube parentem tuam bono animo eſſe, longè enim nunc melius filio eſt Neapoli, ac procul dubio cõualeſcet. illud etiam, aut horre me, imperet filio, vt quando illi Neapolitanum cęlum parum ſalubre eſt, redeat ocyus domum. enimuerò dici vix poteſt quantum illi ſenis verba admirationis attulerint, tamen ad matrem reuerſus omnia cum fide explicat. ergò illam non mediocriter ſolicitam cura habebat opperientem quid proximæ Neapoli afferrent literæ; quibus demùm allatis, filium, cùm penè ſupremam animam ageret, repentè melius habere cœpiſſe, atque in præſenti totius expertem periculi agere intellexit. Iam illud quanquam & loco, & præſenſione non diſpar, euentu tamen diſſimile accidit. Neapoli è noſtratibus quidam Ioannes Andreas cognomento Maſſa graui morbo conflictabatur. Id vbi germano fratri, & ipſi de Societate, qui tum Lupijs agitabat, cognitum eſt, ſtatim ad ſenem fratris valetudinem commendatum ijt; hic verò cum rem diuinam pro ægroto feciſſet, renunciat fratri Ioannem Andream iam cælo maturum à Deo acciri; quare proximis literis reſcitum eſt, tunc illum Neapoli è vita migraſſe, cùm idipſum fratri Bernardinus Lupijs ſignificauit. Nobilis quidam Hiſpanus, Caſtrij, ac Lemē-

ſium

ſium Comitis apud Hydruntinos ditionis præfectus, rerum Domini ſtrenuè ſatagebat; hunc tamen æmuli quidam apud herum malignè traduxerant, quamobrem ille notæ ſibi non ex merito inuſtæ impatiens vltionem parabat; ac fortè fuit vt ſe Lupias aliquandò conferret, ſenique id, quod animo coquebat expromeret. Tum Bernardinus amicè ſubridens ponere metum iuſſit, herum quæſiſſe omnia diligenter, quæ conficta in ipſum ab aduerſarijs fuiſſent, ac falsà manifeſtò deprehendiſſe. profectò neque hominem ſenex, neque res ipſa ſenem fruſtrà habuit. hæc omnia ita ordine geſta eſſe haud ita multò poſt nunciatum Hiſpano Neapoli eſt. Barij Emmanuel Acunia Luſitanus, genere nobili, morbum ex affecto crure contraxerat. is cùm die quodam omnes ſe ſe domo famuli eieciſſent, ac ſolus domi ageret apud ſe, à fure in lectulo eſt aggreſſus, qui vt domum expilaret, præripere miſero communem lucem ante conſtituit, iamque ſecurim ſtrinxerat, cùm ille vicinæ mortis horrore perculſus, ades, inquit, ac pro Realini meritis præſentem opem Deus Optime Maxime tempori affer, quibus verbis prædo, veluti ictu fulmineo percitus, retulit retrò pedem, fugamque repentè corripuit. Hoc adeò Acunia clàm apud ſe habuit, at Bernardinus, quanquam aberat tridui, perneceſſarium Acuniæ, qui per eos dies Lupijs agebat, alloquens, atquì, inquit, familiaris tuus Emmanuel in magno vitæ diſcrimine verſatus eſt Barij, illum enim domi ſuæ agentem fur ſecuri conficere aggreſſus eſt, cæterùm præſenti Numinis ope perfunctus periculo euaſit incolumis. Hippolyta Citarella ob filij militiam anxia Neapoli ſenem per literas rogatum voluit ecquid bellè valeret filius; at Bernardinus illum quidem in præſens apud Inſubres morbo implicitum, ſed leui, cæterùm propediem benè valentem futurum, ſoſpitemque demum rediturum Neapolim reſpondit,

nec

nec ſecus aut tunc ſe res habuit, aut euenit poſteà. Neapoli ità clàm ſuis nupſerat Anna Pignatella Vibonẽſium Ducis filia, vt id etiam parentem fefellerit: at latere hoc ſeni noſtro non potuit, qui apertè hoc patri cuidam è noſtris ſignificauit. Victoria de Capua Dux Biſaccenſiũ imminentem ſibi partum ſeni per literas commendauerat; ille contrà in reſcribendo maſculam prolem iam editam fœminæ gratulatus, addidit puerum de eorum numero eſſe, quorum nomina ſunt in libro vitæ. neque abfuit dicto fides, etenim non vulgaria in tenera ætatula Chriſtianæ indolis argumenta præ ſe tulit, nam vt vacaret precibus in loca ſola frequens ſecedebat à publico, ac ſingulari ſtudio erga Deiparam efferebatur, cui horarias preces recitabat aſſiduè. iam ludis, quorum illa ętas maximè appetens, abſtinebat, religioſas pro illis, ac pias quaſdam ſectatus illecebras excitandis, concinnandiſq; aris puerilibus; pudicitiæ verò cuſtos tam oculatus, vt partem ſibi nullam corporis nudari coram alijs vnquam ſit paſſus. demum cùm vitæ duodecimum annum ageret Chriſtianis myſterijs omnibus ritè expiatus placidiſſimè expirauit. Redditæ ſunt Bario literæ ſeni aliquandò, quæ ægroti neſcio cuius ſalutem commendabant. has cùm legeret, abire tabellarium iuſſit, nihil huiuſmodi precibus extincto iam opus eſſe, ſubductiſque temporum rationibus, haud ita multis ante horis expiraſſe ægrum compertum eſt. quod idem in multorum obitu præſtitit, etenim longè diſtantia nonnullorum funera tunc euulgauit, cùm ea ob interualla locorum reſciri nulla ratione poterant. Iam hanc ſibi notionem diuinitùs inditam nec ipſe quidem aliquandò iuit inficias. Mulier inter enitendum ad Bernardinum nuncium miſerat, qui ſibi opem expoſceret, at ille ſtatim, exorato precibus Numine, dum miſſum hominem facit, heram enixam iam marem pronunciat. aderat tum fortè Sacerdos

quidam è noſtris, remque tam liquidò ſeni aſſertam miratus, vnde verò id noſſet interrogat; cui Bernardinus ingenuè, Deus, inquit, ipſe mihi inter orandum aperuit. Religioſi è Franciſcana familia duo ex Iapygia Venetias ſoluerant; verùm in mari Supero piratæ onerariam cœpere, quod vbi Lupijs fama vulgauit, pia ciuitas ſtatim corrogata ſtipe redimendis pretio captiuis certos homines deſtinauit. cæterùm hi, antequam ſe darent in viam, ſenem adeunt vt iter illis fauſtè, feliciterque ſuccederet; tum Bernardinus ſtudium commendans, nihil verò tãto labore opus eſſe reſpondit, nam & religioſi, & nautæ pariter in cymbula prædonum manus integri, ac ſoſpites euaſerant. neque ſe rem habuiſſe aliter, haud ita multò poſt cognitum eſt. Maria Medicea fœmina nobilis Fabio Capycio Galeotæ nupta Neapoli grauiter ægrotabat; hanc itaque germano fratri de Societate tum Lupijs commoranti Fabius etiam atque etiam commendauerat, ſenem vt adiret, atque enixè preces expoſceret. leuir factus certior, fratriæ morbum Bernardino, & periculum indicat, at ſenex eùm rem diuinam feciſſet, fratriam ex morbo iam conualuiſſe renunciat, nec vates falſus eſt habitus, quod nunciata breui ſalus edocuit. Periculoſè admodùm in edendo fœtu Ioannis Thomæ Sanctamariæ Forenſium quæſtionum triumuiri vxor laborabat. maritus vt coniugi ſuppetias, quas poſſet aliquas ferret, noctu ſenem adijt; hic verò ſtatim in pias preces effuſus, Numini pro fœminæ puerperio ſupplicat, mox cùm litaſſet, virum alloquens, abi, inquit, iam tibi vxor puerum eſt enixa. igitur ille domum reuerſus ſe filiolo auctum reperit, nec tam luculentam vaticinationem Sanctamaria celebrare poſtmodùm vnquam deſtitit. Filiam ſuam Iulia Caputa Franciſco Viuo Iuriſconſulto matrimonio iungere cogitabat; huius verò rei Bernardinum per literas certiorem Neapoli faciens,

eius apud Deum preces efflagitauit; at ſenex in reſcribendo certas iam filiæ nuptias fœminæ eſt gratulatus, neque id niſi cælitùs reſciſſe potuit, ſiquidem ante triduum quàm id ſcriberet, Neapoli inter partes nuptiarum pacta conuenerant.

Futuræ ſanitatis oracula. *Caput V.*

HÆc Bernardinus, vel abdita penitùs, vel longè gentium abiuncta, nec humana ope cognita enunciauit. Cæterùm longè plura futuri arcana temporis certiſſima diuinæ mentis præſenſione prædixit. Tribus ab Lycio paſſuum millibus oppidum eſt, cui à Sancto Cæſareo nomen, vbi Ioannes Baptiſta Guarinus Toparcha imperitabat. huius verò vxor Franciſca cognomento Sementia, febri vehementiore correpta, grauiter laborabat. ergò hæc pro veteri neceſſitudine Bernardinum rogatum compluries miſit, meminiſſet æſtuãtis, ac pium aliquod munuſculum futurum ſibi oppidò maximè gratum ad ſe ſe mitteret. ſenex nihil moratus, ſtatim ſe dedit in preces, cùmque conceptis, ac ſolennibus Eccleſiæ verbis luſtralis aquæ vaſculum conſecraſſet, miſit qui nomine ſuo ægram bono animo iuberet eſſe, ac ſanitatem certò ſequuturam polliceretur. mulier accepto nuncio nonnihil eſt recreata. cæterùm ingraueſcere in dies morbus, neque cibi guſtare quidquam, niſi intinctum in luſtralem ſenis aquam fruſtillum panis. iamque mors appetebat, cùm illa, deſperata corporis valetudine, Sacerdotem vnum aliquem de Societate, qui ſibi ſupremis ritè myſterijs animum procuraret, accerſitum miſit. eò igitur Pater Annibal Vitalis accurrit: verùm hic, antequam ſe daret in viam, ſenem adit, conſi-

liumque profectionis ſuæ explicat. ille collaudato Chriſtianæ pietatis officio, Patrem dimittens nunciari verbis ſuis iterum iubet ſoſpitem euaſuram, proinde ſecura à metu ageret. Annibal cum mandatis proficiſcitur, ſolatur ægram, confitentem de peccatis excipit, & vim morbi lethalem ſentiens, ſacro viatico abeuntem communit. quibus peractis domum reuertitur, & conclamatam fœminæ ſanitatem Bernardino renunciat, at ſenex, immò verò alia omnia, inquit, filia mea certè conualeſcet, tu verò, ſi ægram reuiſes, ponere metum iube. poſtridie redit iterum Annibal vt morituram ſacro oleo inungeret, & laboranti ſupremam opem afferret. adeſt itaque, & Bernardini mandata exequitur, affatur, incolumitatem certiſſimam eius verbis enunciat. ad ea domeſtici dolere ſe verò aiebant non tam deſperatam heræ valetudinem, quàm eleuatam tali oraculo ſenis authoritatem, ac fidem, quem ipſa res falſum manifeſtò reuinceret. quid multis? ægra ſacro oleo ritè inuncta, ac ſupremis Eccleſiæ verbis ad luctam confirmata, rigere, neque vltra reciprocare ſpiritum, domeſtici leſſum facere, & viciniam implere eiulatibus, pulſu etiam campani æris mors popularibus ſignificatur; ipſum verò cadauer domi, vt moris eſt, à pollinctoribus curatum, probè ornari iam ad funeris pompam eſt cœptum. iam capillum decenter compoſuerant, iam alteram tibiam texerant, cùm ecce tibi in tegenda altera, animaduertit neſcio quis in faucibus tenuem motum; quare ab incepto deſiſtentes ſemianimem, aut fortaſsè veriùs ex toto rediuiuam in lectulo collocant, neſcio quid cibi in os indunt, atque illa præſenti ope recreata tantiſper, oculos ſuſtulit, ac reciprocare intermiſſam iam diù animam cœpit, mox etiam ſuperſtites alloqui, demùm recuperatis ſenſim, ac modicè viribus, breui ex toto conualuit, ſeque deinde Lupias ad Bernardinum, vt grates beneficij memor

mor ex animo ageret, contulit. Fabritij Rai vxor laborare cœpit ex partu, iamque biduum difficile puerperium tam periculosè continuauerat, vt obſtetrix conclamatum iam diceret. vir, vt in perditis rebus, tandem ad Bernardinum adijt, coniugique ſimul, & fęturæ opem ab eius precibus etiam, atque etiam expoſtulat. ſenex cognita re, iubet hominem metu vacuum redire domũ, vtrique rem ſucceſſuram, puerum, parentemque incolumes euaſuros, vnàq; in ſchedula Diuæ Irenes goſſipium tribuens imperat vt patronæ Virginis illius opem imploret, ſic enim non modò coniugi benè ceſſuros labores vteri, verùm etiam victurum infantem. itaque lætus vir, ac bonæ ſpei plenus reuerſus ad coniugem omnia ordine exequitur, ſtatimque illa marem feliciter eſt enixa, ſed ſine motu, & in quo nullum vitæ veſtigium deprehenderes. ergò exanimem omnes pronunciant; hìc verò pater puerum contemplatus, ingemere tacitus ſecum, & cæleſtium fidem inclamare, nefas exiſtimans, non tam pignus exanimari, quàm ſenis fruſtrà haberi dictum, qui victurum cum matre puerum dixerat: cùm ecce tibi, hæc ſecum illo agitante, reuiuiſcere puer, ac ſpiritum ducere eſt viſus, quem obſtetrix viuentem conſpicata, verita ſcilicet breuiſſimam vſuram lucis, luſtrali fonte expiauit, & Carolum nomen indidit; at infanti ab ſacro latice melius eſſe ſic, vt incolumis, ac ſoſpes ex toto Bernardini præſenſionem impleuerit. interea mater defecta viribus ad exitum properabat, ſed nouo ſenis oraculo, quo iterum conualituram prædixit, habere ſe & ipſa melius, neque ita multò poſt defuncta periculo intra biduum planè conualuit. Vincentius Maria Zimara ardenti febre cum acceſſione vehemēti correptus in magno vitę diſcrimine verſabatur, ſic, vt quodam die, extremo corpore obrigeſcente, inibi expiraturus videretur, iamque omnibus deſperatam ægri ſalutem concla-

man-

mantibus,vnus tamen Bernardinus,qui ægrum frequẽter inuiſerat, ſuperſtitem virum morbo, & quidem diù, multoſque annos,magnis ad hæc calamitatibus affligẽdum canebat. Verùm Zimara ad vitæ exitum properabat,ac domeſtici eiulatibus iam proludebant ad funus, cùm Sacerdos quidam è noſtris ad ſenem accurrens de periculo narrat. contra ille certus animi,eadem dicere, ac tametſi nuncius iterum, ac tertiò morbi violentiam ingereret, nunquam tamen Bernardinus paſſus eſt ſe è ſententia dimoueri. quare Pater ſenis conſtantia victus ad ægrotum rediens ſenis effatum reportat, quod breui probauit euentus, nam illa ipſa die ponere morbi vis cœpit, breuique æger conualuit integrè, ſatiſque diù morbo ſuperſtes grauibus deinde domeſticæ fortunæ caſibus eſt conflictatus. Gemina huic in eadem Zimaræ domo Bernardini vaticinatio. Maria Vincentij huius germana ſoror Fragagnani domina tam grauiter ægrotabat, vt medici ſacris myſterijs ad luctam ſupremam inſtrui, & animum ritè procurare mox abituram iuſſerint; huius adeò affinis fœmina, propinquæ, quam ferebat in oculis,apud ſenem exitum peracerbè lamentabatur, ſed Bernardinus ab hoc metu vacuam eſſe iubens, nequaquam prædixit fore vt huic morbo in præſenti ſuccumberet,quod ſenis dictum mulier domeſticis referẽs, ſicut admirationem audientibus mouit, ita præſentem Mariæ opem tulit, iam tum enim remittente morbo, haud ita multò poſt planè conualuit. Vxenti Ferdinandus Pandonus loci Dynaſta vehementer laborabat ex febri, vt illi exitium timeretur; at Bernardinus certior factus, Lycio Sacerdotem è noſtris ad hominem miſit, qui nunciaret ipſum certò conualiturum, neque aliter mox euenit. Ruffanum celebre in orâ Iapygia oppidum eſt, Lycio vnius diei iter diſtans. hic Franciſco Filomarino equiti Neapolitano Toparchæ grauis morbus ita

vires

vires afflixerat, nihil vt ad vitam ſpei ſupereſſe medici dicerent. ergò cùm nihil in humanis opibus præſidij reliquum eſſet, Violantis Sangriæ nobilis fœminæ coniugis factus literis certior Bernardinus, confugit ad preces, nec fruſtrà, nam de viri incolumitate diuinitùs edoctus, illum mox valiturum prænunciat. præſenſionem ſecuta breui viri ſanitas comprobauit. Idem Lutium Morram Antiſtitem Hydruntinum periculosè decumbentem ex morbo per certum hominem ſecurum valetudinis reddidit, nec euentus mendacij arguit. Neapoli Cæſarem Saracenum, & Aloyſium Nicoſiam lethali vtrunque correptum morbo Bernardino nunciatum eſt, ſed vtrunque ſoſpitem euaſurum non ex vano pronunciauit. Mulier, cui Rebecca vocabulum, cùm neſcio quid de noctu per ſitim hauſiſſet, cœpit inde mox illi tam malè eſſe, vt vir iuxtà, ac domeſtici emotam miſeræ de ſede, ſtatuque ſuo mentem non de nihilo crederent, [illegible]æ adeò ſtolidè meticuloſa, ac triſtis agebat; nec ve[illegible]cij ſuſpicio aberat; eam ob rem legitimis euocationi[illegible]bus procurata, nihil tamen inde profecerat. iam fermè bimenſi circumacto vir ad Bernardinum ſe contulit, ac re tota ordine enarrata audijt à ſene, adhuc diù coniugem his intemperijs agitandam, cæterùm Virginis Irenes opem implorari imperat, eiuſdemque goſſipium, quod ſibi mulier admoueret, dono dat. Vir omnia ordine exequitur, ac poſt multos dies pro vxore iterum conuenit ſenem, qui tum demum ſequuturam breui ſanitatem affirmauit, nec res aliter euenit; etenim non ita multò poſt aciculas duas, incuruam alteram, & reflexã, alteram rectam, atque integram euomens mulier perfectè conualuit. In lecto erat ex febri Antonellus cognomento Verdeſca. hic certum hominem peritum iuris ad Patrem miſit, qui de valetudine, qua laborabat, certiorem faceret, ac iuſſit nuncium, ſenis verba diligenter atten-

tendere, inde enim ſe certiſſimam futuri exitus, ſeù vaticinationem, ſeù omen accepturum. adit ille, rem nũciat, at Bernardinus explicato hilariter vultu, benè ſe, inquit, Antonellus habebit. quid multa? tantùm quòd ſenis verba ad ægrum retulerat nuncius, cùm decreſcere primùm, mox ex toto decedere febris viſa eſt. ſed rependit officij vicem Antonellus hic iuris perito, nam cùm ille ex humeris periculosè decumberet, iuſſit hominem ad ſenem ire, ſuam vt ipſi valetudinem commendaret, qui certior factus, daturum ſe pro ægro ad Deum preces recepit, breuique ægrum ſanitatem recuperaturum prædixit, nec vatem ſucceſſus vanum habuit. Puellam quadrimulam peranguſti calcei modus, quem pedi induit, tam malè acceperat, vt debilem fecerit, detractiſque aliquot è crure oſſibus, pleraque tibia peſſimè habita nequiret ſolo inſiſtere, ſed ſublimis, ac ſuſpenſa vitium ferret. iam malo vlcus acceſſerat, vnde cum odore grauiſſimo ſeuus exiſtens dolor miſeram malè habebat. hanc adeò ad ſenem à matre compluries deductam, ſanandam ſe aliquandò Bernardinus prædixerat. cæterùm pertinax morbus complures annos tenuit, tandem poſt biennio quàm Bernardinus è viuis exceſſerat (quaſi fidem ſuam liberante ſene) die quodam ægra iam æuo maturior, nullis remedijs adhibitis, nec opinatò affectum crus explicare, nullo dolore ſolo pedem figere, & quàm elegantiſſimè, perinde ac ſi nunquam tibia laboraſſet, niti cœpit. quo ſucceſſu hilaris, ſuſpenſo ad tumulum ſenis tibicine, conſtantiſſimæ prędictionis, & redditæ in pręſens ſanitatis monumentum pariter poſuit. verùm hæc poſteà euenere. Franciſcum Mareſcallum nobili genere lecto permoleſta febris afflixerat; hunc verò aliquandò poſt primam noctis vigiliam rigor cum angore tam vehemens occupauit, vt conclamatum medici pronunciarent. mater filij vicem ſolicita, metuque, & dolore

anxia

anxia minimum natu filium id noctis ad ſenem confeſtim mittit,qui & de periculo narret, & preces poſtulet. Adit itaque intempeſta nocte ſenem adoleſcens, ac rem ordinè explicat; tum ille,omni,inquit, te metu vacuum eſſe in præſens iubeo, nouus hic angor haud quaquam lethalis morbi indicium eſt, ſed febris grauioris acceſſuræ prodromus, & argumentum, quæ laborantem aliquandiù peſſimè accipiet;ceterùm remittente ſe morbo æger ſe in dies meliùs habebit. neque euenit aliter. quatuor ipſas ſupra viginti horas acceſſio tenuit,quibus denique euolutis, recedere paulatim æſtus, atque ita euaneſcere, vt intra paucos dies æger integrè conualuerit. Ioanni Antonio Moſcho telonij Præfecto propinqua mors appetebat, vt pro depoſito habentes medici, iam curam abiecerint, cùm ecce tibi agenti ſupremam animam præſtò adfuit Bernardinus,arreptoque languentis brachio, Ieſu, ac Mariæ ſalutare nomen enunciat, mox ad coniugem lacrymis madidam verſus iubet ſecuram agere, virum minimè interiturum pollicitus. At illa vix habere fidem, domeſtici verò ridere tam importunè ſuper exanimi vaticinantem, at ſenex nihilo ſeciùs affirmare victurum, nec euentus falſum habuit: poſtridie eius diei cœpit laboranti melius eſſe, ſic vt reuocati ad curam medici ſpem certam ſequuturæ mox ſanitatis fecerint.In vna,eademque domo Cæſar, ac Petronilla frater,ac ſoror germani è Piſaçana familia ægrotabant. horum adeò valetudinem ſeni Margarita vtriuſque ſoror commendatum ijt;tùm ille fęminam quidem maturiùs, marem ſeriùs,cæterùm vtrunque valituros pronunciat, quæ examuſſim omnia, vt prædixerat euenere, nam quanquam grauiori morbo fœmina tenebatur implicita,nihilominùs tamen breui conualuit, Cæſarem ſupra duos menſes lentior morbus afflixit.Iam Petronillæ huius filius adeò enormi tumore diſtentus eſt aliquandò,

vt ex hydrope medici extinguendum ocyùs crederent; ſed Bernardinus puerum in præſentia minimè occaſurum præcinuit, nec euenit aliter, nam æger intra alterum menſem ſiccato in totum humore conualuit. Quidam, cui Veſpaſiano vocabulum, tam graui veterno correptus eſt, vix vt paucas horas ſuperfuturum viri medicæ artis conſultiſſimi dicerent; at Bernardinus iuſſis omnibus bono animo eſſe, quamprimùm abiturum torporem vltrò, & ægrotum ſanandum prædixit, nec mendacij ſequutus breui ſucceſſus arguit. Hippolytę Bonorię Aſcetriæ nobili ſæua gangræna ſecretiores corporis partes occupauerat; hæc verò vt pudori conſuleret, nullum ſibi à medentium arte præſidium, ſed à Bernardini precibus opem quæſiuit, qui morbi iuxtà, & verecundiæ factus certior, iubet bono animo eſſe, & quamprimum inteſtinam mali vim exceſſuram denunciat, nec ſenem ſefellit euentus, etenim nec ſentienti quidem morbus exceſſit. Faber Ferrarius quidam fatiſcente per laborem vena pectoris, ingentem vim ſanguinis ex ore profuderat, & ars victa malo erat, adeò, vt deſperatæ iam curationis morbo exitium immineret. Bernardinus re cognita miſit qui ſuis verbis homini ſalutem nunciaret, ſimulq; animos faceret, fore vt ex morbo quamprimùm valeſceret; prædictionem firmauit euentus: faber haud ita multò poſt ita conualuit, vt ad ferramenta, & incudes habitior redierit. Carpos ceream bullam agni cœleſtis effigie inſignitam ad Bernardini Realini fratris filij coniugem miſit monens vti ea tanquam alexipharmaco aliquo vteretur ſi quando illi infantes ægrotarent, ſequuturam inde ſanitatem pollicitus, nec fruſtra, nam cùm eorum quidam, cui Hieronymo nomen, qui Societati poſtea nomen dedit, nimiùm incommoda valetudine vteretur, ſenis bulla de collo ſuſpenſa, repentè morbum diſcuſſit. Quod idem Lupijs Deianiræ Guidanæ fœminæ nobili præ-

prædixit, ſi bullam huiuſmodi brachio, quo laborabat, pro amuleto admouiſſet; quod cum illa obedienter feciſſet, neque ſenis vaticinatio, neque fœminæ pietas ſucceſſum diſſimilem habuit. Medicus egregiæ notæ, cui Angelo Suggento nomen, graui morbo conflictabatur, neque ipſe valetudinis ſuæ neſcius, cùm præſens ſibi imminere iam funus cerneret, ac nullum ſe edendo facturum operæ pretium putaret, omni cibo abſtinebat; id verò vbi reſcijt à familiaribus ſenex, miſit qui nomine ſuo ægrum pinſiti pulli haurire ſuccum iuberet, ac ſecurum funeris redderet. ergò ille iuſſis obtemperans, habere ſe melius ſtatim cœpit, neque ita diù poſt recreatus in totum ex morbo eſt. Aureliæ Venturæ Aſcetriæ nobili, ſemel cùm laboraret iſchiade, iterum paralyſi, ſanitatem præcinuit. Idem Maximillæ Antolliettæ virginum ſacrarum Antiſtitę deſperata valetudine ad vitę exitum properanti ſanitatem nec fruſtra prædixit. Pomponius Guarinus è primaria nobilitate ardente febri exæſtuans per certum hominem, Sacerdotem quendam è noſtris, apud quem animi noxas confeſſione deponeret, accerſijt, ac valetudinem ſuam ſeni interim commendatam haberi voluit; at hic Diui Caroli icona ad laborantem mittens iuſſit hominem Patrono huic Dominicam precem ſemel, atque Angelicam ſalutationem recitare, ſecuturum ſtatim morbi leuamentum pollicitus, nec ſenis pollicitatio irrita, vix enim imperatas æger preces abſoluerat, cùm benè magnum ex ore lumbricum euomens, confeſtim valetudini eſt redditus. Iam huius filia Irene ad vitæ exitum properabat, ſed Bernardinus miſſa Diui Ignatij Parentis effigie ſequuturam ſanitatem prædixit, nec fruſtra. Faber quidam lignarius dolore tergi vehementer tentatus, quatriduum in lectulo afflictus iacuerat, eam ob rem germanus hominis frater, ecquid fratri futurum, ſenem cõſulit; tum ille valiturum quam-

primum reſpondit. vix domum redierat, ſeniſque laboranti reſponſum attulerat, cùm æger ſtatim è lecto proſiliens ex toto conualuit. Dionyſius cognomento Theophilatus è Minimorum familia glandulis ad fauces adnatis, quaſi ſtrumis quibuſdam ita vexabatur, vt nulla medentium opera vinci poſſent; eam itaque ob rem in aliam regularem familiam tranſire in animum induxerat: ſed Bernardinus, re intellecta, labantem confirmauit, nouiſque religionis conſilijs interceſſit, nihil eſſe cur de alio ordine cogitaret, breui enim, nec vllis remedijs adhibitis ipſum in faucibus vitium abiturum, nec ex vano præcinuiſſe ſequuta mox faucium ſanitas ſignificauit. Acri morbo tentata Blanca Maria Iouia domo Genuenſis Barij iacebat in lectulo; huius verò vir Dominicus Buzomius peruetus Realini neceſſarius ad Lequilenſem Dynaſtam fratris filium literas miſit, adire ſenem ocyus imperans, & preces pro coniuge expoſcere, vel vt ægra conualeſceret, ſi modò adhuc inter mortales ageret, vel certè ſi oppetijſſet id temporis, quo ſenex adiretur, ut pro eiuſdem manibus piaculare ſacrum offerret. paruit illicò Lequilenſis, atque unà cum Collegij moderatore ſe ſe ad cubiculum ſenis contulit, de fœminæ propinquæ ſuæ periculo edocet, ac iuſtiſſimum mariti votum expromit; tum Bernardinus, ſcriberet modò ad virum, & coniugis valetudinem certò polliceretur: at ille rurſus inſtare, & extinctam ſubuereri ſe dicere quando de ſalute deſperauerant medici, & breui occaſuram edixerant. Hic ſenex ore auguſtior iterum valituram ex morbo fœminam ſcribere eum iuſſit, nam medici, inquit, artis ſuæ præcepta conſulunt, ego verò ſanctæ precationis leges longè illis firmiores ſequor. igitur rem ordine geſtam ad virum perſcribit, ac reſcitum eſt poſtea, tunc ipſum cùm hæc Bernatdinus Lupijs aſſereret, cœpiſſe fœminæ Barij iam agenti animam, melius eſſe, ſic vt de

vitæ

vitæ alea nihil amplius poſtmodum ambigeretur. Cæterùm non hìc mihi percenſere ſingula eſt animus, ne, vel ſimilitudo,vel copia faſtidio ſit; illud pro comperto addam,ad Bernardinum, tanquam ad vatem fieri concurſum vndique conſueuiſſe,eiuſdemque reſponſa pro oraculis habita,nec fruſtrà, cùm non illi humana aliqua ratione,ſed precibus dictorum veritas conſtaret.

Mortis præſenſiones.
Caput VI.

ET fuit idem alijs acerbior propinqui funeris vates. Complures menſes Antoniam Stomeam è Franciſcana familia tertianam hectice lectulo affixerat. verùm anno huius ſæculi decimo, quo primum anno Ignatio Parenti in Beatorum numerum à Summo Hierarcha adſcripto ſolennis pompa inſtruebatur, ægra fuſis ad Deum precibus, à pio Numine impetrauit vt intereſſe communi lætitiæ poſſet. igitur remittente febri, recreari viribus,colore,carnibus cœpit, ad ædem noſtrã ſæpius ventitauit, poplite tam firmo vſa,nullius vt opera firmandis greſſibus indigeret.Iam ipſo feſto Beati die, poſt obitum apud Bernardinum ſacræ homologeſeos myſterium, acceptum à liberali Numine valetudinis munus expoſuit, ſenem rogitans vt proprium id ſibi, & continens à Deo beneficium expoſceret; ſed Bernardinus nequaquam hæc tibi,inquit,vt reris numeris omnibus abſoluta gratia eſt à Deo præſtita, ſanam te, ac ſoſpitem id temporis voluit, quo feſtos Ignatij dies celebrares,cæterùm,peractis ſolennibus, par eſt te ad hecticen tuam redire, & iam cogitare de patria. quæ cùm non ſine admiratione dixiſſet, ex præſcia futuri mente ceciniſſe firmauit euentus: etenim Auguſto menſe ad pri-

ſtinam febrim relapſa, Decembri demum proximo extincta eſt. Hieronymus Verardus præclaro genere ortus in morbum haud ita grauem inciderat, ſtatimque filium, qui preces expoſceret miſit ad Bernardinum, hic verò re intellecta ad adoleſcentem conuerſus, en, inquit, calculum hunc à Pontifice Maximo ſacrum accipe, atq; ad parentem tuum defer, piacularis enim eſt, & plenam criminum abolitionem aſſequitur quiſquis ſuprema vitæ alea conflictatus, piè, religioſèque ſecum habuerit. iube ergò meo nomine hunc patri tuo admoueri, vt expiatione tam liberali donetur: quæ cùm adoleſcens patri nunciaſſet, intellexit ille ſcilicet admoneri ſe funeris; ſtatimque procurato ſupremis myſterijs animo, non ſine magno Chriſtianæ pietatis ſenſu conceſſit. Ioannes quidam Petrus cognomento Caluus conſultus Iuris in ægritudinem incidit, ad quem ſe Bernardinus, antequã ingraueſceret morbus, contulit, ſalutatoque perhumaniter viro, cùm domuitionem pararet, vxorem vt mariti deſiderium ęquo animo ferret admonuit. Enimuerò domeſticos omnes nuncius hic repentinus perculit; cæterùm verborum vim haud ita multò poſt ſenſere, æger enim paucis diebus abſumptus eſt. Puella, cui nomen Catharina oculis maximè laborabat, tanta enim vis papularum intra luces eruperat, nihil vt illi propius factum ſit, quàm vt Solem, ac diem amitteret. quamobrem puellæ pater Bernardino filiam commendatum ſuppliciter iuit, rogitans ne in totum illa oculorum vſuram perderet. audijt precantem ſenex, mox ad hominem verſus, ſecurum, inquit, te ab iſto cæcitatis metu eſſe iubeo: cæterùm illud in animum velim inducas tuum, infántes id ætatis ſæpè à Deo, qui innocentia delectatur, acciri ad ſe ſe. Nemo vnus adhuc de puellæ obitu cogitauerat, ne medici quidem, cæterùm illi, breui recuperato oculorum vſu, cœpit deteriùs eſſe adeò, vt commu-

nem

nem hanc lucis pariter,& vitę vſuram in totum reliquerit. Idem Pamphili Coſmæ,& Ioannæ Monteſuſculæ nobilis fœminæ præſenſit obitus; & Ioanna quidem epiphora graui correpta patrem ad ſe ſe vt confeſſione purgaret animũ iuſſit arceſſi. Adijt illicò ſenex, ac poſt ſacram criminum cognitionem,ſe ſe vt ad vitæ exitum pararet admonuit,illo vtique morbo interituram.Equidem nondum fœmina in lecto erat, tamen breui ingraueſcente pituita,feſtina mors laborantem oppreſſit. Sacerdos quidam è noſtris, Lupijs aliò iter ornabat, breui eòdem reuerſurus. ergò inter diſcedendum, quamprimùm viſuros inter ſe Bernardino eſt pollicitus,at ſenex minimè verò, inquit, dum inter mortales erimus: abijt itaque,breuique morte occupatus reuiſere ſenem non potuit. Deiphobus Antollietta loco nobili alui doloribus tentatus miſit qui ſenem arceſſeret, vt apud illum animi noxias confeſſione expiaret,atque is ſtatim aduolans,cùm ſe iam in ædes inferret,obuij, officij cauſa,domeſtici veniam expoſcere quòd ipſi negotium intempeſtiuè,ac minimè neceſſarium faceſſerent;tum ille,immò verò eſt,inquit,pretium operæ ingens,Deiphobum enim hic tandem morbus abſumet, dein confitenti aures præbuit, ac pluſculos dies, donec æger efflaret animam,laboranti præſtò fuit.Iſtius etiam nepotem infantem, cognominem Deiphobum papulis erumpentibus conflictatum propinqui Bernardino commendauerant, ſed Bernardinus puerum quamprimùm hinc ad ſuperos commigraturum præcinuit.interim ille remittente ſe morbo, melius habere, diſcurſare domo, ac pro ſano ſe gerere; at ſenex non continuò de ſententia decedere, ſed citò extinguendum rurſus conſtanter aſſerere. nec multis,vix biduum effluxerat, cùm infans tentatus iterum morbo,breui demùm extinctus eſt.Lucas de Franchis Vxenti recens creatus Antiſtes, antequam Epiſcopatum

patum adiret, in oppido vrbi ſuæ proximo in morbum incidit, ſtatimque per literas Bernardinum morbi certiorem faciens, rogat vt meminerit ſui, ac citam à Deo ſibi valetudinem impetret, quò deſponſæ iam ſibi Eccleſiæ neceſſitatibus quàm maturrimè præſtò eſſet, at Bernardinus alia omnia cogitare Antiſtitem iubet, ipſum à Deo iam hinc euocari: igitur haud ita multò poſt ante aditas infulas mortem oppetijt. Fœminam nobilem fundatoris Collegij Lycienſis ſororem, cui Helena Staiuana nomen, plures annos ægritudo habuit. Hanc adeò Bernardinus frequenter accitus inuiſere morem habuit, vel ad confeſſionem audiendam, vel ad conſciontiam, cuius ægra ſeni rationem reddebat, opportunis monitis regendam. Cæterùm die quodam nec accitus Pater, nec ſe deteriùs habente Helena, adijt ipſe ad fœminam, cùmque ſe in ædes inferret, heræ obitum domeſticis apertè ſignificauit, mox homologeſi peracta, Helenæ ipſi, eam monens in tempore vti ſe ad vitæ exitum benè paratam haberet, neque ea ſurdis auribus adhibita, etenim mulier Chriſtianis myſterijs ritè procurata haud ita multò poſt mortem oppetijt. Pomponium Rainoum vnà cum famulo ob mutati cæli intemperiem morbus afflixerat. igitur ſenem, vt ſe ſe apud Deum precibus commendaret, rogatum miſit vterque, ſed Bernardinus victurum quidem herum, cæterùm famulo inſtare funus præcinuit, nec euenit aliter. Iulius Aquauiua Bernardinum de parentis ſui Conuerſanenſium Comitis morbo certiorem fecit, ecquid illi futurum cenſeret ſcire auens; at ſenex cum ſe dediſſet in preces, vſque eò abalienatus ſenſibus eſt, vt excitandus fuerit; tandem ſui compos periturum comitem apertè ſignificauit; prædictionem probauit euentus. Camillæ Venturæ Palmerigenſium Comitis fratriæ poſt editam partu fœminam adhuc decumbenti adfuit Bernardinus monens vti ſe

ſupre-

ſupremis myſterijs expiatam maturè vellet, vtiquè propediem interituram; enimuerò tam triſtem nuncium mirari omnes quando ne febri quidem puerpera laborabat, nihilominus tamen haud ita multò poſt febrire vehementer occepit, ac breui demum extincta eſt. Generalis idem Claudij Aquauiuæ appetens funus præſenſit; complurium item aliorum, quos enucleatiùs percenſere hic pretium operæ nullum duxerim.

Futura rerum euenta longè plurima præcinit Bernardinus. Caput VII.

IGitur diuinus hic vaticinæ mentis afflatus, quo Bernardinus certiſſimis prænotionibus euenta rerum præcinuit, tam ſingularis in viro extitit, vix vt in alijs ſanctorum virorum dictis, factiſue aut magis luculenta, & illuſtria, aut certè plura rerum oracula edita inueniantur. Quare ſi me tam multa ſcribentem ſuſcepti argumenti non pœnitet, neque idem legenti cuipiam faſtidium creare debet; & erit aliquod pretium operæ, cui enim hæc intuenti non ſuccurret vſurpatum illum à Dei ſapientia morem fuiſſe ſemper, vt ijs potiſſimum diuinæ mentis arcana concrederet, quos ſine fuco candidos, ſine dolo malo ſynceros, vno verbo ſimplices, rectoſque cognoſceret? Quo in genere laudis, ſi quis vnquam alius, floruit vnicè Bernardinus. quare cætera ſenis reſponſa, quæ de futuris rebus edidit, non diſſimili à reliquis euentu recenſeamus. Antonius Mendoza Gambateſenſium Comes oræ Iapygiæ ab Turcarum excurſionibus tutandæ prouinciam ſuſceperat, cùm interea loci ſecurè agenti nunciatur infeſtam Othomani claſſem ad promontorium Salentinum appelli: ille cura anxius ſtatim ad ſenem aduolat, periculum narrat. tum Bernardi-

nus conuiten amplexus ire ab hoc metu vacuum iuſſit, non enim per hunc annum, inquit, finibus noſtris Turcæ negotium vllum faceſſent, ac vatem probauit euentus. Ferdinandus Pandonus Vxenti Comes, nullis è primis nuptijs liberis ſuſceptis, cùm vxorem alteram duceret, Bernardinus laturum è ſecunda liberos dixit, & euentus præſenſioni reſpondit. Franciſcus itidem Albertinus, tametſi plures annos ſine vllo pignore cum coniuge vixerat, Bernardinus ſuſcepturum nihilominus ſexus vtriuſque liberos dixit, nec prædictio caruit ſucceſſu. Vincentius de Puteo Stabienſis loco nobili ortus, cùm annos plures nullos è coniuge liberos ſuſtuliſſet, nec deſiderium patienter ferret, ad ſenem demum perfugium habuit, ab eius precibus remedium aliquod ſterilitatis opperiens. factus itaque de re per literas certior Bernardinus, voti compotem futurum reſcripſit: euentus probauit oraculum; etenim continenti quadam fœcunditate ſeptem ipſos mares ſuſtulit. Idem rurſus complures ſterilitatis prædamnauit, inter quos Ferdinandum Caſtrium Lemenſium Comitem, & Lucretiam Petraiolam multarum nuptiarum fœminam. Aſcanio Caputo domo Neapolitana conſulenti, vtri animum citius, religioni, an nuptijs adijceret, vt vxorem duceret author fuit, quòd illi Deus fœminam deſtinaſſet, quicum pacatè æuum, feliciterque tranſigeret, quod ille conſilium ſequutus nemini omnium meliùs cum vxore conueniſſe vnquam, aut vixiſſe feliciùs teſtatus eſt. Idem Hortenſio Infantino ſuaſit ne filiam ſuam certo homini in matrimonium collocaret, nec fruſtrà, haud enim ita multò poſt, Barienſem, quem ſibi generum deſtinauerat, mortem oppetijſſe cognouit Hortenſius. Cùm hoc ageretur aliquando vt Marco Antonio Zimaræ cum Vrſula Fornaria nuptiæ conuenirent, prædixit Pater conuenturas. cæterùm ſubortis in ipſa re partium diſſidijs, ita didu-

ctum eſt matrimonium, vt nunquam initum iri videretur; Bernardinus tamen ineundum pro certo dicere; nec vatem euentus fruſtra habuit, etenim aliquot elapſis poſt annis, retentata iterùm re, Zimara Vrſulam in matrimonium accepit. Nec diſſimili euentu idem de Cæſare, & Camilla Caſtriotis prædixit, quanquam ita res turbauerat, vt conuenturas minimè nuptias multi crederent. Lucretiæ verò Petrarolæ cum Turi Toparcha, vſque eò matrimonium proceſſerat, vt iam ſe ſponſus Lupias appelleret, ac proxime muros adeſſet; Bernardinus tamen negare id vnquam nuptiarum futurum, nec ſecus euenit, adhuc erat ſponſus in via, cùm neſcio quid diſſidij ſanè leuiculi inter veniendum ſuboritur, vnde pactiones nuptiales reſciſſæ ſunt. Iam religionis ineundæ vates nihilominùs certus eſt habitus. Vincentius Carafa Ducis Andrienſium tertius filius, is, qui in Societate poſtmodum ſeptimus ab Ignatio Generalis familiam duxit, adoleſcens ingreſſum in Societatem parabat, ac re communicata cum Patribus, ne quid ab domeſticis turbæ oriretur, placuit hac ſuper re Numinis voluntatem exquirere. Igitur Carolus Sangrius, qui Aſſiſtentis, ac Vicarij generalis poſtea præclarè functus eſt munere, ad P. Iacobum Brancacium (vnde hæc hauſimus coram) Lupijs tum fortè agitanti, ſcribit rogans non ſolùm vt Bernardini precibus rem commendaret, verùm etiam ſi fieri poſſet, extorqueret à ſene literas, quibus adoleſcenti animos faceret; paruit itaque familiari Brancacius; cæterùm ab ſene conuento nihil primùm ad votum audijt ſatis, ſcilicet iam ſe periculo ſuo doctum, fuiſſe enim ſe aliàs eiuſdem gentis adoleſcentulo ineundæ Societatis authorem, qui poſtmodum inde defecerit. Hæc in præſentia Bernardinus; verùm ſecundum hæc dicta vix hora effluxerat, cùm ad Brancacium redit planè alius, ſcriptas ad iuuenem literas geſtans,

manu,atque ore àd hilaritatem explicato,hominem alloquitur, ſe poſtquam cùm Deo rem agere eſſet ingreſſus,longè ſentire cœpiſſe aliter, hanc enim inter orandū ſibi mentem cælitùs inditam,ſcriberet ad adoleſcentem; ac pro certo haberet fore vt ad vltimum vitæ,ſuſceptum ſemel inſtitutum conſtantiſſimè retineret, magnoſque inſuper in virtute progreſſus faceret. Et verò ſequuta poſtmodum viri virtus, atque conſtantia nihil à ſene hauſtum ex vano luculenter oſtendit. Iam cùm Lupienſes diuinam adeò ſenis mentem, ac rerum futurarum prouidam ſcirent, inoleſcere vulgò ille mos cœpit, vt parentes editos recens infantes ad Bernardinum deducerent, ſiue vt illis benè apprecaretur, ſiue (quod interdum fiebat) vt quid nouo pignori futurum eſſet, iam tum vates præcineret. Hunc adeò ſibi morem præ cæteris fecerat nobilis fœmina, cui Iſabella Ventura nōmen. hæc itaque cùm aliquando infantem eſſet enixa, cui fecerat Lælio vocabulum ex Antollietta familia, miſit ad ſenem,qui puero benè precatus,cùm ad parentem remitteret, nunciari iuſſit Lælium, vbi adoleſceret, Societati daturum nomen,neque ita multò poſt, cum abſtinendus, neſcio qua de cauſa, prioribus mammis eſſet infans,alterique nutrici tradendus, verita mater ne nouo lacti procul ab domo paterna (agitabat enim noua nutrix in oppido) malè aſſueſceret puer, ac vitæ proinde aliquod diſcrimen ſubiret, ſoluta metu à ſene eſt,qui hoc agere Deum dixit vt infans,qui noſtro ordini adſcribi deberet aliquando, iam tum à puero ærumnis inſueſceret,& quoniam noſtri inſtituti eſt procul domo,militum more,vbi vbi agere,futuræ militiæ rudimētum iam ab infantia poneret;factus verò paulò adultior Lælius ſi quando plus æquo alacer, ac viuidus domeſtica turbaret,apud ſenem mater ſiſtebat reum,accuſabatque quaſi puerum plus nimio feruidum, & incitatioris inge-

ingenij, quàm vt ordinem pati poſſet, & in Societatem ingredi: at Bernardinus huiuſmodi enimuerò indolem alacrem, & in rebus agendis igneam probari ab authore Societatis Ignatio dictitabat. Idem aliquando cùm febri grauiter æſtuaret ſic, vt propè ab interitu abeſſe videretur, anxia filij vicem mater ad ſenem adiens, Lælium (quem ipſe de Societate futurum prædixerat) vtique illam inter cælites initurum dixit, nam quominus id viuens in terris præſtare poſſet, occupatum acerbo funere prohiberi; tùm ſenex minimè gentium, inquit, valeſcet enim filius Societati aliquando daturus nomen: ego ad laborantem cum Beati Parentis Ignatij lipſanis eiuſdem effigiem mittam, quibus adoleſcens ſtatim habebit melius. Mirum dictu, tantùm quòd ſacra Ignatij pignora à ſene miſſa, æſtuanti ſunt appoſita, cùm è veſtigio febris euanuit. Cæterùm Lælius vt planè conualeſceret, ad Sibyllam Venturam materteram Palmerigenſium Comitem animi cauſa in oppidum miſſus, dum inibi totus vacationibus ſtudet, vſque eò conſilium omne religionis abiecerat, vt planè doleret ſe vno viſum iri ſenem vaticinando falſum; ſed ſuberat adhuc metus ne, vel ſe inuito, aliquando præſenſio demum implenda eſſet (tanti ſcilicet hominem faciebat). Ergò inter has animi fluctuationes, cùm apud illum die quodam per homologeſim animum expiaſſet, rogauit nunquid Neapolim vellet, eò enim iam iter parabat, atque inter abeundum, an erit, inquit, Pater, vt Societatem aliquando ſim amplexurus vt tute ais, cùm ego omnia alia cogitem? quid me fiet? ad ea Bernardinus adoleſcentem quo tandem erga Deiparam ſtudio eſſet addictus, quoue illam ſibi cultu potiſſimum demereatur interrogat; adoleſcēs & ſe Deiparam colere reſpondit, & rurſum de ineunda ſibi vitæ ratione quærere inſtitit. tùm ſenex, quoties, inquit, ineundæ Societatis te cura ſolicitauerit, fac, vt Eccleſia-

cleſiaſticum Salue Virgini recites: quod Lælius præſtitit, nec ità multò poſt Neapoli cum vix à Prouinciali Petro Antonio Spinello in Societatem adſcribi petijſſet, illicò in Sociorum numerum eſt adlectus vel eo potiſſimum nomine, quòd ſciret Spinellus hunc ipſum illum eſſe, quem Bernardinus Societatem initurum multò ante prædixerat. Vrſula Fornaria Marci Antonij Zimaræ vxor, cùm primum puerperium experta eſt, gemino pignore grauis niſu ſanè difficili laborabat, etenim fœtura altera intùs extincta, quæ viuebat altera, in lucem non poterat prodire, occupato ſcilicet ab exanimi pignore vteri exitu. Ea re obſtetrix deſperatam puerperam ſeuerè pronunciat, & medici triduum ſine vllo operæ pretio diù laborauerant. Ergò cum illi res in ancipiti eſſet, vt ſupremis malis ſupremis remedijs occurrerent, exanimem fœtum ferro diſcerpere, & ſumma vi ex vtero extrahere cogitabant; verùm antequam atrox conſilium exequerentur, maritus Bernardinum conuenit, de periculo vxoris narrat, at ille animos faciens, laboraturam quidem aliquantulum, cæterùm incolumem puerperam euaſuram, ac geminum pignus enixuram prænunciat, mox addidit meliorem fœturæ partem Societatis aliquando futuram; quibus ægra nonnihil eſt releuata. Verum cùm adhuc integrum diem fruſtra nitendo elaboraſſet, Zimara ad ſenem rediens ſummo mane preces expoſtulat, & Bernardinus, quoniam orandi tempus inſtabat, mox, cùm omnes de more ad orandum ære campano aduocarentur, iturum ſe in preces recepit. Igitur vbi ille domum redijt, intermortuam vxorem confirmat, cùm ecce tibi interea loci mulier ſonitum audijt domeſtici tintinnabuli, quo Societatis homines mox vbi euigilauerint, ad ſacram piarum rerum commentationem vocantur (quo ſcilicet tempore pro ægra daturum ſe Deo preces pollicitus fuerat ſenex) ac pro certo habēs

Ber-

Bernardinum pro ſe id temporis Deum orare, ad puerperij ſellam conceſſit, ſtatimque veluti ſigno dato, è materno carcere vterque fœtus, alter in totum exanimis, viuus alter ſine vllius opera, ſoſpite puerpera exilijt non ſine ingenti gratulatione familiæ, quæ & incolumem heram, & vel prima ſenis precum tentamenta veriùs; quàm preces, tam commoda laborantibus ſenſerat; & puerum mox Bernardinus ipſe luſtrali fonte expiauit, cui Vincentio Mariæ nomen indidit, qui vbi adoleuit, in Societatem ingreſſus ſenis prædictionem minimè irritam reddidit. Vincentio Mariæ huic libet germani fratris Ignatij natales attexere, quos ſenex etiam vaticinatione ſua commendauit. Igitur eadem Vrſula cùm aliàs vterum ferret, fortè Burganijs in ditionis ſuæ oppido apud Salentinos agebat. Eò ſe cùm Pater Franciſcus VVerrerius è Societate conferre vellet, Bernardinum rogauit, ecquid Burganias iuberet; ille ſalutem nomine ſuo impertiri Vrſulæ iuſſit; & icunculam cum Chriſti de cruce pendentis effigie, quam prægnanti daret, attribuit præmonens, ſi hanc ſecum Vrſula habuiſſet, feliciter maſculam prolem daturam, cui vellem, inquit, Ignatij nomen imponi. Mulier & munus, & oraculum læta ſuſcipiens, rei exitum opperiebatur, verùm cùm partus aduentaſſet, monitorum, & icunculæ oblita, plus quatriduo periculosè laborauit in partu, cùm tandem imago ſuccurrit, quam allatam piè vtero admouens puerpera, dicto citiùs marem enixa eſt, cui, vt vati ſuo gratum faceret, Ignatij nomen impoſuit. Cuidam Societatem mox inituro interroganti nunquid inter adiutores laicos ſatius ſibi eſſet adſcribi, reſpondit Bernardinus, id quidem videri ſatius, nam quanquam in eo res illi olim futura eſſet vt è Societate dimitteretur, prædixit tamen nunquam futurum vt reapſe religionem deſereret. ergò huiſce monitis confirmatus egregiè, Societati nomen dedit,

dit,iamque exactis aliquot in ea annis, cùm neſcio quibus de cauſis exautoratus, ſua ſecum habere iuberetur, penè abeuntem mors in ipſo exitu occupauit.Idem rurſus alium in ſuſcepto Societatis inſtituto perſeueraturum negauit, ſed in ipſo tyrocinio per valetudinem dimittendum præcinuit, nec aliter euenit poſtea. Emmanuel Acunia,cuius ſupra incidit mentio,altero crure ſic laborabat, vt ſeuera denunciatione ſecandam tibiam medici edixerint, ne ſerpente latiùs peſte, quod ſanum erat in reliquo corpore inficeretur.Hoc adeò ille ad Bernardinum ſcribens,quid facto cenſeret opus interrogat: ad ea ſenex abſtinendum ferro reſpondit,nam quanquã valido in totum crure nunquam erat vſurus,fore tamen vt ita ſubinde mali vis ipſa ceſſaret, ac torpeſceret, vt nullum inde vitæ exitium timeri poſſet. Paruit itaque Emmanuel, atque intermiſſas, minimèque exitiabiles mali vices,vt ſenex prædixerat,expertus eſt.Tobias de Ponte graui ſpiritus anhelatione preſſus, preces à ſene expoſtulauit,qui laborantem his verbis placidiſſimè eſt affatus: enimuerò,inquit,fili,ſuſpirioſum te Deus hìc inter mortales eſſe iubet, proinde fruſtra erit vt hoc te morbo aliquando iri leuatum ſperes, nec vanam præſenſionem fuiſſe probauit euentus. Margaritæ Corſæ dexterum brachium abſceſſus in totum debilitauerat,ac prætenta oculis membranula, videndi etiam vim paulatim attriuerat. hæc itaque ad ſenem adiens quærendæ opis, hæc audijt: tuam tibi ad Dei voluntatem adijcere neceſſe eſt,filia, proinde ſic habeto,velle Deum te oculis in poſterum habere melius, brachio non item; ſub hæc Diuę Irenes goſſipium admouit oculis,ex quibus,quemadmodum breui conualuit, ita nunquam reddita brachio ſua ſanitas eſt. Mulier è vicino pago cum duabus filijs Lycium venerat, quæ tametſi vt impenſiùs pietati vacaret,optabat inibi æuum agere,tamen per inopiam

rei

ſei familiaris, vt puellarum pudori conſuleret, repetere oppidum cogitabat. cæterùm antequam ſe ſe daret in viam, Bernardinum conueniens, voti iuxtà, & conſilij ſui rationem explicat; ad ea ſenex bonum animum habere iuſſit, eidemque manendi in vrbe certiſſimus author extitit, fore enim prædixit, vt natu maior filia migraret è vita, minor verò quàm commodiſſimè nuberet; omnia ordine, vt prædixerat euenere: moritur haud ita multò poſt filia natu grandior, minor ſubinde viro cuidam in matrimonio ſatis aptè locata eſt. Violanti Nogheriæ ferenti vterum benè precatus aliquando ſenex hæc addidit: Ades agè animo, & ſubtriſti nuncio ne concidas, fœminam edes, cui Irenes vocabulum indes, ea poſt aliquot menſibus in cęlum hinc emigrabit. nihil à ſene temerè dictum euentus oſtendit, fœminam mulier enititur, quam Irenen dici placuit, nec perannauit, vndecimo enim menſe puella conceſſit ad ſuperos. Regio cuidam forenſium cauſarum triumuiro, cui Horatio Verdutio nomen, iam Lupijs diſceſſuro prædixit fore vt ipſum Neapoli viri gratioſi iuxtà, ac potentes inſectatione grauiſſima inceſſerent. audijt enimuerò ille, animumque ad pugnam præſenti animo ſubeundam expedijt cùm viri oraculo, tùm potiſſimum inſolenti quodam ſpectaculo admonitus, etenim dum ea ſenex viro præcineret, adſtare ad vatis ſui caput palmarem crucem manifeſta viſione conſpexit, quæ tùm demum euanuit, cùm ſenex finem loquendi fecit. Adoleſcentes è Rainoa familia duo Neapoli arctiſſima cuſtodia tenebantur occiſi hominis inſimulati. Bernardinus iam inde à primis capitalis huiuſce cauſæ quæſtionibus ad vſq; vltimam diſceptationem (id autem quadriennium ipſum tenuit) quà nuncijs, quà literis animos adoleſcentibus facere, ac ſucceſſum, quanquam nonniſi grauiter antea exagitatis polliceri, nec euenit aliter, nam quæſtione de reis

demum habita, cùm nulla tormentorum vi adijci potuiſſent vt homicidium profiterentur, pro innocentibus habiti, abſolutique ſunt. Paulus Carduccius è nobili genere Tarentinus Lupijs Fiſci patronum agebat. Hunc adeò Neapolim à Prorege reum citatum cura ingens ſolicitum habuit ecquid illa tempora benè ſibi tandem, ac feliciter eſſent caſura: ſed firmauit labantem ſenex, prædixitque fore vt omnia demum illi bellè ſuccederent, compoſitiſque ex animi ſententia rebus domum rediret, nec fuit prædictioni diſpar euentus. Neapoli Franciſcus Zunica, genere Hiſpanus, delatus homicidij, damnatus capitis fuerat; huius verò germana ſoror in aſceterio Diuæ Claræ Lupijs agebat, quæ infortunio fratris afflictá, à Bernardino preces expoſtulatum miſit, qui ſtatim nunciari fœminæ iuſſit, ageret à capitis metu ſecura, fratrem verè nullius talis culpæ compertum, proinde id criminis ſanguine non luiturum, verùm ob leuiores noxas longè mitiores pœnas exoluturum. nihil temerè dictum euentus oſtendit, non enim ita diu poſt ſceleris authore deprehenſo, Zunica capitale ſupplicium exijt, ob nonnulla tamen crimina exilio mulctatus eſt. Bartholomęus Durantes Hydrunti redemptor grauibus calumnijs impetitus Neapolim non ſine magno nominis dehoneſtamento citatus à Prorege ad iter ſe comparauerat, verùm antea ad Bernardinum Lupias paulum deflexit, atque huic cùm ærumnas ſuas narraſſet, explicato ſenex ad gaudium ore, ire ſecurum iuſſit, è veſtigio enim inquit Hydruntum reuenies, vbi noua honoris acceſſio longè maior præteritæ ignominiæ notam delebit, teque Hydruntini cùm cætero plauſu, tùm feſto etiam æris campani pulſu redeuntem excipient. vera vidiſſe ſenem probauit euentus, omnia enim vt prædixerat euenère. Neapoli Lupienſes fœminas duas apprimè nobiles comprehendi, & in cuſtodiam tradi magiſtratus neſcio quis iuſſerat.

ſerat.is verò vbi Lycium rumor delatus eſt,Bernardinus plectendum propediem à Deo magiſtratum dixit, contrà fœminis proſperè caſuram ignominiam.euenere omnia,etenim hæ cum quanto maximo poterant honore è carcere emiſſę,ille paucis diebus extinguitur. Aliquando cineralia iam appetebant,neque Lupijs, qui per verni ieiunij dies ſacras conciones haberet quiſquam ad id locorum aderat; quare extremis Liberalibus iuſſus eſt quidam Sacerdos è noſtris, cui Claudio Seripando vocabulum hanc ipſe prouinciam ſubire;verùm ille negare ne vnam quidem concionum huiuſmodi habere ſe in promptu, neq; eſſe vnquam aliàs id ſe laboris expertum. tùm ſenex age, inquit, ad rem aggredere, nec te iſtiuſmodi cura magnopere ſolicitum habeat, omnia proſperè eueniẽt. ergò ille ſenis monitis mirificè confirmatus, ſacris concionibus nec indiligentem, nec pœnitendam nauauit operam, ſic vt egregij eccleſiaſtæ nomen, famamque collegerit. Adoleſcens parentis viduæ filius vnicus Societati dare nomen quàm qui maximè optabat. hoc adeò doliturum vnicè matri præſentiens, Bernardinum conſulit,qui,omnia,inquit,ex voto ſuccedent fili, ſi Patronam Cæli Reginam Virginem vocaueris,ac ſolennibus verbis ſaluere iuſſeris: ille dicto audiẽs, Deiparæ præſentiam in difficultatibus maximis ſic eſt expertus, vt nec inuita parente Societatem iniuerit, in qua demum aliquot poſt annis piè mortem oppetijt. Roberta Palmeria de loco nobili, domo Monopolitana, miſſis identidem ad Bernardinum certis hominibus importunè pertinax preces à Bernardino pro maſcula ſobole efflagitauerat:enimuerò animaduertit ſenex nimiã fœminæ cupiditatem, ac ſæpè cùm alia omnia reſpondiſſet,tandem aſſiduis precibus fatigatus,abi,inquit, mi homo,heræ nuncia enixuram quidem filium,ſed quo ſit maximè doiitura, proinde cùm ſe ferentem vterum no-

 uerit,

uerit,multò crebriùs confeſſione animum expiet, atque ad ſynaxim accedat. abijt ille, & rem nunciat, neque ita multò poſt mulier ferre vterum cœpit;cum verò edendi partus dies appetijt, fœtus media ſui parte lucem aſpexit,cæterum corpus ita matris viſum viſceribus adhæreſcere,& conglutinari,coagmentatis vtriuſque carnibus, vt nulla inde ratione diuelli,abſtrahiq; potuerit. quamobrem ſummis cruciatibus puerpera ſimul,& infans per biduum habiti ambo infeliciter oppetiere. Aloyſius cognomento Nigueſa Neapoli ad Bernardinum negotij cauſa literas dedit;hic vero cùm reſcriberet,Regij Conſiliarij titulum epiſtolæ addidit:enimuerò nondum hoc ille honoris adeptus erat, neque hoc in præſenti agebatur. cæterùm quotquot inſcriptas tali epigrapha literas conſpicati ſunt,certiſſimum inde futuræ dignitatis oraculum accepere, gratulatique eidem id muneris ſunt cùm poſt aliquot annos hoc demum honore mactus eſt Aloyſius. Acciti olim ad laborantem Sacerdotes duo certabant inter ſe vter ſupremæ pietatis officium vtri præriperet, tùm ſenex, qui per id tempus fortè curabat domi, alterum alloquens, age inquit Hieronyme (hoc enim Patri vocabulum inerat) ægram adi, ſupremamq; miſeræ opem, quam potes affer, erit vnde non leuiter gaudeas. accurrit itaq; iuſſus,ac miſeram auribus iuxtà, & lingua captam reperit: ergò prouolutus in genua,eccui cæleſtium maximè ægra addicta ſit rogat; cùm Diuam Catarinam audiſſet, inter ſupplicandum, Diuam hanc ipſam ſemel,iterum, atque iterum vocat; ad ea reſipiſcere mulier, aperire oculos, ac læta inclamare, en adeſt, & vocata iam præſtò eſt Catarina, inquit, ac me nomine ſuo iubet hæc tibi, Pater, ſignificare, tum mandata explicat,quibus vehementer gauiſus Hieronymus, verum ſenis oraculum ſenſit.

Affixa

Affixa certis temporibus Bernardini oracula. Caput VIII.

QVæ relata hactenus,ea quidem ipſa per ſe ſatis illuſtria futuri euentus oracula haberi poſſunt; cæterùm cùm nihil, niſi vnam rei præſenſionem habeant, neque certis temporum articulis addicta ſint, ſimplicia quodammodo haberi poſſunt. Iam quæ hic attexam non rerum modò,ſed ſtati etiam temporis prędictionem continent, vt propterea meritò pluris ſint æſtimanda. Dynaſta nobilis, cui Ioanni Baptiſtæ Aziæ nomen,Tertiæ,quod eſt Iapygiæ oppidum,Marchio,inuiſendi ſenis vnà cum alijs viris illuſtribus Lupias ſe contulit; iamque dies aliquot moratus in vrbe perfunctus piæ humanitatis officio,cùm ſenem nunquid iuberet, abiturus rogaret, continuò hic coniectis in Dynaſtam luminibus ſolito attentiùs diù hominem eſt contemplatus,quod demiratus Marchio,dilapſis è ſacrario, vbi id contigit, reliquis, ſenem ſine arbitris alloquens, ecquid illa oculorum coniectio tam inſolens ſibi vellet etiam,atq; etiam rogat; tum verò ille, vultu ad maieſtatem compoſito,graui oratione Dynaſtam ſic eſt aggreſſus, Age Marchio, & me Dei nomine ſalutaria monentem pro nihilo ne habeas,ad bimenſem, ac præcisè ipſo Diuæ Magdalenæ feſto die tibi migrandum è vita eſt. ergò iam nunc te ad iter hoc expedi,animumque ſupremis piaculis ritè procura. Enimuerò ille tam triſti nuncio expalluit,iamque digreſſum à ſene,cùm attonitum ſocij animaduerterent, ſcitari vnde inſolens pallor, aut quid illa frontis tam repentina mutatio portenderet, quid ſenex modò tam officioſus, nunc ſeuerus attulerit luctuoſi; quibus ille ordine narrauit omnia, ac Tertiam reuectus ſedulò ſupremis curis adiecit animum myſte-

rijs

rijs frequentiùs obeundis, pœniſque, & reliquis afflicta-tionibus corporis ſponte ſuſcipiendis: rem etiam familiarem maturè compoſuit diſſoluendo ære alieno, illud inter hæc vſurpans identidem, ſibi vndecimo Kal. Sextiles moriendum eſſe: hoc ſe è Bernardini oraculo edidiciſſe. Neque verò aut ſenem præſenſio, aut ſua perſuaſio Dynaſtam fruſtrà habuit. Ipſo die Diuæ Magdalenæ ſacro, non ſine ingenti omnium admiratione, Azia magno cum pietatis ſenſu placidiſſimè expirauit. Quidam Lycio digreſſus vt Romam peteret, pollicitus patri fuerat crebras ſe ad eum daturum literas ſed promiſſis non ſteterat, iamque bimenſi circumacto, nondum quid filio ſuo factum mœſtiſſimus domi pater cognouerat. itaque triſtia omnia, aut morbum, aut acerbiorem morbo interitum verſabat animo. Erat huic Bernardinus à confeſſionibus, qui illum identidem de filij ſtatu conſulentem placido affatu alleuabat, belliſſimè ſe habere adoleſcentem affirmans (& verò hic Romæ ſoſpes, & incolumis agitabat). Cæterùm cùm nihil adhuc pater literarum acciperet, nec deſiderium ferre poſſet, ſenem adijt aliquando, ingreſſuſque cubiculum madidus lacrymis pro certo affirmare, aut extinctum filium, aut graui aliqua calamitate afflictum, quid enim à literarum officio tam diu ceſſaret, aut quid illi promiſſa tam ſubitò excidiſſent? ſexaginta, eoque amplius effluxiſſe iam dies, nec tamen ſyllabam exaraſſe. Tum ſenex, minimè verò vt reris, res habet, inquit, & valet enim egregiè filius, & literæ iam ſunt in via, quare proximo Saturni die tabellarius feret ad me literarum faſciculum, in quibus ſcriptas ad te filij literas incluſas accipies, & verò exploratum id Bernardino nullis humanis rationibus eſſe poterat, aberat enim plurium dierum iter tabellarius, neque cuipiam quidpiam literarum ad eam diem ab adoleſcente venerat. cæterùm omnia, vt Bernardinus prædixerat, ad

diem

diem euenere. Acri febre correptus quidam cauſarum forenſium triumuir (quem magiſtratum vulgò Auditorem dicunt) iam ſe Chriſtianis ſacris ad vitæ exitum comparabat;hoc verò quò apparatiùs faceret,miſit qui à Bernardino ſibi preces efflagitaret,at ſenex abire nuncium iuſſit, & laboranti animos faceret, fore enim vt quarta feria, qui dies fortè morbo ſeptimus accidebat, ſudore exiſtente per corpus, valeſceret, nec ſecus accidit. Deianiræ Verardæ nobilis fœminæ virum grauis morbus periculosè lectulo affixerat; quare vxor anxia mariti vicem, eum Bernardino commendatum enixè habuit, ſed ſenex fœminam agere ſine metu iuſſit; cæterùm ad ægrotum precarios Deiparæ calculos ferendos dedit, quos ille ad mane proximum ſecum haberet, perendie enim functum periculo meliùs habiturum. mulier dicto audiens,rem omnem vt ſenex prædixerat,eueniſſe viro gauiſa eſt. Religioſa quædam mulier, ac pia animaduerterat in aliena domo quendam neſcio quicũ turpiter conſueuiſſe. igitur ne aſoto illi nequitia procederet,cogitabat exturbandi hominis rationem aliquam inuenire: verùm ſolicitam timor habuit ne quid inde turbarum domi, retecto flagitio, ſuboriretur: itaque ſenem conſulit, qui hanc illi curam hiſce verbis ademit: nullum, inquit, filia,nudanda fraude pretium operæ feceris,octauus dies faciet huic malo medicinam, ſuborta enim longè alia dimittendi hominis cauſa, nequam domo pacatis omnibus exturbabitur. haud ita multò poſt cùm inter famulos diſſidium neſcio quod extitiſſet, herus octauo die ſcelere illo abire ædibus iuſſo, & quieti ſuæ volens, & pudori domeſtico imprudens conſultum ijt. Quidam Philoſophiæ domi profeſſor habendæ de more philoſophicæ diſceptationi diem dixerat, cùm interea loci vehementiori febre correptus,in morbum incidit. Hìc verò arrepta detrectandæ alienæ exiſtimatio-

nis

nis anſa nonnulli (vt ceca ſæpe etiam inter nauos æmulatio eſt) malignos in vulgus rumores ſpargere, vitandæ aleæ morbum ſimulari, valetudinem timori obtendi, febrim hoc illi agere vt ſe acerrimos, & capitales ſententiarum oppugnatores prohibeat, vt exiret ictus egregium ſcilicet ludi magiſtrum decumbere. Delata itaque ad noſtros tam importunè glorioſa iactatio fecit vt ad ſenem atrocia aduerſariorum dicta deferrent, qui ſe ſtatim pro ægroto ſalutaturum precarijs calculis Virginem ſemel recepit, atque ijs ita releuandum morbo magiſtrum prædixit, vt in arenam ad dictam diem deſcenſurum pro certo affirmaret, nec vanum rei ſucceſſus oſtendit, quanquam enim adhuc ſæuiente febri, iſta promiſerit, nihilominus tamen ita breui conualuit æger, vt egregius pugil Dominico die (quem ipſum ſcilicet pugnæ dixerat Bernardinus) philoſophicum certamen inierit non ſine præclara ingenij laude, ſic vt inconſulta obtrectantium ora, audaciamque compreſſerit. Nec diſſimile huius de ſe aliquando prædixit, nam cùm extremo Decembri febriret fortè vehementiùs, ſe perendie Kalendis Ianuarijs valentem in æde ſacra rem diuinam facturum dixit, nec ſecus accidit, primo enim mane initio anni ſe quàm belliſſimè habuit, ſacriſque ritè operatus confeſſionibus ad multam diem nauauit egregiè operam. Quidam è Minimorum familia, cui Dionyſio nomen, ſubnata ad linguæ radices ligula, miſerrimè afflictabatur; iamque ferrum, & alia expertus, biennio ad curationem adhibito, nullum pretium operæ fecerat: tandem deſperata valetudine Bernardinum conuenit morbi importunam ſæuitiam inſimulans, qui è veſtigio iuſſit laborantem ab omni metu ſecurum ire, pollicitus fore vt intra menſem ex toto ſaneſceret: neque abfuit dicto fides. nondum menſis effluxerat, cùm exciſa à vulnerario caruncula, planè conualuit. Donatus quidam

Anto-

Antonius è nobili Corſorum familia morbo vſque adeò graui conflictabatur, vt deſperatam ægroti vitam medici edicerent; quare æger rogatum ſupremas preces ad Senem, matrem legauit, qui vbi de periculo audijt, abi, inquit, tertius dies huc mihi filium tuum ſiſtet incolumem. abijt mater, ac Senis oraculum filio retulit, quo ille nuncio ſic eſt recreatus, vt conualuerit, ac tertio die Senem conuenerit. Puellam nobilem, cui Iſabellæ nomen, cognomento Mendozam, Gambateſenſium Comitum filiam noctu apoplexia ita occupauerat, vt tunc ipſum exceſſura videretur. mater, quæ tum Lupijs agebat, è veſtigio miſit ad Senem qui ſuo nomine filiam ipſius precibus commendaret, at Bernardinus rei certior renunciari fœminæ iuſſit vt ſolicitudinem poneret, puellam intra horam, omnem mali vim exituram, nec euentus præſenſionem fefellit.

Certis affixa legibus Bernardini reſponſa. Caput IX.

ATque iſta quidem temporibus, illa verò certis deuincta legibus reſponſa edidit. Adoleſcens quidā, cui Mario nomen, Neapoli Lupias venerat, diuerteratque apud nos, huic verò Bernardinus luculenter ſignificauit ipſum, niſi Religioni cuipiam nomen tranſcriberet, miſerè interiturum: verùm ille oraculi negligens, cùm nulli religioſæ familiæ animum appuliſſet, poſt aliquot annos Neapoli eſt interfectus. Magno dolore capitis quidam conflictatus, tandem ſe Bernardini precibus commendatum ijt, cui Senex, abi, inquit, extra pomœrium, ac templum Deiparæ nuncupatum inuiſe, eoque loci precaria corona ſaluta Virginem, ita demum dolorem diſcuties: ille dicto audiens nondum preces

abſoluerat, cùm finitum pariter dolorem animaduertit. Difficili admodùm niſu fœmina laborabat, vt ab infelici partione ſibi iam timeret exitium; itaque ſtatim miſit oratum ſenem vt precibus laboranti ſuccurreret; tum Bernardinus cereum quendam ſacrum puerperæ mittens iuſſit illum ad Deiparæ ſimulacrum accendi, ſic enim ſtatim feliciter enixuram. fecit imperata mulier, ac ſtatim partu, nullo labore, ſoluta eſt. Cuidam Romam cogitanti cùm præcineret Senex, ſi ſe ad Vrbem tuliſſet, peſſimè inibi habiturum, nihilò ſeciùs Vrbem petijt, ſed oraculum ſenſit, etenim lethali morbo correptus, paucis diebus extinctus eſt. Pomponium Rainoum periculoſa febris corripuit, qui ſtatim Bernardinum certiorem valetudinis ſuæ per certum hominem curauit fieri; hic verò preces laboranti pollicitus addidit, ſi ſacra exhomologeſi animum expiaret, futurum vt ſtatim conualeſceret: æger tamen ſalutare monitum negligere, alia omnia curare; igitur inualeſcente morbo non leue vitæ periculum adijt; quod vbi ſenſit æger, tum demum fractus malo, confeſſioni ſedulò adiecit animum, qua peracta è veſtigio febris ſoluta eſt. Puerum neſcio quem grauis morbus oppreſſerat, quem ſeni mulier, quæ ægrum propinquitate contingebat, enixiùs commendauit; tum ille Beatæ Virgini cereum voueto, inquit, atque ad ædem vnam aliquam eiuſdem ſuſpendito; puerum verò veſte candida induito, hæc enim omnia ſi ritè faxis, ſaneſcet ſubitò puer: paruit mulier, ſtatimque æger valetudini eſt redditus. Adoleſcens, cui Metello vocabulum, Societati dare nomen conſtituerat, erat verò huic à confeſſionibus Bernardinus, quem ille ſuper hac re conſulens, hæc accepit: Age, inquit, & te noſtro ordini tranſcriptum ire bonis cælitibus propera; cæterùm illud iam tibi prædico, ac longè ante denuncio, grauibus ſcilicet in ipſo tyrocinio difficultatibus iri te conflictatum, atq;

in

in eo tibi rem ſæpè futuram vt te tibi res tuas habere moderatores iubeant: quare hoc à me munuſculum habe (tradit autem adoleſcenti de contemptu mundi libellum Ioanni Gerſoni vulgò adſcriptum) & cùm in grauiora huiuſmodi tempora incideris, percurre aliquam voluminis iſtius paginam, feceris tu quidem certè, ſi me audies, pretium operæ, ſic enim nunquam ſtationem deſeres, ſed incolumis ſemper, ac victor euades; ſecùs ſi ſaxis, omnia cadent improſperè. Adoleſcens, accepto codice, mox in Societatem aggregatus, multiſque, & grauibus tyro iactatus incommodis, vt nihil illi ſit propius factum, quàm vt è Societate dimitteretur, præceptionis tamen memor, ad libellum, tanquam ad aram perfugium habuit, atque ita demum iuxtà propoſiti, & inſtituti tenax maturus æuo in Societate vitæ curriculum clauſit. Medicus quidam tam grauiter ægrotabat, vt ad vitæ metam appropinquaret; quare noſtri homines ſupremis monitis inſtruere, atque adeſſe agenti iam prope animam per vices cœpere, cùm interea loci Bernardinus familiares admonuit, ſi terna Diuo Didaco ſacra vouiſſent, medicum valiturum: non neglexere domeſtici monitum, nuncupatoque voto æger conualuit. Annæ Morellæ nobilis fœminæ mammas turpis abſceſſus tam fædè vitiauerat, vt ſex ipſos menſes ingraueſcente in dies peſte medicinam omnem euinceret. Mulier vt morbi pertinaciam frangeret, petijt vt Barnardinus ægram ſe inuiſeret domi, ac Diuæ Irenes lipſana, quæ in æde Societatis ſeruantur, manibus ſuis admoueret ad mammas; nec verò id Rector abnuerat. cæterum id vbi reſcijt ſenex, nunciari fœminæ iuſſit, nihil eſſe cur Virginis lipſana exportarentur; ſi communis patronæ opem ſtudioſè implorauerit, vtique melius habituram: audijt benè monentem mulier, ſeque Irenæ Virgini ſub

ſerum diei commendans, nocte ipſa in totum repentè conualit. Dynaſtæ nobili, cui Ioanni Caputo nomen, maſcula ſoboles in votis vnicè erat. cùm ſe itaque ea mente Lycium contuliſſet, conuentum Senem enixè preces efflagitauit, qui hominem peramanter amplexus, enimuerò, inquit, gratulor tibi cælitùs datam, quam tantopere expetis prolem virilem: quare domum reuectus vxorem cum vtero offendit, ſtatimque per literas Bernardinum certiorem fecit, qui in reſcribendo iterùm gratatus iuſſit infanti Ignatium nomen imponi, hac enim lege viuacem ſobolem illi futuram. Editus itaque eſt infans in lucem, quem parentes ſiue præcepti ſenilis immemores, ſiue vt in vatem gratiarum monumentum extaret, Bernardinum dixere, ac de re tota certiorem illum fecere, at Senex ijs in hæc verba reſcripſit, victurum vtique fuiſſe diù ſi infanti Ignatij nomen impoſuiſſent, nec vanam præſenſionem euentus oſtendit; áltero menſe vix circumacto infans oppetijt. Cæterùm grauida iterùm coniuge, certior de re Bernardinus Dynaſtam iterùm monuit vt, ſi supereſſe puerum vellet, edendo fœtui Ignatij nomen inderet. ergò hic malis ſuis edoctus, edito in lucem infanti, Ignatio nomen eſſe voluit, atque ita demum viuacem ſobolem ſenſit.

Præ-

Præmonita quædam itinerum euenta. Caput X.

COnſueuiſſe quamplurimos antequam ſe darent in viam, Bernardinum conſulere, narrare me in loco memini; nunc ea ſtrictim expediam, quæ ad itinerum præſenſiones certiſſimas ſpectant. Lupijs præfectus eſt aliquando pauperum noſocomio vir non virtute minùs, quàm genere nobilis, cui Stephano Perronio nomen, qui ad id muneris ſedulò curam adijciens animaduertit, nonnulla hoſpitalis domus prædia, ac fundos malorum vicinia peſſimè laborare; eò igitur ſtatim cogitationem omnem intendit vt opportunam huic malo faceret medicinam. Ergò diu, multùmque ſecum antea diſcuſſa re, dein etiam experientibus viris in conſultationem adhibitis, ſtatuit Romam ad Pontificem Maximum adire vt communicata cum eo inopum cauſa, contra nefarios, ac perditos homines præſidium aliquod ab æquiſſimo vindice impetraret. Cæterùm hæc agitanti anni tempeſtas habendo itineri tunc quidem minimè commoda, impedimento non leui erat. Iunius menſis tunc agebatur, atque adulta æſtate Romanum cælum magnis itineribus adeundum iure, ac meritò capiti ſuo noxium timebat, ac nemo vnus erat, qui tantum viarum ineundum temerè id temporis non negaret. Ad extremum Societatis Patres in conſilium adhibet, ac re in diſceptationem adducta, cæteri, ſi rem humanis momentis metiri volumus, ſanè prudenter in eam pariter ſententiam iuere, vt in præſenti quidem parcendum itineri dicerent, poſſe rem multò commodiùs donec grauior annus deferueat, proferri in aliam diem: tum Realinus excipiens, benè quidem, & ſapienter exiſtimare Patres dixit, proinde citra Religionem omnem ſtari

cum

cum illis poſſe, cæterùm ſibi longè aliam eſſe mentem; nihil ſcilicet ab æſtu, nihil à via, nihil denique à Romano cælo tam piam cauſam ſuſcipienti timendum eſſe: nefas non illi omnia bellè cadere, qui Dei negotium ageret: elementiam Numinis in pio opere ſtrenuè deſudanti præſtò vtique adfuturam; quare ſatageret bonis cælitibus, ſeque vix ſecurum committeret, nihil extimeſceret, omnia ex animi ſententia ſucceſſura. Enimuerò currenti ſtimulos addidit. igitur ſene ſibi benè apprecari iuſſo, Perronius X. Kal. Quintiles iter ingreſſus Romam incolumis tenuit, vbi negotium bellè tranſegit, ac ſoſpes denique Lupias reuectus oraculum ſenis impleuit. Iam illud in ſimili re nihilò minus illuſtre. Agebant Lycij mercatores Veneti duo, qui negotiorum cauſa domuitionem parabant, eratque in procinctu nauis ſatis ad rem opportuna: ea propter, viatico in onerariam impoſito, eorum alter ad ſenem adijt vt abituris felix iter, ac proſperum precaretur. Bernardinus, vt erat humaniſſimus, vtrique benè ominatus, futurum ſe vtriuſque ex animo memorem eſt pollicitus; cæterùm nihil ſibi in præſenti maritimum hoc iter probari dicit; contra illi minimè cunctandum rati, nihil à propoſito declinant, præſertim cùm & arridens æquor, & auræ faciles ceſſantia vela increparent, iamque mane poſtero conſcendere in nauim parabant, cùm eorum alter, cui Pederzolio cognomen, iterum ſenem conueniens ſero diei eadem rogat, atqui eadem à ſene non ſine admiratione audijt; verùm in ſuſcepto conſilio cum nihilominus perſtaret, nocte eius diei, quo die ad iter aggredi certum erat, Aſtolphonius (hoc erat alteri cognomentum) podagræ doloribus ardere vehementer occœpit, ſic vt ambo itineris conſilio tandem ablegato, magiſtrum nauis abire ſolutum iuſſerint. Igitur dimiſſi nautæ, paſſis in altum velis triduum felici nauigatione vſi, donec Gargani fluctus tenuere,

nuere,

nuere, quò vbi ventum, oneraria ſeptem ipſis piraticis Barbarorum triremibus aggreſſa miſerè perijt, vehentes enim & rei familiaris, & libertatis, quod caput eſt, iacturam fecere. quod vbi reſcitum eſt Lupijs, tum demum mercatores vaticinationem Senis ſunt demirati. Lucretia Petrarola Neapoli Lupias ad propinquum ſuum ſcribens certiorem facit, Didacum Pareſciam virum ſuum Neapolitani Regni Regentem iam eſſe dictum, ſimulque in Hiſpaniam ad Regis aulam, vt ibi Regni rebus præeſſet, acciri, proinde ad Bernardinum iret, ac pro itinere preces expoſceret; ille dicto audiens, de tota re facit certiorem ſenem, preceſque enixè efflagitauit ad viam, qui facturum ſe oppidò libenter pro tali viro preces recepit, nam Pareſcia, inquit, vir bonus quidem certè, & expertæ virtutis eſt, & cùm iam laborauerit diu, iter ſanè longiſſimum eſt initurus vt à Chriſto Domino virtutis iuxtà, ac laboris ſui præmium accipiat. Enimuerò minimè grata viri auribus eiuſmodi verba accidere, neſcio quid ferale in ijs, ac luctuoſum ſuſpicantis, eáque ad propinquam cum fide retulit. Lucretia lectis literis, ſilere, verùm poſtera luce cùm tentari morbo coniugem cerneret, cœpit illi animos facere bellè ceſſuram valetudinem, quandoquidem Bernardinus ipſum, longum iter ingreſſurum nunciari ſibi fecerat. Verùm Didacus dicta Senis altiùs excutiens, Lucretiam coniugem alloquens, profectò, inquit, non vulgari ſanctitudine præditus eſt Bernardinus; eius mihi preces bonam mentem hoc noctis iniecere, vt quid ille ſibi vellet, perbenè intelligerem. longiſſimum aggredi iter debeo, exceſſurus è viuis ſcilicet, tu interim id forti animo feras: quamobrem Sacerdotem arceſſe, qui abituro hinc præſtò ſit, & morientem ſupremis myſterijs procuret. quæ omnia Lupias ad propinquum ſuum ſcripſit Lucretia, qui cùm ordine omnia ſeni narraſſet, Diuæ Irenes goſſipium, quod laboráti

Nea-

Neapolim mitteret petijt; tum Bernardinus, enimuerò nihil goſſipio iſto, ſed precibus opus eſt Pareſciæ, inquit; age dum, & iconas haſce ambas accipe, quæ D. Franciſcam Romanam referunt, & alteram Lucretiæ, alteram parenti tuæ viduæ Neapolim dono mitte, atque in huius clientelam, vtranque adſcribi iube, vtriuſque enim vitæ ratio cum Diuæ iſtius vita non mediocriter congruit. Hæc tum Senex haud cuiquam dubio, quin prophetico ore, afflatuque, nam haud ita multò poſt ſcitum eſt tum ipſum, cùm hęc Lupijs Senex proferret, Pareſciam Neapoli oppetijſſe.

Bernardini imperium in dæmones. Caput XI.

AC de Oraculis quidem ſatis fortaſsè iam multa; quanquam non omnia edidimus. Nunc ad miracula accedamus, & ſunt illa profectò longè plura, nec præſenſionibus minùs illuſtria. Quare ne vel copia ordini noceat, vel ſimilitudo faſtidium gignat, quoad eius fieri poterit, curabimus ſuus vt cuique locus miraculo ſit, & è ſimilibus præſtantiſſima ſeligamus; ac primò imperium Senis in dæmones quàm pauciſſimis lubet attexere. Mulierem in oppido prope Lupias agentem, nouem ipſos annos malus dæmon agitauerat, vt omni templorum aditu prohibitam, nunquam ſacris intereſſe ſit paſſus. Iam occurſum virorum, qui ſe ſe Deo ratione aliqua deuouiſſent, ita oderat, vt ſicubi offenderet, ſtatim oculos aliò, vultumque conuerteret: quin etiam ad campanæ pulſum indignis modis habebatur, afflicta repentè humi circumagi, ac volutari, planè vt æs illud, bellicum aliquod ceciniſſe, atque exciuiſſe Stygios hoſtes non tàm ad arma, quàm ad flagellum miſeræ videre-

deretur: nihil porrò eius auribus accidere ingratiùs poterat, quàm habiti fortè de Deo, deque rebus cæleſtibus ſermones. Huius vicem miſeratus vir nobilis Toparchæ filius, laboranti aliquando cereum agnum, ac pium neſcio quod amuletum admouit, quæ ſorores ipſius à Bernardino acceperant; ea verò, ne corpori accederent, mirum quantum veſana contendit, excutere enim ſe, vociferari, ingemere, pedes, brachia, os Baccharum more huc, illuc torquere, ac flectere: ad hæc miſeræ fauces intumeſcere, verbiſque exoticis, ac peregrinis nulli ſuperſtitum intellectis eloqui: ſpumas etiam ex ore agere, & pilos vomere, miris denique modis, nequicquam tamen ſatagere, adoleſcens enim manibus ſumma vi apprehenſam coëgit apud ſe ſacrum amuletum habere, ac minas addidit deducturum ſe vel nolentem ad Bernardinum: hoc adeò vbi audijt fœmina, nouis clamoribus negare ſe ne nomen quidem hominis audire velle: cæterùm haud ita multò poſt pacatior digitum neſcio quò intendere, atq; eccum hominem dicere. Igitur interrogata quid ſibi vellet, atro colore canem, & Senem Sacerdotem, qui linteatus arundine illum exigeret videre ſe dixit, mox etiam ſaniore mente petijt enixè vt ſe ad Bernardinum Lupias deducerent. Deducta itaque eſt die poſtero, ac Senem conſpicata, è veſtigio illum ipſum eſſe teſtata eſt, qui ſibi pridie Stygium canem fugare eſſet viſus. itaque apud illum animi noxis ſacra confeſſione expiatis, domum integra redijt, ac pietati nauare operam nullo iam interpellatore dæmone ſtrenuè cœpit. Ruſticum è vicino pago per noctem in mapali ſuo ſomnum captantem hoſtis infernus aggreſſus ludificari primùm præſtigijs, mox etiam inſidere miſerum cœpit. ergò ille ſtatim vitare hominum conſortionem, cibo abſtinere, ac pro amente ſe gerere. ſequuta itaque ſtatim tetra virum illuuies, ſqualere enim, maceſcere, intortis fœdè buccis,

portenti ſimilis aſpici. Iamque biennium, hunc in modum infelicitèr egerat, neque deuotionibus vllis, aut ſacrorum locorum religionibus euinci dæmonium quiuerat; tandem miſer benè vinctus ad Senis cubiculum trahitur, qui iniecto in eius aurem digito, recitare Angelicū Aue vnà cum laborante aggreditur, dein ad aram maximam, vbi ſacroſancta Euchariſtia aſſeruabatur ſiſti, eodemque loci Dominicam precationem, & ſalutationem Virginis proferre iubet. Senis dicto audiens miſer imperata exequitur, ſtatimq; habere ſe ita meliùs cępit, vt & ſe valentem viribus ſenſerit, & deterſa macie priſtinus etiam ori color acceſſerit. Cæterùm domi ſuæ agitanti noctu illi per quietem Bernardinus apparuit, à quo iuſſus eſt rutam (quam antea ſummoperè abhorrebat) deguſtare; paruit primo mane, ſtatimq; muliebrem capillum euomuit, iterumque, cùm alteram deguſtaſſet, alterum, quos populares hodieque teſtes miraculi ſeruant. Octiduo autem vix elapſo ad opus redit, & intermiſſum iam diù cultum agrorum repetere cùm vellet, inſolenti labore ſic fractus eſt, vt reuerſus domum, timorem familiaribus fecerit ne in priſtinum morbum relapſus eſſet. eam itaq; ob rem iterum ad Senem deducitur, qui eodē remedio vſus prędixit, nunquam in poſterum tali ipſum peſte tentatum iri, nec euentus pręſenſionem fefellit. Lupijs duo ipſa ædium noſtrarum conclauia rebelli genio ſic habebantur, vt in ijs habere Patres veluti contubernales indignè ferrēt: igitur miſeris modis quieſcentes de noctu maximè inſectabantur, ac fortè fuit vt aliquando in his Sacerdotes è noſtris duo Stygij inquilini imprudentes collocarentur (erat autem alteri Antonio Beatillo, alteri Ioanni Baptiſtæ Galeotæ nomen) cùm ecce tibi nocte intempeſta Antonij fores ſuccuti vehementer, & veluti arietari, neq; pacatiores interea loci in interiore cubiculo res eſſe, agi, ferriq; omnia, miſceri ſupellectilem.

ctilem. itaque exterritus primo mane Senem conuenit, omnia ordine explicat; tum ille ſecurum ab hoc metu Beatillum dimittēs, ſingulis noctibus ante initam quietem ſalutare Beatam Virginem, & tutorem Angelum iuſſit; quod cùm Beatillus feciſſet, nunquam aliàs non modò Lupijs, ſed ne alibi quidem turbari quicquam de nocte in cubiculo ſenſit. Iam dum Beatillus inceſſitur, Galeota nihilo quietiùs agere, quinimmo, dum in lectulo aliquando ſomnum expectat, videt ſibi cum ſtrepitu ingenti fores de repente aperiri, atq; in medium cubiculi arietem nigri velleris ſe ſe inferre, totis naribus, atque ore teterrimo ignes efflantem, qui ocyùs ſubter cubile quieſcentis ingreſſus, inde ſe per camini fauces foras eiecit; ergò Galeota linquere deuotum hoſpitium certus, vbi diluxit, Bernardinum totius rei certiorem facit; hic verò cum Patris caput ſaluberrimæ crucis ſigno ſacraſſet, pro certo affirmauit illum nunquam in poſterum ſpectris huiuſmodi, aut terriculis conflictandum: ille Senis dictis mirificè confirmatus, neq; priore cubiculo abſtinuit, neque intemperijs vllis huiuſmodi eſt agitatus. Hæc per ſe Bernardinus, illud per ſua. Nobile aſceterium Neapoli virgo ingreſſa, duodecim ipſos annos moleſto dæmonis contubernio vſque eò affligtabatur, vt reſpirandi locus miſeræ nullus eſſet; aderat quippe ſodalis importunus; ac ſe vbiq; ſpectandum dabat, neque enim ex eo genere dæmonum erat, qui corpora obſident, ſed qui importuni aſtant, atq; aſſiſtunt agentibus, atque inde familiares dicũtur. ergò diuexare miſeram miris modis, ac teterrimas facies induens, nunc æthiopem, interdum canem, aut aliquod ſpectrum ſimile infernus Proteus obijciebat, neque verò informis larua terrori eſſe tantummodò, ſed negotium inſuper ſatagenti non leue faceſſere, interdum enim pſalmodiæ vacantem interpellare, manumq; breuiario precum apponere ne ſacra carmina percurreret

 oculis,

oculis, interdum ſuſpenſa de miſeræ collo reſte fauces tentabat elidere, & quanquam amoliendo teterrimo hoſti nihil non adhibitum, pretium tamen operæ nullum factum fuerat vnquam, nihil enim precibus, nihil Sanctorum lipſanis proficiebatur, itum quin etiam eſt aliquando ad Bernardinum ipſum, cui enixè per literas quidam è noſtris virginem commendauerat; verùm ille nihil aliud, niſi ad ſpiritalem fœminæ profectum id genus pugnæ à Deo permitti reſcripſerat. cæterùm ne virgo Senis opem fruſtra imploraſſe videretur, fortè ita euenit vt ad aſcetriæ iſtius manus Bernardini flagellum veniret, quod cùm illa ſecum ferret, cubiculumque eſſet ingreſſa, adeſt è veſtigio planus ille improbiſſimus in capræ olentis laruam turpiter conformatus, arreptamque dentibus ſcuticam extorquere de manibus ſumma vi eſt aggreſſus, contrà virgo obniti, & pro virili parte reſiſtere vt excuti flagellum ſibi de manibus non ſit paſſa. quare victus conſtantia hoſtis, frendens ſe è cubiculo eiecit, nec tamen ab incępto deſiſtere, ſed turbare adhuc pro foribus, ſtrepere, author mulieri eſſe vt flagellum abijceret, ſed videlicet ſacri illius pignoris vim experta virgo nunquam dimiſit. Igitur cùm ludi operam feralis laruą intelligeret, cedere domo coacta eſt, iamq; aliquot luces ęffluxerant, cùm miſeræ reddendum domino, qui commodauerat, flagellum fuit, ſtatimque redijt ad inermem infernus hoſtis, ſeque in cubiculum inferens, priſtinas miſeræ turbas inſtaurat; verùm illa remedij ſciens, reddi ſibi flagellum Senis infimis precibus impetrat, quo demum recuperato, id apud ſe ſemper habuit, neque vllos in poſterum teterrimæ beſtiæ impetus eſt experta.

Bernardinus D. Irenes lipſana patrandis miraculis adhibet. Caput XII.

CÆterùm vt modeſtiæ conſuleret, non rarò Bernardinus patrandis miraculis Sanctorum lipſana adhibuit, Irenes patronæ Lupienſium in primis. Iacobus Brancatius, cuius ſupra meminimus, caſu neſcio quo graue vulnus digito inflixerat, & affectus ictu neruus contraxit articulum ſic, vt non ſine acri dolore explicare digitum poſſet, & chirurgus curuitatem perpetuam timebat. Cogitauit itaq; Prouincialis Vitelleſchus, qui toti poſtmodum ordini præfuit, Lycio ſecum ad balneas Puteolanas Brancatium auehere, ſed Bernardinus ſaucium inuiſens, quid medicus timeret, quid deſtinaſſet Prouincialis cognito, laborantem amplexus, ponere metum iubet, haud dubiè valiturum, mox ſacra Irenes pignora coram Prouinciali vulneri admouet non ſine præſenti ope Virginis, poſtero enim mane Brancatius conglutinatum ſibi vulnus animaduertit, digitoque ad ſua munia valido cœpit vti, ſtupente chirurgo, qui vel perpetuam nerui contractionem, vel certè diuturnam, ac permoleſtam curationem timebat. Cuidam etiã è noſtris, cui Petro Antonio Riſtaldo nomen, ad moto ad aurem eiuſdem goſſipio Virginis, audiendi vſum, quem diù perdiderat, repentè reſtituit. Mulier Tarentina profluuio ſanguinis iam diù vexata, eodem goſſipio, quod illi ſenex ad vſq; Tarentum miſerat, perfectè conualuit. Triennis infans cùm vrinam reddere non poſſet, acri dolore angebatur; at pater filij periculo anxius ad Senem aduolat, qui hominem conſpicatus, antequam de pueri morbo audiret, laborat ſcilicet, inquit, filius, quòd excernere vrinam non poſſit, age dum, & Irenes lanam xylinam ad vxorem tuam defer, eamque poſt Domini-

minicam precem,& Angelicam ſalutationem ſemel recitatam admoueri puero iube,ſtatim enim dolore leuabitur. ergò pater promiſſis, & pio amuleto auctus domum reuerſus imperata exequitur,nec fruſtra,nanque è veſtigio finiri dolor,ac per vrinam morbi cauſam reddere puer cœpit. Adoleſcentem, cui Didacus nomen, abſceſſus grauis in interiori thorace ita confecerat, vt aliquando medici vix proxima nocte victurum pronunciauerint. Pater,cùm nihil iam in arte præſidij ſupereſſe cerneret,ad Senem dolore anxius cæleſtium opem quæſitum adijt; abijcit itaque ſe ad pedes lacrymans,obteſtatur ne filium cœca tabe,ne ſe ægritudine,curaq; confectum velit. Mouit ea dolentis ſpecies mitiſſimum Senem, ac ſtatim effuſus in preces, vnà cum illo recitare Deiparæ litanias aggreditur, quo demum ſupplicio peracto,adfuturum ſe proximo mane eſt pollicitus; interim pro certo affirmat nocte proxima filium neutiquam,vt timebatur,expiraturum. neque euenit aliter.adeſt itaq; primo mane Senex, atque in ſchedula Diuæ Irenes nomen,& goſſipium ferens,illud poſt preces laboranti admouet,dein matrem eiulantem ſeuocat, ac placidè affatur lacrymas ſiſteret,ageret Numini gratias, ſanitatem iam eſſe redditam filio, nec vana eloquutum euentus oſtendit.Vix Bernardinus abſceſſerat,cùm æger redditas ſibi vires ſentiens, vt periculum faceret ſurgit è lectulo, mox diſcurſare,ac pro ſano ſe gerere adeò,vt excuſſam peſtem haud dubiè intelligeret. Hanc ipſam iſtius matrem Bernardinus à graui morbo incolumem aliquando præſtitit; res verò ita ſe habuit. Grauis ſuppuratio ſiniſtrum illi oculum ita infecerat, vt ſenſim excreſcens, dexterum occuparet,& vtrunque mox clauderet. quare coacta eſt ægra ad quadrageſimam lucem tenebras pati. interim peſtis ipſam vitæ arcem caput inuaſerat,atque hinc peruagata licentiùs pertinere ad os cęperat, atque

vtraq;

vtraq; inſano tumore vitiauerat. ergò medici aut mortis, aut perpetuæ cęcitatis damnatam pro depoſita habebant: mulier actum de ſalute ſua perſuaſum habens, Bernardinum arceſſit vt apud illum animi noxas confeſſione deponeret;atque ille ad officium aduolans præſtò eſt,& vix fari valentem excipit: ſacra demùm cognitione criminum peracta,cœpit Senex ſuis manibus ſplenia ſoluere, & malagmata abijcere, oculoſque cruce ſignãs metu ſolutam agere iuſſit,pollicitus fore vt quamprimùm ſaneſceret; mora nulla,illo ipſo temporis puncto cœpit laboranti eſſe melius, & oculorum vſura frui, paucorumque dierum ſpatio interiecto, in totum conualuit, quanquam Senex, vt patrati miraculi laudem aliò deflecteret, diſcedens ſcriptum in ſcheda Diuæ Irenes nomen reliquit,quod ægra ſecum haberet. Neretinum etiam medicum egregiè curauit Bernardinus. Hic graui anhelitu aliquando vſque eò cœpit vrgeri, vt nec quieti vllum, nec cibo tempus à morbo vacuum daretur: hinc miſer ſe veneficio obſtrictum ratus, ad Senem quærendæ opis Lupias ſe confert,qui re intellecta,ter ſalutare Virginem,ter precem Dominicam recitare medicum iubet, lanam etiam D. Irenes xylinam habendam dedit,addiditque nec vlli veneficio obnoxium fuiſſe vnquam, nec in poſterum huic, quo torquebatur morbo futurum,neque abfuit dicto fides,nam ita repentè ſanus effectus eſt, vt & medico ipſi, & familiaribus, qui laborantem nouerant, admirationi fuerit. Ioannes quidam Matthæus, cui cognomen Mirabello è Societate, graui morbo conflictatus,& ſupremo viatico inſtructus, vitæ exitum expectabat. hunc verò Bernardinus inuiſens goſſipium D. Irenes ſecum habere iuſſit, quo admoto, repentè meliùs habere cœpit,& paucis demum poſt diebus omninò ſoſpes euaſit.Puella ſeptennis piſtoris filia cum æquali ſua domi ludebat, dumque inter ſe, vt fit,

puc-

pueriliter laceſſunt, altera per iocum, viuacem prunam (quam mater, dum furnum conuerreret, in angulum coniecerat) in ſociam iecit, ac ſtatim alterum oculum corripiens ignis tanto cum dolore peruſſit, vt miſella dies, noctesque inenarrabiliter gemeret. Triduum eiulãdo continuauerat, cùm mater per nobilem fœminam Palmerigenſium Comitem Seni filiam commendatum ijt, qui puellæ vicem miſeratus, imbutum luſtrali aqua goſſipium affecto lumini admouit, ac ſignauit cruce pollicitus breui conualituram, nec euentus præſenſionem fefellit. ſero diei mater reſoluta vitta, oculum contemplata, ſanum, ac valentem reperit perinde ac ſi nullas prunas ſenſiſſet vnquam. Lauiniæ cuidam inter ſiniſtrum oculum, ac nares ſubnata caro os ita turpauerat, vt perpetuæ deformitatis medici prædamnarent; at Bernardinus Patronæ Virginis goſſipio admoto, nullo negotio perſanauit, dureſcere enim primò clauus, mox in totũ recedere eſt viſus. Tarenti Ioannem Hieronymum è Caloa familia ſtrumæ exitiales ſeptennium ipſum malè habuerant, & inſanabiles eas medici edixerant, enimuerò nihil, quod in humanis artibus præſidij eſſet, non tentauerat. Tarento Neapolim conceſſerat, periclitatuſque chirurgos nobiles nullum operæ pretium fecerat; nam quanquam vinci ſe aliquando morbus efficacia medicamentorum ſimulabat, tamen mox reualeſcere, ac multò acriùs laborantem vrgere. Eidem Lupienſium medicorum manus experiri placitum, ſed videlicet omnem operam luſerat, nam præter emplaſtra, ac vulnera, & cæteram ferramentorum ſæuitiam nihilò plus opis acceperat. tandem ad Bernardinum, tãquam ad ſacram anchoram perrexit opem imploraturus. iacebat illi miſer ad pedes, arundinem, globulos coronarios, veſtem deoſculabatur, morbi pertinaciam incuſans, admouenſque ceruicibus cingulum Senis enixè ſuppetias efflagitabat.

mouit

mouit tanta doloris ſignificatio Bernardinum,recitatiſque precibus , ſacri goſſipij particulam dono dedit , dictiſque blandiſſimis ſacrum munuſculum cumulauit, abi ſcilicet,inquit,pro te preces ad Deum fundam,neque ita multis poſt diebus valeſces. redit itaque Tarentum æger bonæ ſpei plenus, & Irenes goſſipio auctus,Seniſq; promiſſum familiaribus narrat. Mouit ea pollicitatio animos vt omnes rei exitum opperirentur . haud multum temporis interceſſerat , cùm vatis præſenſionem euentus probauit , vigeſima enim luce difflari tumor , humores areſcere,peſtis denique è faucibus abire omnis ex toto viſa. Iam adoleſcentem alium ſtrumis itidem malè habitum multò citiùs ſanitati reſtituit. Hic Bernardini præſentem opem aliàs expertus, à quo graui oculorum epiphora fuerat ſigno crucis,& goſſipio Virginis momento temporis liberatus , ad notum ſcilicet compertæque virtutis medicum aduolat, qui eodem , quo antea Martyris goſſipio vſus pro amuleto, tantùm quòd admouerat faucibus , cùm repente victa mali vis omnis abſceſſit. Petijt Vxento Lycium quidam nobili loco genitus , cui Ioanni Dominico Ceſuræ nomenclatura , vt orbam luminibus filiam Senis precibus commendaret, aëris enim diſtillatio puellæ oculos tam malè affecerat, vt vtranque miſeræ lucem in totum extinxerit. Senex vbi de morbi violentia cognouit,eiuſdem goſſipij particulam patri dedit iubens illam filiæ luminibus admoueri paulò frequentiùs,ſic enim conualituram. redit ergò domum pater Senis imperijs dicto audiens, nec ita multò poſt redit puellæ luminum vſus , ſic vt breui omnem à ſe cæcitatem integrè auerterit. Nicolaum quendam ædium fabrum ſæua pleuritide conflictatum medici octaua luce extinguendum ſeuerè pronunciauerant; ergò æger ipſo lethi appetentis die Bernardinum qui arceſſeret miſit,vt ſupremis piaculis apud illum no-

xas animi procuraret. Accurrit ad hominem Senex, atq; inter eundum fortè fit funeri obuiam, quo fœmina pleuritide extincta efferebatur; cœpit ad ferale ſpectaculum Senem miſeratio fabri eodem morbi genere laborantis, ac ſtatim illum Diuæ Irenæ, cuius icona ad ægrum ferebat, enixiùs commendauit: mox, vt ſe recepit, ad ſocium verſus, certè quidem, inquit, Nicolaus Diuæ Irenes patrocinio momento ſoſpes euadet, nec vanam præſenſionem euentus oſtendit; illo ipſo momento temporis cœpit laboranti meliùs eſſe exarmato magnam partem doloris morſu, ac vix pauculæ horæ interceſſerant, cùm ſe ſe æger ex toto ſanum, ac valentem ſenſit. Horatij cuiuſdam, qui domi noſtræ agebat hoſpes, ſæuus dolor caput vehementer affixerat, at Bernardinus liquore oleæ, quem de ſuſpenſâ Martyris lampade acceperat, cum ſigno crucis vnctum repentè ſanitati reſtituit.

Cælitum aliorum reliquijs, ac rebus ſacris ad occultanda miracula vtitur Bernardinus. Caput XIII.

NEc verò vnius tantummodò Irenes nomen, ac pignora rebus admirabiliter geſtis obtentui habuit, ſed aliorum item Cæleſtium lipſanis, rebuſque ſacris haud raró ijſdem occultãdis eſt vſus. Hieronymum Melendinum è Societate angina grauis inſederat, at Bernardinus vix Diui Nicolai Myrenſis Epiſcopi liquorem gutturi aſperſit, cùm ille è veſtigio conualuit. Eadem hac Diui Nicolai vnda nobilem virum genu diu laborantem inunxit, atque ille ſtatim proximo mane valens, ac firmus niti pedibus cœpit. Antonio Beatillo malis grauiter laboranti expreſſum è Diui Nicandri Martyris oſſibus ſacrum laticem dedit, ac ſtatim diſcuſſa è malis

epi-

epiphora ſanum reddidit. Agebat Lupijs quidam profeſſione gladiarius. Hic feſto quodam die cùm in Societatis æde Chriſtianæ pietati ſatisfeciſſet, nunquid iuberet rogauit Senem, habere enim ſe in animo id lucis vacare tantiſper aucupio: negauit enimuerò Bernardinus id ſibi probari, proinde ſi ſe audiret, eo die abſtineret ſe id genus illecebra, ſi ſecus faceret, nequaquam fore vt illi reditus æque ſoſpes, atque abitus contingeret: ſed ſurdo fabulam, conuenerat enim hoc illi cum æqualibus; quare monitis pro nihilo habitis pergit alacer ad ſyluas; verùm dum operi intentus, tormentum aptat in volucrem, nitratus puluis in foculo quanquam ignem conceperat, nequaquam tamen illum, vt aſſolet, per tenue ab tergo foramen intrò ad tubum immiſit, quare auceps ſpe ſua fruſtratus, dum ecquid rem moraretur explorat, fiſtulæ os in ſe ſe malè cautus conuertit, cùm ecce tibi peſtis interior erumpit in ſubitas flammas, excuſſumque ſumma vi teres plumbum in miſeri fauces illidit, ac ſtatim ille tantùm non exanimis concidit. Caſum itaque miſerati ſodales equo impoſitum domum nec ſentientem adhuc vicem ſuam reportant, atque hic, vbi ſe ex animi defectione collegit, neglecti ſenilis moniti pœnitere ſerò illum, & nequicquam cœpit. Interim à medicis lethale vulnus eſt habitum, & præ ſe multum ferre periculi; quare familiares ſtatim Bernardinum ad contumacem deducunt, vt ſi corpori non poſſet, ſaltem animo tempeſtiuè ſuccurreret: at hic vbi de infortunio audijt, in ampulla vitrea Diui neſcio cuius liquorem attulit, eoque vulnus oblinijt, ſecurumque iuſſit ægrotum agere, pollicitus fore vt ocyùs conualeſceret. Prædictionem firmauit euentus; mane proximo æger ita ſibi vires valentes ſenſit, vt è lectulo exiliens ad opificium, & gladios ſuos non ſine ingenti omnium admiratione redierit. Alios item longè plurimos ſacrata cerei agni bulla ſanauit.

uit non Lupijs modò, ſed alibi. Luſtrali idem aqua interdum pro alexipharmaco eſt vſus. Decumbebat æger Hieronymus ab Alexandro Lupienſis Collegij Rector acriore ſtomachi morſu debilitatus, acceſſeratque colicus dolor tam acer, vt quietis miſero non eſſet locus, verſare enim æger ſe ſe,& nunc in lecto, interdum humi huc, illuc agere, plane vt dolori ſuccumbens, efflaturus inibi animam videretur; at Bernardinus luſtrali aqua conſperſum è veſtigio quieti reddidit. Geminum huic illud. Gregorius Maſtrillus & ipſe Collegij Lupienſis Rector valida febri exæſtuans, neque ſe cibatu vllo reficere, neque mandere omninò quicquam poterat; hunc Bernardinus inuiſens piè iocoſus, debere, qui alijs præeſt, vt officium ſuum ritè, atque ordine faciat, valentem agere, non deſidem in lecto eſſe dixit, ac ſtatim ſignatum cruce ſacro latice aſperſit, momentoque temporis vnà cum febri languor omnis exceſſit ſic, vt non ſolùm capere cibum poſſet, ſed medicam etiam potionem, quam parauerat, haurire neceſſe minimè habuerit. Idem verò poſtridie dolere ab genu tam grauiter cœpit, vt ferendo dolori non eſſet, ſed eodem remedio vſus Senex, non diſſimili ſucceſſu morbum fugauit. Emmanuelem Vegam Societatis Sacerdotem, domo Luſitanum, acerbo capitis dolore conflictatum Bernardinus Ieſu, ac Mariæ nominibus imploratis, luſtrali vnda conſperſit, ac repentè ſic perſanauit, vt exclamarit Emmanuel, vbi me Bernardinus attigit, omnis illicò dolor abſceſſit. Senex è vicino pago generum ſuum iam annum ipſum neſcio quo infortunio inualidum fari, adeò vt vulgò iam mutus audiret, deduxit ad Bernardinum, qui aſperſum ſacro latice abire iuſſit, ſed mutus tantùm quòd Collegij fores attigerat, cùm eloqui liberè cœpit, neque vllum poſteà linguæ vinculum ſenſit. Nobilis adoleſcens diuturna, ac permoleſta valetudine afflictus, cùm tædere iam illum

mo-

moleſtiarum cœpiſſet,propinquam ſuam enixè rogauit vt ſibi dilutum illud afferret,quo Senex inter ſacrificandum ritè manus abluerat: id adeò,nec ſentiente Bernardino,per æditimum probè curauit mulier,allatumque auidè hauſit adoleſcens , ac ſtatim ab hauſtu , diutino morbo ſolutus eſt. Hic idem eiuſdem aquæ vim ſalutarem aliàs eſt expertus, etenim rure redeuntis aliquando tam graui calce ictus eſt pes , vt tibiam in partes duas impetentis equi violentia confregerit; enimuerò plura glutinandis oſſibus remedia à chirurgis adhibita , cæterùm mali vis omnem medentium operam habuerat fruſtrà . Quare cùm ſe victurum niſi Bernardini opera deſperaſſet adoleſcens , venit illi in mentem aquæ,quam ſibi præſentem aliàs erat expertus,cùmque iterum haurire conſtituiſſet, eadem opera habitam piè ebibit, nec ſua ſpes adoleſcentem fefellit,confeſtim enim ita eſſe illi melius cœpit ex vulnere,vt non vitæ modò, ſed perfectæ etiam , abſolutæque integritatis certam ſpem conciperent medici,nec fruſtrà, ſanitas enim breui ſequuta, ne veſtigium quidem priſtini languoris reliquum fecit. Ardente febri laborantem Camillam Pucciam ſequuta comes inſomnia peſſimè affecerat : hæc adeò feſto Palmarum die ſe Bernardini precibus commendatam voluit , nec Senex preces abnuit; miſit interim malũ, quod ipſe ſua manu ſacrauerat , verùm id ne ægra deguſtaret laborabant domeſtici cauſati frigidum pomum ſatis incommodum ægræ futurum;verùm hæc prohiberi non potuit quin fruſtulum deguſtaret,quo facto omnis è veſtigio morbus exceſſit. Aureliæ Venturæ nobili aſcetriæ ita cor ęſtuabat,vt verſari ſe inter ignes aſſiduè crederet, nulliſque pharmacis temperari, niſi Bernardini luſtrali aqua incendium potuit.Hippolytæ Tafurae puellæ nobili ægritudo animi ſæua continuos gemitus eliciebat , nec fando cura leuari poterat. ea re propinqui Bernardinum

dinum adeunt,& laboranti ſolatium aliquod poſtulant; at Senex iconem neſcio quam dono miſit,quę vix puellam attigerat, cùm repentè omnis abſterſus ex animo mœror eſt. Ignatius Garganus è Societate iſchiadis dolores,quibus grauiter affli‹tabatur,admota icone, qua vſus aliquando fuerat Senex,repentè fugauit. Puero pedè altero laboranti medici ferrum parabant;huius verò vicem miſeratus Bernardinus, amoueri ſæuitiam iuſſit, ac lipſanothecam miſit, qua ſub noctem admota, nihil affecto pede ſanius mane proximo eſt inuentum. Laboranti in partu fœminæ, atque ob difficilem nixum periclitanti (tres enim ipſos dies difficilem partum continuauerat) per certum hominem Caroli Borromæi nondum inter Sanctos relati, purpuræ centunculum miſit, ac momento temporis periculi totius expertem reddidit.Cæterùm nihil ille frequentiùs,ſiue ad patranda,ſiue ad occultanda miracula,quàm Beatiſſimæ Virginis nũc orbiculos,nunc imagines, interdum lipſana adhibuit. A multis inter enitendum periclitantibus,iconis Virgineæ contactu,ſæuæ partionis periculum propulſauit. Fuit in his fœmina nobilis, quæ nixu tam graui conflictabatur, vt conclamatum pronunciauerint medici; ea re maturauit propinquus quidam laborantem Senis precibus commendare, qui cùm de diſcrimine audijſſet, Virginis Deiparæ,quæ Regij colitur,effigiem viro dedit,ad laborantem apponi imperans, vnàque Dominicam precem cum ſalutatione Angelica à puella quapiam proferri,ſic enim puerperam feliciter eniſuram:paretur,nec vanam Senis prædictionem ſucceſſus oſtendit. Alia triduum ipſum infeliciter nixa, ſummis cruciatibus, ob præmortuum in vtero fœtum, nihil profecerat, quin potius appetere etiam miſeræ funus videbatur, defectæ ſcilicet viribus, & lethali quodam rigore correptæ. Cæterùm Diuæ Regienſis effigies, quam Bernardinus cum prædictione

ſtione ſucceſſus miſerat, opem præſentem attulit, nam ad contactum iconis, & exanimem fœtum eiecit, & ſtatim ipſa ſoſpes euaſit; quod miraculum poſteà Bernardinus in epiſtola quadam ad ſuos teſtatus, vulgatum typis eſt. Agebat animam puella haud ita multò maior annicula; iamque deſperata viuendi ſpe, adornari choragium funebre cœperat domi, verùm admota Virginis icone, quam Bernardinus dederat, eſſe melius infanti cœpit, ac mox perfectè conualuit. Cuidam ita oculis laboranti, vt à cæcitate proximè abeſſet, de Lauretana domo ligni particulam Bernardinus adhibuit, integramq; lucis vſuram reddidit.

Patrata crucis ſigno Bernardini miracula.
Caput XIV.

IAm ea, quorum ipſe certiſſimus author minimè clàm alijs habere, aut deflectere aliò potuit, attexam. Adoleſcens quidam Lupijs, cui Leonardo nomen, lethali morbo conflictatus aliquando, arundinis Bernardini contactu ſoſpes euaſerat: cæterùm poſt valetudinem corporis feliciter profligatam, inſania mentis, acrior videlicet morbus, inſedit, ac principio per confuſa animi ſimulacra, & emotas ſede ſua formas, ſe Proëpiſcopum Lupienſem, dein ſtatim Epiſcopum, mox etiam Cardinalem, denique per gradus ſuos Summum etiam Hierarcham, & Pontificem Maximum dixit; atque iſta demum, vt eſt blandiſſima imperij ſpecies, maximè in animo ſedit. Infelix Pater nihil, quod in arte medentium præſidij eſſet, reddendæ ſanitati neglexerat, ſed videlicet fatigatis nequicquam medicorum ingenijs, mentis intemperies curam omnem, ac diligentiam eluſerat ſic, vt pro certo periti iſtiuſmodi rerum edicerent in eo accurando

rando actum nequicquàm agi, nunquam enim fore vt ſaneſceret. Et ſanè vſque eò turbabat amens, vt depoſitum meritò diceres, nouus enim in orbe terrarum Pontifex agebat omnia pro iure ſuo, imperare, edicere, ſancire leges, ſcelerum pœnas liberaliore indulgentia abolere, iam hos mulctæ damnatos, contrà iubere illos indemnes abire, nonnullos ad honores, & Eccleſiæ dignitates euehere, affligere rurſus alios, ac deturbare, interdum ponendis ſacris ædibus nauare operam, interdum alijs eiuſdem amentiæ ſimulacris totos dies inſumere. In hunc itaque modum ad viginti dies agitauerat, & fortè aliquando, vt omnia poſſe Pontificem oſtenderet, impacto matri digito exculpſit miſeræ oculum, cauſatus velle ſe illi meliorem cudere. Idem ciſio per vrbem vectus die quodam in Curionem neſcio quem offendit, iuſſumque accedere ad ſe, aſperioribus verbis inceſſere, & neglecti officij mulctam irrogans, in ordinem exautoratum redigere. Aliàs iter publica via faciens propter Diuæ Irenes templum conſtitit, ac tum fortè eo loci feſtus dies ſolenni pompa modulatis ad numerum vocibus habebatur, conueneratque frequens populus ad ſpectaculum: Prætor etiam cum Triumuiris celebritati intererat, cùm ecce tibi nouus ſacrorum moderator templum ingreſſus indignari ſcilicet ſe imprudente loci celebritatem indictam, quare pro ea, qua pollebat ſupra cæteros authoritate, omnes Eccleſiaſticis diris deuotos à communione piorum abſtinuit, ſeque inde ad odeum proripiens, in Patrum Teatinorum Præpoſitum maledicta iacere, aliaque nihilò ſanioris animi facinora edere. Cæterùm in tanta emotæ mentis veſania illud fortaſsè ſapienter, grauibus enim à Patre colaphis impetitus vt reſipiſceret, interminatus eſt velle ſe nomen Patris apud Bernardinum deferre: enimuerò audito Senis nomine familiares illicò vno ore deducendum ad Bernardinum

cla-

clamant, nec mora, benè comitatum deducunt; ad quem vbi eſt ventum, extorquere vecors per vim à ianitore Collegij claues aggreditur, vt eas in miſeri caput illideret quòd ſegniùs aliquantò in reſerandis foribus functus officio ſuo eſſet. Interim Bernardinus factus inſano obuiam miſerari adoleſcentem, munienſque ter ſigno crucis, dulciſſima Ieſu, ac Mariæ nomina implorauit; demũ leniter caput permulcens, age, inquit, Leonarde, abi, nec Pontificem amplius age. enimuerò nihil tactu illo præſentius eſt expertus, ſtatim enim reſipiſcens pudere cœpit inſolentiæ habitus, ac veſtium, mox abiens tũc ſe primùm Bernardini opera exuiſſe dixit amentiam, ac deſipere deſijſſe, & reapſe deſierat, ſatis enim ſanus egit in poſterum, adeò vt iuris prudentiæ operam nauans, doctrinæ lauream ſit adeptus. Alterius cuiuſdam adoleſcẽtis, prægrandis tumor fauces inſederat, quem medici veluti ſtrumarum prodromum, ac ſignum timebant. Pater verò in magna rei familiaris difficultate, cùm accurando filij morbo non eſſet, anxius putauit omne ſibi in Bernardini precibus ſitum eſſe perfugium, nec ſanè de nihilo, Senex enim iuſſo adoleſcente humi genua ponere, ac ſalutare Ieſu nomen implorare, tumorem ipſe cruce expiauit, qui ſtatim nunquam rediturus euanuit. Sacras conciones per magni ieiunij dies in æde Societatis Lælius Ptolomæus habebat, qui cùm Diuæ Mariæ Magdalenæ ſingulari ſtudio pietatis eſſet addictus, ſiue anni intemperie, ſiue id ægriùs ferente dæmone, pridie quàm de eius laudibus ad populum verba faceret, intumeſcente mala, magno dentium dolore excruciari cœptus, ea re æditimum iuſſit nullum habendæ concioni ſignum ære campano dare: hoc vbi reſcijt Bernardinus, concionatorem inuiſens, ac ſigno crucis malam expians, age, inquit, & hanc eſſe Dei voluntatem ſcias, Pater, vt mane poſtero in concionem aſcendas, ac verba

de more facias. mora nulla, ſecundum hæc Senis dicta reſedit tumor. Marcum etiam Antonium Seripandum è Societate malis pariter laborãtem eodem crucis amuleto momento temporis perſanum reddidit. Neapoli Lycium venerat P. Franciſcus Maſſa, vt per ſacros Quadrageſimæ dies concionatorem ageret, verùm grauioris anni tempeſtatibus peſſimè habitus, in tam longo itinere caput vehementer offenderat. Vix itaque Collegium tenuit, cùm acri febre incaleſcens, affixus lectulo eſt. Acceſſit auctarium morbi abſceſſus in interiore aure tanto cum doloris ſenſu, vt lecti ſtrata morſu diſcerperet. iamque tredecim ipſos dies contumax morbus ſæuierat nullis ad quietem, nullis ad cibum interuallis datis; tandem æger medicæ artis remedijs valere iuſſis, Senem accerſit, etiam atque etiam rogat, vt ſibi Euangelij verba pro laborantibus recitet, & crucis ſigno communiat. Bernardinus nihil ægrotantis fidei abnuendum ratus, morem illicò gerere, ac popularis auræ oſor, ſecundum contactum ſtatim foras ſe è cubiculo eijcere, nam vix admoto digito ſignum crucis expreſſerat, cùm hiante ſtatim abſceſſu, pus erumpere, ac fluere occępit, abeunte tunc ipſum febri non ſine ſuperſtitum plauſu, qui ſanctitudinem Senis cum rerum admirabilium effectione coniunctam ſummis in cælum laudibus efferebant. Cæterùm Maſſam quanquam ex morbo, & periculo exemptum, tamen adeò defectum viribus præteriti doloris conflictatio reliquerat, vt appetẽtibus Cineralibus ſubeundo concionum oneri par futurus ſibi minimè videretur. Ad eum itaque planè confirmandum Bernardinus ſe iterum conferens, age, inquit, & ſanctæ obedientiæ viribus fretus ad rem aggredere, tùm ille proximo miraculo quanti verba Senis eſſent edoctus, in verbo, inquit, tuo laxabo rete; at Bernardinus, minimè gentium, ſed in Ieſu Chriſti verbo; atque ita demum labores feliciter au-

ſpi-

ſpicatus abſoluit non ſine plauſu. Paulum quendam è Paſchalia familia puerum, cùm plus nimio eiularet, ſequuta enterocela quadriennium vexauerat, ſed Bernardinus ſigno crucis applicito vitium repentè fugauit. Huius adeò germanum fratrem Ioſephum nomine ſuppuratio circa cor plus annum obſederat, vt interdum imminentis exitij metum faceret, expertùſque medentium operam, mali inducias veriùs quàm opem ſenſerat. Pater cætera inops, cùm fortunas ſuas morbi pertinacia exhauriri fruſtrà videret, laborantem filium, cui tum ipſum à morbo peſſimè erat, ad Senem miſit. Paruit adoleſcens, ac Bernardinus digito vix ſalutare crucis ſignum expreſſerat, cùm omnem ab eo repentè mali inclementiam prohibuit. Inteſtino dolore viſcerum Virgilia Antollietta miſerè excruciabatur, nec medicorum ſuppetiæ quicquam profecerant; quare eorundem monitu adijcere ad ſupremas curas animum iubebatur, hoc vtique morbo interitura: ſed Bernardinus longè aliter pronunciauit, ac valituram denique poſt diuturnam conflictationem prædixit, vicitque Senis ſententia, nam ipſum annum importuna peſtis fœminam duriter habuit, tunc ſolum remittente doloris morſu, cùm Bernardinus laborantem crucis ſigno munierat. Huius item germano fratri eodem remedio præſtò fuit Bernardinus; etenim ingens illi intra renes, & ilia adnatus ſcirrhus omnem medentium induſtriam eluſerat ſic, vt pro depoſito iam haberetur, ſed Senex ægrum inuiſens, reſolutis faſcijs affectum corpus cruce ſignauit, iuſſiſque bonum habere animum familiaribus, ſequuturam valetudinem dixit, nec prædictio effectu caruit, cōfeſtim enim pus, ac cætera ſanies confluere in ſcirrhum (quod diu, ſed fruſtrà laborauerant medici) ac demum omnis valeſcere paucis diebus eſt viſus, demirantibus chirurgis deſperatam homini valetudinem tam ex facili redditā.

 Ioan-

Ioannem Baptiſtam cognomento Tuſum Sacerdotem è Societate morbus articularis triginta iam dies excruciauerat adeò, vt nec ſine ſubalaribus fulcris niti, nec niſi aliena ope, magnoque cruciatu verſare ſe in lectulo poſſet; ſed Bernardinus dexterum femur veſte contectū cruce expians, momento firmum, valentemque apprimè reddidit. Quidam, cui Georgio nomen, profeſſione coriarius, fortè per æſtatem longiore itinere fatigatus cœpit è reumatiſmo cruribus grauiter laborare, vt ingredi omninò non poſſet: acceſſit ægritudini inopia, cùm enim ſe, familiamque ſuam quæſito per labores victu ſuſtentaret, morbo fractus, vnde ſe, ac reliquos aleret, nihil habebat. Mœror etiam laborantem inceſſerat veritum nè per omnem vitam debilis ageret; ergò vt in rebus iam conclamatis, certus animi Senem adire, hinc duabus filijs, inde bacillo nixus adrepens, ne ſic quidem agens ſe niſi admodum lentè, tandem ad Bernardinum deuenit, apud quem in queſtus, in lacrymas, in vota effuſus orare, obteſtarique per Deum crura vt ſibi cruce expiaret, nec Bernardinus ſe diu exorari paſſus, voti compotem fecit; cæterùm vt occultaret miraculum, ad D. Irenes aram ſalutare ſemel Martyrem iuſſit pollicitus fore vt è veſtigio ſaneſceret; paruit illicò miſer, ſeque ſtatim tam validis cruribus ſenſit, vt fulcro omni valere iuſſo, benè firmus, ac ſoſpes ſine vllis adminiculis domū ad labores priſtinos remeauerit. Iam illud, quod ſequitur longè præſtantius. Mater improuida per noctem mole ſua preſſum infantem in lectulo ſuffocauerat, quē manè frigentem, & omninò exanimem reperit; igitur dolore anxia, recens extincti ab ſe pignoris cadauer Bernardino cum lacrymis ſiſtit, opem, & viuificum crucis ſignum expoſtulans, qui inſontis puelli caſum miſeratus, ſignatum cruce infantem vitæ pariter, & matri reſtituit. Adoleſcenti, cui Horatio nomen è gente Theophilata

lata, prætenta vtrique lumini maculoſa tunicula oculorum aciem corruperat ſic, vt cùm vellet aliquò concedere, ductoris manu indigeret, & iam triennium agitauerat cæcus, cùm à familiari ad Senem deductus, apud illum dolere vicem ſuam cœpit, ſed Bernardinus iuſſis in genua ambobus procumbere, vtrunque oculum cruce ſacrauit. mira res, illicò cæcus nonnihil, ſed quaſi ſub luce maligna cernere, mox etiam breui veluti diſpulſa nebula, aperiente ſe die, integræ lucis vſura frui cœpit. Erat itidem alia, cui Maria vocabulum, mulier tertij Franciſcanorum ordinis autorata legibus, quæ haud diſſimili oculorum peſte laborabat; etenim ſuffuſio grauis, quam pellucidam vocant, vtrunque miſeræ oculum viciauerat, quamobrem flere infelix aſſiduè non tam amiſſum diem, quàm quòd recitare Deiparæ, cui vnicè erat addicta, ſtatas preces minimè poterat. Fortè fuit aliquãdo, vt principis fœminæ domum peteret, eidemque triſte infortunium narraret, at hera mulieris vicem miſerata ſtatim ad Bernardinum mittit, pro certo affirmans fore vt Senis contactu oculi reuiuiſcerent; ducem itaque itineri dedit domeſticum famulum, qui manu ad Senem deduceret; paret mulier, Senemque conueniens, apud illum animi noxas anteà ſacra confeſſione expiauit, ſuãq; illi mox cęcitatem commendatum ijt: tum Senex, minimè verò, inquit, iſta cęcitas eſt, vt tute quidem exiſtimas, ſed refuſum ex atræ bilis intemperie in oculos vitium, ſtatimque cruce ſignauit oculos, at ægra protinus ab contactu lucem ſibi, diemque redditum ſenſit, adeò vt nullius ductoris opera indigens domum incomitata redierit, atque ingentes nobili fœminæ gratias egerit.

Bernardini precibus, tactu, alloquio, aſpectu oris mira quædam edita. Caput XV.

SEnem verò ipſum per ſe præſentem nihilominùs ſenſere alij, adeò vt eius preces, tactus, alloquia, oris etiã aſpectus ſalutaria eſſent. Cùm primos labores vteri experta eſt Iſabella Ventura nobilis fœmina, obſtetrix improuida pignus excipiens, bonam nerui partem maximo puerperæ dolore vnà cum fœtu detraxit: ea re mulier debilitata moliri ſe non anteà potuit, quàm extantem enormiter neruum ſummis conatibus medici abſumerent. Cæterùm hæ, ac tales artis ſuppetiæ motum aliquem fœminæ, recti tamen, atque integri corporis elegantiam reddere non potuerunt, ſic enim agebat ſeſe, vt inter ambulandum, in alteram partem ſe inclinaret: acceſſerat etiam contracti cruris deformitas ex ea parte, vnde nerui debilitatem acceperat. enimuerò omnem vel ingenij, vel artis induſtriam fatigauerant medici in ea perſananda, ſed magnis conatibus nullum pretium operæ fieri potuit; quare depoſitæ debilitatis damnata triſte æuum agitabat. ergò mulier deſperatis naturæ ſubſidijs, contulit ſeſe ad diuina, ex eoque genere aliqua etiam irrita experta eſt. Interea loci Bernardinus laboranti ſingulis ſabbathis præſtò erat vt illius animum piacularibus myſterijs procuraret. Interim pluribus nequicquam adhibitis, ſubit periculum facere num Realini manus maius aliquid præſtare poſſent, ſed verita viri modeſtiam, cognitoque quantùm ab huiuſmodi tactu abhorreret, nihil tale vnquam rogare eſt auſa: lacrymis itaque vbertim perfuſa intra domeſticum ſacrarium vicem ſuam apud illum dolere, & non tam corporis deformitatem queri, quàm quòd non aliàs poſſet ædem Societatis inuiſere. Ad ea Senex animos faciens, blandèque

ægram

ægram affatus prædicit fore vt intra menſem ſuis ipſa pedibus niteretur,& Collegium reuiſeret,mox laboranti Diui Andreę Apoſtoli liquorem peniculo aſpergit;enimuerò quòd Senex cælatum ibat miraculum,& aliò deriuare,non tulit miraculorum princeps author,& opifex Deus. igitur nihil liquore illo profectum eſt; quod vbi Senex aduertit,eundum in preces monet,preſſiſq; humi genibus ſupplicare cælitibus,recitandis ad aram litanijs inſtituit, cùm ecce tibi arctior fœminam ſomnus blandè complexus ſemihoram tenuit, quæ demum excitata precantem adhuc ante aram Bernardinum reperit, ſenſitque ſecundum quietem femur ſibi,& crus benè firmata,quare impos animi à gaudio exilire,diſcurrere,exclamare,ſeque perſanatam Bernardini precibus dicere. Exciti ad tantam hilaritatem domeſtici accurrunt,atque heram ſoſpitem,diſcurſantemq; gratulati, proni terram deoſculantes,ingentes Numini gratias agunt. Cæterùm Senex vt plauſus anteuerteret, clam ſe ſe ex ædibus repentè proripuit,quæſituſque nuſquam apparuit. Fortè per æſtatem Lycio rus conceſſurus Leonardus Bellus loco nobili vnà cum cætera familia, Ioannem etiam Baptiſtam filium aſportabat: huius adeò ſuper carrum vehentis ante pendulis cruribus lapis ingens in via rotis interiectus alterum pedem per cæcam noctem inobſeruatus excepit,.qui ſcilicet miſerè inter imum vehem, & ſummum lapidem colliſus eſt. adoleſcens dolore percitus ingentem ſtridorem edidit,quo domeſtici exanimati,ecquid pueroaduerſi acciderit illicò explorant,atq; in præſentia quidem ſolum tumorem inueniunt, cæterùm ſequuta mox febri, redeunt in vrbem, vbi æger triginta ipſos dies maximis doloribus maceratus ne tactionem quidem vllam ferendo erat:iamque omnem in curando operam medici luſerant, cùm adoleſcentis amita bene mane Senem conuentum rogat, vti pro eo fratris filio

ea die ſacrum ad aram faciat. gerit fœminæ morem illicò Bernardinus, ac mox æger accitis familiaribus reſediſſe dolorem repentè nunciat, ſtatimque è lecto proſiliens perſanato pede moliri ſe, atque ingredi nullo negotio cœpit, adeòque pes illi exilijt integer, vt nullum attritæ plantæ veſtigium appareret: ſubductis itaque temporum articulis, omninò tunc ipſum valuiſſe puerum compertum eſt, cùm pro ægroto Senex ad aram faceret. Agitabat æuum Lupijs Albericus quidam domo Ciſalpinus, qui febri acriore correptus proximè aberat ab interitu; cùm itaque imminere iam ſibi exitium cerneret, mittit exoratum Senem, vt pro ſe Diui Nicolai, in cuius præcipuè patrocinium, tutelamque conceſſerat, precationem recitaret. Audijt Bernardinus, dumque ritè D. Nicolao ſupplicat, interim domi ſuæ æger repentè, integrèq; conualuit. Eſt Lupijs Gynæceum D. Ioanni nuncupatum. hìc Aurelia Ventura clari ſanguinis aſcetria aliquot annos defecta viribus exoluere precum penſum cum cæteris in odeo non poterat; hoc verò pia mulier ferebat admodùm ægrè: igitur miſit qui ſibi à Bernardino preces expoſcerent, at Senex cùm ſe iturum in preces reciperet, renunciari fœminæ iuſſit, vſque eò valentem illam futuram in poſterum, vt in omnem vitam nauare odeo operam poſſit. Dein cùm fidem ſuam fuſis precibus liberaret, ægra continuò ſic ſe confirmatam integris viribus ſenſit, vt cum cæteris pſalmodiæ intereſſet, & alternis vel extrema ſenecta caneret. Alia itidem, cui Margaritæ Marinaceæ vocabulum, cruribus, & brachijs capta, haud agere ſe quoquam infelix quibat. hæc adeò per certum hominem de valetudine ſua Senem edocuit, preces ſcilicet ab eo enixiùs poſtulans. Bernardinus fœminam miſeratus, & preces pollicitus eſt, & animos faciens, breui valituram prædixit. Nulla mora interceſſit, cæpti repentè ſenſim firmari artus, quos omninò valen-

tes

tes mulier experta mox eſt. Huius verò propinquæ Aureliæ Marinaceæ grauis abſceſſus mammas obſederat,& ægra mitioribus vſa medicamẽtis nullum mali leuamen ſenſerat; ea re medici iam ſcalprum exciſorium parabãt; ſed verò germana carnificinam abominata, author ſorori extitit ne ſe ferro committeret donec Bernardinum conſuleret; enimuerò ſenex probare conſilium fœminæ, & ſcalpellum pariter deteſtari, preceſque vltrò pollicitus prædixit fore vt ſuppuratio ipſa erumperet,atque ita ſalus laboranti rediret. Rediјt extemplo ſoror cum bono nuncio, ſed tantùm quòd pedem in ædes intulerat, cùm ægræ abſceſſus vltrò in quinque hiatus erumpens, pus omne, ac ſaniem euomuit: ergò illa occupatam ſuæ rei ſucceſſu animaduertens,exclamare mirum ingens,& & Bernardini præſentiam, præſenſionemque ſummis in cælum laudibus ferre. Viginti ipſos annos ſine liberis cum viro ſuo Regij ærarij præfecto Vincentia de Syluam matrona nobilis egerat, nec dum tamen deſiderium ſobolis ferre aſſueuerat; quamobrem Bernardini precibus ſe commendatum iuit aliquando,nec fruſtrà,breui enim voti compos effecta marem enixa eſt. Eandem in ſuſcipiendis liberis precum vim ſenſere aliæ,nec ignobiles fœminæ. Dux Lizanenſium matrona clari ſanguinis Zenobia Pignatella cognito ſororem ſuam inter enitendum expiraſſe,cùm vterum & ipſa ferret,timere ſibi vehementer ne gemino infortunio iret fortè ſorori par,cœpit: Sacerdotem itaque de Societate quendam rogauit vt ſe Bernardini precibus commendaret, quod cum ille officium nobili fœminæ perhumaniter præſtitiſſet,mox Zenobiæ reſcribens, duo potiſſimum notatu maximè digna in literis addidit, alterum præcinuiſſe Senem, ipſam felici niſu parituram,alterum IV.Kal.Nou.hora diei ſextadecima Bernardinum pro ea rem diuinam feciſſe. mirum profectò ingens.Nuncius in ante .d.III.Kal.Nou.

literas Duci reddidit, ac pridie eius diei, ea ipſa ſextadecima diei hora heram partu feliciter ſolutam reperit. Legum quidam peritus, cui Horatio Colucio vocabulum, affinem ſuam in partu periclitantem Seni commendauit, triduum enim infelix fœturæ labor tenuerat, nec dum partu ſoluta mulier agebat miſerè animam. Bernardinus diſcriminis certior ſtatim ad Diuæ Irenes aram in preces effundi, ac litanias recitare eſt ingreſſus, quibus denique abſolutis, abi, inquit, iam propinqua feliciter eſt enixa, neque aliter interim rem domi eueniſſe Iuris conſultus inuenit. Iiſdem precibus, nec ſucceſſu diſſimili Portiam quandam, & Olympiam, aliaſque longe plurimas, dum inter enitendum conflictarentur, prædicto interdum felici partionis euentu, periculo abſtinuit. Puerum cui Leonardo nomen, dyſuria miſerè excruciabat, ſed à familiari ſuo ad Senem deductus, ad eius preces tanquam ad certum ſalutis aſylum confugit. Bernardinus iuſſis ambobus in genua ſecum vnà procumbere, cognominem puero Diuum Leonardum prece Dominica, & Angelica ſalutatione vocare cum ijs ſemel inſtituit; quibus peractis laborantem lætus dimittens prædicit nunquam in poſterum dolore nephritico eiulaturum, nec diſparem à Senis vaticinatione puer euentum expertus eſt. Lælius Ptolomæus per ſacros quadragenarij ieiunij dies Lupijs tunc primùm concionum labores iniuerat, nec ſine grata audientium admurmuratione oratoris egregij nomen ſibi, famamque collegerat. cæterùm quanquam benè, ornatèque dicendi cætera laude egregiè erat inſtructus, præcipuum tamen oratorum robur, & decus lacrymas vnas deſiderabat, idque vnum illi dolebat maximè quòd germanum animi dolorem teſtari lacrymis dicendo non poſſet. Ergò cum de acerbiſſimis Chriſti cruciatibus per ſanctiorem hebdomadam ad frequentem populum concionem habere

vellet, à ieiuno, languidoque dicendi genere non mediocriter ſibi timebat. Reſcijt id fortè Bernardinus, ſuperq; ea re precibus ad Deum fuſis, bonum animum habere iuſſit, non enim ipſum modò, ſed concionem vniuerſam verbis ipſius ingentem vim lacrymarum daturam: nec res aliter euenit, ijs, qui aridum dicentis ingenium nouerant, ingenti admiratione correptis. Adoleſcens quidam nomen Societati dare quàm qui maximè auebat, eratq; omnibus vel ingenij, vel naturæ dotibus ad Societatem maximè idoneus; nihilominus tamen plures annos precibus moderatores fatigans, nihil extorſerat: tandem huius ipſius germanus frater, qui tum Neapoli inter Socios agebat, ad Senis preces per literas confugit, qui lectis literis, daturum ſe ad Deum preces recepit. vix Bernardini literæ redditæ homini ſunt, cùm re iterum tentata, ſtatim qui prouinciæ præerat, ne adhibitis quidem, vt fit, conſultoribus, adoleſcentem in Sociorum numerum cooptauit, eundemque ad ponendum cum cæteris tyrocinium ad Æglen tyronum ſedem confeſtim miſit. Mulier maturi fœtus doloribus preſſa Bernardini preces expoſtulatum fratrem germanum miſerat, & Senex tunc ipſum pro puerpera ſalutaturum ſe calculis coronarijs Virginem dixit; ſed cùm frater domum rediiſſet, tantùm non exanimem ſororem reperit, infans enim exerto brachio, ita ſe cætero corpore tranſuerſum egerat, vt efferri ex vtero nequaquam poſſet. Cæterùm cùm Virginis preces Bernardinus iam abſoluiſſet, puer reducto brachio ſtatim ab incolumi parente ſoſpes in lucem eſt editus. Iam ipſius oris aſpectus nihilò præſens minùs interdum extitit. Mulier, cui Laura vocabulum, biennium animi impos egerat, ſed veſaniæ morbum aliqui mali dæmonis inſidentis fœminæ intemperiem rati, ad Diui Viti Pulianenſis deducunt. verùm & hìc fœmina inſolentiùs furere, maioreſque emotæ ab ſtatu ſuo mentis notas

oſtendere. hac igitur ſpe deiectus vir coniugem Bernardino à matronis nobilibus ſiſtendam curat, nec ſua hominem fides fruſtrà habuit. Mulier vt ante Senem adſtitit, illicò ſe pro ſana gerere, nihil temere, & inconſultè agere, nec loqui aliena, ſed potiùs confeſſione apud illum purgauit animi noxias, quid multa? ita conualuit, vt nullum veſaniæ in poſterum indicium fecerit. Aliam item ſine gente fœminam, quæ apud Sternatienſium dynaſtam liberaliter ſeruiebat, idem veſani animi morbus inuaſerat, eaque ipſa cacodæmone obſideri primùm eſt habita, ſed compertæ demum amentiæ multis argumentis damnata eſt. hæc verò aliquando in ædem ſe Societatis contulit, eoque loci conuento ſibi ſene opus eſſe dixit; accitus itaque præſtò eſt Bernardinus, quem ſimul vt veſana conſpectum habuit, abijcit illicò ſe ad pedes, verùm id non ferens Bernardinus, ſtare iuſſam ad confeſſionale ſubſellium reducit, ibique diù iam mentis compotem allocutus, tandem exhomologeſi expiatam, ſanam dimiſit, neque exinde conflictata ampliùs morbo demētiæ eſt. In promontorio Hydruntino oppidum eſt, cui Cucumolæ fecere nomen indigenæ. hìc mulier honeſtis orta parentibus vſque eò de mente exierat, vt nulla ſexus, nulla natalium, nulla denique pudoris ratione habita, non ſine propinquorum dehoneſtamento nudā ſe ſe in publicum daret; id vt cauerent domeſtici, arcta cuſtodia coërcitam domi habebant; ſed verò hìc tam multa turbare, vt pro energumena ad Diui Viti Puliniananenſis deducta ſit, verùm labore irrito, quamuis enim veſania laborantibus Diuus hic præſens habeatur, tamen redditæ huic mentis laudem in præſenti Deus Bernardino ſeruatam voluit. Ergò tētatis nequicquam omnibus, Seni tandem noſtro veſana ſiſtitur, quam conſpicatus Bernardinus, ſtatim iubet in genua procumbere, ac placidiſſimè affatus ſanitati illicò redditam, ac my-

ſterijs

ſterijs piacularibus expiatam dimiſit. Mulierem Carmelitanæ familiæ tertiariam diù cõflictatam nephritis peſſimè habuerat, iamque ſex dies ferali dolore macerata, quanquam inuitis domeſticis, lentis greſſibus curua ad ædem Societatis reptans non ſine ingenti labore ſe contulit, atque hìc accitum Senem de morbo certiorem facit, à quo fore vt quamprimùm ſaneſceret audijt. mirum ingens. ſecundum hæc dicta ſtatuit ſe in pedes, ac nullo dolore domum reuerſa calculum morbi iuxta, & cruciatus cauſam enititur. Aliam item, cui Catharinæ vocabulum, grauis dexteræ coxæ dolor octo ipſis mẽſibus adeò torſerat, vt niti ſine magno labore non poſſet, nec adhibita medicorum ſubſidia vllum operæ pretium fecerant, quare Indicum laboranti lignum dare conſtituerãt medici. ſed verò pudica mulier id genus medicamine, quòd malè vulgò audiret, vti noluit, nomini ſcilicet ſuo ab obtrectatoribus garrulis metuens. Igitur ad Bernardinum vt eius preces expoſceret, non ſine maximo conatu perrexit, qui de morbo audiens, bono animo eſſe iuſſam, quamprimùm valituram pronunciat; tum mulier, quin tu, inquit, Pater affectam mihi corporis partem, vel ſigno crucis, vel alio, quo maximè lubet tactu expias? ſed negauit id Senex ex vſu eſſe, ac vix ea, cùm eo ipſo puncto temporis mulier erigens ſe ſine dolore vllo ingredi cępit, ſoloque Senis affatu perſanatam ſe oppidò ſenſit. enimuerò huiuſce rei rumor latè per vrbem vagatus exciuit aliam non diſſimili peſte miſerè laborantem, quæ eodẽ pacto ad Senis tantùm verba conualuit, ſoſpeſq; domum reuenit, quæ morbo grauis acceſſerat. Iſabellam Antolliettam Fragagnanenſium Dynaſtæ filiam Dominicani Ordinis tertianam angina grauis afflixerat, adeò vt quatriduum ipſum ne guttulam quidem aquæ glutierit: inuiſit ægram Bernardinus vt confeſſionem exciperet, ac fortè fuit, vt inter ſacræ homologeſeos ſolennia verba fę-
minæ

minæ caput attingeret, quo illa veluti alexipharmaco
accurata, ita ſe meliùs habere cœpit, vt reficiendis viri-
bus cibum ſtatim repoſceret, quo appoſito Senem roga-
uit vt illum expiaret, nec ille abnuit, quo facto ægra bel-
liſſimè hauſit: adſunt porrò ſequuto mane medici para-
ti ferro peſtem depopulari, verùm vbi valentem ex nec
opinato deprehendunt, & Bernardinum in cælum lau-
dibus tollere, & patrati puncto temporis miraculi ma-
gnitudinem efferre ingreſſi ſunt. Eques Hieroſolymita-
nus, cui nomen Horatius è gente Guidana, acri febre
correptus, iam ad vitæ exitum properabat; igitur vt ſibi
tempeſtiuè cōſuleret, religioni neſcio cui obnoxius Ber-
nardinum accerſijt, nempe vt iniectum ſibi ex animo
ſcrupulum velleret; adfuit illicò vocanti Senex, autemq;
conſulenti humaniter accommodauit, dein capiti ma-
nus admouens recitatis pijs aliquot precibus, inter di-
ſcedendum, hæc te, inquit, in præſens religio minimè ſo-
licitum habeat, erit enim cùm in Collegio mecum per
otium rem diligentiùs excutias, ibi omnia bellè compo-
nes. Quid multa? quanquam proxima luce interiturum
medici edixerant, tamen ſecundum Senis attactum, vſq;
eò eſſe illi melius cœpit, vt ſequuta proximè die abijſſe
ex toto febrim ſenſerit, neque ita multò poſt, confirma-
tis apprimè viribus, exoluendæ religionis cauſa Senem
in Collegio conuenerit. Lucretiæ Petrarolæ Neapoli
æuum agenti dexterum humerum, & brachium diſtilla-
tio vehemens peſſimè affecerat, ſic vt brachium illi ſe-
gne, atque iners in totum ab officio ceſſaret, iamq; mali
vis medicamenta peruicerat. Igitur ægra medicorum
præſidijs valere iuſſis, conſtituit Lupias ad patrium cæ-
lum remeare, & Bernardinum reuiſere, rata fore vt vel
ſolo Senis aſpectu ſaneſceret, nec ſpes fœminam fruſtrà
habuit. poſtridie eius diei, quo die Lycium tenuit, matu-
tino ad Senem adijt, eiuſdemque manum piè officioſa

per-

perſtringens; ad vitalem attactum ſenſit affectum diù brachium,humerumq; micante illicò ſanguine, quodãmodò reuiuiſcere,quæ pro aridis, atq; inertibus iam cõclamauerat;quamobrem ſana, atque hilaris domum redijt, nec vllum inualetudinis priſtinæ indicium ſenſit in poſterum. Faber, cui Bernardinus à confeſſionibus diù fuerat,dyſuria miſerè excruciatus, laterum etiam dolore conflictabatur, & medici proxima nocte, ad ſummum die proximo exceſſurum pronunciauerant, edixerantq; vt ſupremis myſterijs ritè animum procuraret. Aderat fortè ſeueris imperijs Bernardinus, qui laborantis caput leniter manu permulcens,negauit hominem illo vtique morbo interiturum,quin addidit rurſus fore vt breui ſaneſceret,ſeque pro eo preces daturum recepit. Vatem vera ceciniſſe oſtendit euentus: proxima nocte multas horas æger vrinam reddidit,ac mane medici non exanimem,ſed quiete placida ſoporatum,ſanumque cùm inueniſſent, Bernardini præſenſionem ſunt admirati. cæterùm æger triduò poſt calculum oleaceum,nec magnitudine oleæ imparem nullis medentium opibus facilè enititur. Mulier tertio Dominicanæ familiæ ordini adſcripta,capta pedibus,cùm ingredi nulla ratione poſſet, ſeſſitare totos dies cogebatur, iamque pedibus maligna lue depaſtis,vlcera in carcinomata fœda verterant. Huic aliquando expiandi per homologeſim animi apud Bernardinum cupido inceſſit, & Senex accitus confeſtim aduolat,mox vbi de morbi pertinacia cognouit, reiecto ex humeris pallio, apertoque capite ante laborantis pedes abijcit ſe ſe,ac faſcijs vltrò religatis,tractare manibus fœtida vlcera,dein arbitris omnibus paululum ſecedere loco iuſſis,ſic tamen vt conſpici procul poſſet (credo vt dum illi terga verterent,ſecurus modeſtiæ laboranti pedes exoſcularetur) ſtatim reſtituit ſeſe, fœminæque vt poſtridie ſe ad ædem Societatis conferat,eoque loci confeſſione

feſſione noxias expurget imperat,ipſam enim iam planè conualuiſſe. neq; ex vano rem imperaſſe ſucceſſus oſtēdit; etenim proxima luce reſtitutis in officium pedibus, mulier ad Societatis templum concedens, Seni ipſi accuranda animi vulnera aperuit, quem pridie vſque eò corporis vlceribus ſalutarem experta erat. Vincentio Bozio viro nobili ſanguinis fluxio de naribus præſens exitium comminabatur, & domeſtici pro depoſito habebant,verùm inuiſens hominem ſenex, amplexuſque, ſtatim ſanum integrè reddidit; ſuppreſſo etenim ſanguine habilis membris vigor redijt ſic, vt tam ſubita valetudo omnibus pro miraculo fuerit. Sacerdos è Canonicorum Collegio, cui Annibali Mercurio nomen, graui morbo afflictus, extrema iam vitæ alea conflictabatur. In hoc rerum articulo laborantem Bernardinus inuiſit, ac peramanter eſt oſculatus. ſenſit enimuerò æger ad ſenis appulſum exiſtere illi de corpore odorem longè ſuauiſſimum,qui mortali aliquid maius(vt ipſe Annibal eſt teſtatus) redoleret,quo adeò eſt recreatus, vt illo ipſo temporis puncto & habere ſe meliùs cœperit, neque ita multò poſt integrè conualuerit.Geminum huic illud. Agebat animam Marcus Aurelius è nobili Bombicina familia,eidemque Sacerdos è Societate ſolennes iam Eccleſiæ preces,quibus morientes proſequimur,è libello de more recitabat: adijt ad depoſitum Bernardinus,dexteraq; ægrum arripiens,age ſis,inquit,ades animo Marce Aureli,iubeo te ſperare meliora,conualeſces.Quid multa? ſenis attactum æger vſq; eò ſalutarem ſenſit, vt tum ipſum eſſe illi meliùs occeperit,ac breui ſoſpes in totum mortis aleam euaſerit. Nobilis fœmina, cui Petronillæ Piſacaniæ vocabulum,trimeſtri,ac periculoſo morbo tētata,in eo erat ex medicorum edicto,vt iam de vitæ exitu cogitaret.Intereà loci fortè fuit,vt Bernardinus in eas ipſas,vbi ægra agitabat,ædes,ægroti neſcio cuius viſendi

cauſa,

cauſa, pedem inferret, ibidemque de fœminæ periculo audiret; ergò ſtatim ſe in eius cubiculum penetrat, quo facto febris è veſtigio, morbuſque omnis abſceſſit. porrò in alijs ædibus ex eadem gente per idem tempus huius Petronillæ auus Raymundus Piſacanius, vnàque vxor, ac liberi cum cætera familia ægrotabant, (vrbs enim Lupiæ ea tempeſtate, minimè quidem periculoſa, cæterùm vulgari peſte, quercera ſcilicet febri, quæ ab horrore vehementi inciperet, laborabat) ad hunc itaque aliquandò ſenex officij cauſa ſe contulit, ac ſtatim quotquot inibi malè habebant (ægrotabant autem omnes) acceſſu ſenis magnopere releuari, atque omnis illius horroris ſæuitia vſque eò exarmari cepta eſt, vt breui omnes integrè conualuerint.

Nonnullis per quietem viſus præſtò eſt Bernardinus. Caput XVI.

HÆc adeò coram, & vigilantibus in luce. Cæterùm etiam ſoporatis aliquando, & tantùm per quietem viſus, nõ inanem præſentiæ ſuæ fidem adhuc ſomniantibus fecit. Adoleſcens Lupijs, cui Ioanni Dominico nomen, anno labentis ſæculi duodecimo, diuturna, comploratаque hecticæ febris tabe conſumptus, elephantiaſi etiam ſic laborabat, vt neq; ſe in latus vertere, neque in os cibum indere manu ſua poſſet: gemina itaque peſte peſſimè conflictatus, deſperatis artis præſidijs, Bernardinum, quem ſanctimonia pollere multùm credebat, inuocabat identidem. hæc verò agitanti per noctem viſus ſecundum quietem adeſſe Senex rogitans ecquid tandem iuberet, qui ſe ſe tàm crebrò nuncupauiſſet. ad ea æger, optare ſe enimuerò precibus vt eius ſaneſceret, eo ſolùm conſilio, dixit, vt religioſo ordini

nomen dare poſſet; quamobrem Bernardinus pium præcantis votum non aſpernatus, blandiſſimè alloquens, ac manu demulcens os, ſecurum iuſſit agere, iam enim ipſum voti compotem factum, ac ſanum eſſe, poſſe proinde iam de religioſa familia ineunda ſeriò deliberare, ac ſecundum hæc ſtatim euanuit: mane poſtero ſomno ſe pariter, & morbo ſolutum ſenſit adoleſcens, & cùm ſomnium domeſticis enarraſſet, tunc ipſum è lecto proſiluit, ſeque ad Collegium contulit, eoq; loci Bernardini Socio adiutori narrauit ſomnium, mox valentes reapſe vires expertus egit cum ſeuerioris diſciplinæ profeſſoribus, atque aſſeclis Capucinis Patribus, vt in eorum numerum cooptaretur: ſed hi ſcilicet veriti cum nuperrima valetudine tàm aſperè, ac duriter agi tàm repentè non poſſe, periclitari tantiſper vires decreuere. ergò annum ipſum, experiendæ ſanitatis cauſa, poſtulatum adoleſcẽtis prolatum eſt, quo circumacto compertus denique virium, voti compos effectus eſt. Adoleſcens item quidam Noſtratium biennio ferè poſt Neapoli vehementi febre, ac parotide graui afflictus cæleſte viaticum ſumpſerat: iamque inibi erat vt ſacro etiam oleo perungeretur. Valetudini dolor acceſſerat cum inſomnia, & maxillarum neruos ita contraxerat, vt cibo conficiendo non eſſet: ad hunc Sacerdos è noſtris Iulius Cæſar Recupitus adiens rogat ecquàm bellè ſe habeat; ille verò vix ſe compotem ſui eſſe præ dolore reſpondit, ſeque perpetua vigilia vrgeri inſuper addidit. Ergò Recupitus arundinem Bernardini, quam æger Lupijs olim aſportauerat, abſceſſui adhibens, eundem pro ſomni conciliatore vocauit, nec fruſtrà, nàm vix preces abſoluerat, cùm æger conniuere primùm, dein arctè ſopiri cęptus, nec quies interim inanis ceſſit, viſus enim in ſomnis ſenex animos facere, doloremq; defiturum ſtatim, ſed parotidem lentiùs quidẽ, & ipſam tamen aliquando perſanandam prædicere. Nec

vana

vana ſomniaſſe probauit euentus;excitus enim è ſomno diſcuſſum dolorem ſenſit, abſceſſus tamen lenta curatione, nec niſi ſcalpro tandem adhibito victus, medicorum induſtriæ ceſſit. Sub idem tempus Nolæ vir nobilis, cui Ioanni Thomæ vocabulum domo Maſtrilla, graui morbo implicitus ſpem vitæ omnem depoſuerat, eratq; viribus adeò accifis,vt ne pati quidem vlla remedia poſſet.Fuerat verò hic Lupijs aliquando,èque ſenis cubiculo pileum, aliaque id genus lipſana fortè ſublegerat. Igitur vbi nihil in humanis opibus ſibi reliquum ſpei videt, pileum ſibi ſenis admouet: cœpta nocte per quietem ſe illi ante oculos ſiſtit Bernardinus, certamque valetudinem pollicetur, nec fruſtrà; mane enim poſtero medici vſque eò fractam morbi vim inuenere,vt nequaquam id ſine miraculo fieri potuiſſe dicerent; at æger tantum opis in Bernardini lipſanis expertus,nunquam illa ab ſe amoueri paſſus, tam diu apud ſe habuit, donec ex toto breui valeſceret.

Icones,corona, ſcripta Bernardini mirè nobilitantur. Caput XVII.

INterim dum hæc per ſe Bernardinus miracula edit, cœpit nihilominùs per ſua etiam clareſcere. Delia Sanſeuerina illuſtris fœmina, Briaticenſium Comes tam periculosè ægrotabat, vt actum de vita omnes ominarentur. Ad hanc Iſabella Feltria Vrbinatium Ducis germana ſoror, & Biſinianenſium Princeps officij cauſa ſalutatum profecta,Bernardini pictam in tabula effigiem attulit;enimuerò ægra notos iampridem vultus Senis,vtpote cui plures annos à pueritia per ſacram homologeſim aſſueuerat, agnouit ſtatim. ergò Patris ſui conſpectu læta,iconemque piè admodum exoſculata,

ita morbum excuſſit, vt eo ipſo momento temporis ſtupente familia planè conualuerit. Sacerdos quidam è Societate, cui Alphonſo Pariſio nomen, Grimaldi (citerioris Calabriæ pagus hic eſt) periculoſa admodum febri conflictabatur, inde verò Conſentiam ad Societatis Collegium delatus iubet acciri medicos, qui, vi morbi cognita, conclamatum pronunciant: fortè fuit, vt in quo Pariſius iacebat cubiculo, ſuſpenſa de pariete Bernardini imago penderet; in hanc vt coniecit oculos æger, ſupplicibus votis aut ſibi maturum funus, aut citam valetudinem, ne longior ægrotatio negotium domi faceſſeret, per Bernardini merita Deum precari inſtituit. Dictum factum. mane proximo cùm noua febris acceſſio conficere laborantem deberet, repentè ſolutus omnis ex morbo eſt. Horatius cognomento Verdutius forenſium cauſarum triumuir agebat Lupijs, ſed graui apud multos inuidia conflagrabat; quare obtrectatorum calumnijs impetitus timere ſibi iam cœperat: cæterùm vt erat innocens, affuturam ſibi præſentiam Numinis per Bernardini merita non deſperabat. Interim dum hæc ſecum agitat, in eius imaginem fortè coniecit oculos, ac mirum dictu ſenem ipſum videt veluti diſcedere è tabula, atque appellere ad ſe ſe, plurimaque, quaſi animos mœrenti faceret, humanitatis ſigna edere. quid multa? inde feliciter ſibi ceſſura omnia Verdutius pro certo habuit, nec ſanè fruſtrà, breui enim omnia aduerſariorum tela facilè exijt. Lucretia Petrarola ſæpè nobis aliàs memorata, medicorum omnem induſtriam Lupijs nequicquam fatigauerat, laborabat enim abſceſſu graui ſupra hepar, nec febris peſtilens deerat, quæ ita ægram confecerat, vt ſupremis ritè myſterijs expiata vitæ exitum opperiretur. Ergò in hoc rerum ſtatu ſubijt animum ſpes Bernardini meritis conualeſcere, ea re calculos coronarios ſenis apponit ſibi: vix horæ quadrans effluxerat,

cùm

cùm nullis naturæ,nullis medicorum præſidijs, hiante vltrò abſceſſu, cœpit Lucretia ex ore ſaniem, ac pus intolerandi fœtoris euomere; qua peſte demum feliciter egeſta,receſſit ex toto febris,recreatiſque ſtatim viribus, ita melius habere cœpit, vt die perendino ſoſpes è lecto,atque integra proſilierit. Acceſſit etiam illud veluti miraculi auctarium, ſubinde enim ſupra hepar doloribus tentata,vix eandem ſenis coronam admouerat,cùm fugari repentè omnem doloris morſum ſentiebat; atque hæc reuiuiſcentis per interualla morbi pertinacia dies ipſos quadraginta tenuit, donec tandem ex toto ijſdem Bernardini calculis eſt profligata. Iam pignorum ſuorum vim nec Bernardinus ipſe neſcijt,quin potiùs etiam ijs feliciter vſus eſt aliquando. Quendam ita macerauerat febris,vt propiùs iam ab interitu abeſſet: hunc adeò germana ſoror ſeni commendatum ijt, qui fœminam macte animo eſſe iubens,fratrem illi ſoſpitem breui, valentemque eſt pollicitus; dein eidem Virginis calculos precarios attribuit, quos apponeret laboranti; paruit mulier,atque ægrum vix ſalutare pignus attigerat,cùm repentè omnis morbi violentia receſſit ſtupentibus medicis, qui ſanitatem tam ſubitò redditam,manifeſtam miraculi eſſe dixerunt. Aliam item ex vicino pago mulierem inſomnia pertinax menſibus quinque ſic emaciauerat, vt pro attonita vulgò, & mentis emotæ haberetur, & inſanus dolor per omne corpus latè debacchatus miſerè afflictabat. Hanc verò vbi tam grauiter laborantem vidit Sacerdos quidam è Societate, miſeratus ſcripſit ad ſenem, eiuſdemque ſertum Deiparæ ſalutatorium infelici pro amuleto expoſtulauit; nec Bernardinus abnuit;calculos itaque ad Patrem miſit,quibus collo applicitis, ſtatim fœmina ſomnum capere, ac tam placidè per triduum,quo ſertum apud ſe habuit,ſopita eſt, vt omnem in poſterum inſomniæ languorem excuſ-

ſerit.

ſerit, Quædam,cui Angelæ Carettæ nomen,lethali morbo correpta,tandem extincta eſt,aut certè ita omni plane ſenſu deſtitui viſa, vt non temerè pro exanimi vulgò ſit habita. Igitur campanæ pulſu funeris ſignum datum eſt. cæterùm ſocrus,Bernardini globulos precarios exanimi admouit,quorum attactu redire vigor,ac planè reuiuiſcere ſic, vt ſibi ſuperſtes aliquot annos eſſe demum viſa ſit. Neque illud diſſimile. Catanzarij (Vrbs eſt Calabriæ percelebris) quidam iam morti proximus, rigere ſic cœperat,vt iam exceſſurus videretur;verum Bernardini precarijs globulis laboranti adhibitis ſoſpes repentè & funus, & languorem excuſſit. Beliſarius Aquauiua Neretinorum Dux, cùm venatum aliquãdo conceſſiſſet in ſyluam,ſubita cæli tempeſtate coorta,ſe ſe in campeſtrem turrim cum ſatellitio receperat ; ergò hic, donec turbo ille deſæuiret, dum vnà pariter opperiuntur, ecce tibi è ſinu ſordidæ nubis excuſſum obliquum fulmen terigit primò turrim, bonamque eius partem magno cum fragore eſt demolitum, mox ſe repentè per ſcalas in conclaue ipſum, vbi cum ſuis agebat Dux, cum impetu egit,ac Beliſarium impetens, ſiniſtram totius corporis partem lethali peſte corripuit.Igitur Dux in ea ipſa,in qua primùm ſella conſederat,attonitus,ac ſopitus, tantùmq; non exanimis hæſit,comites interim, nequicquam omnibus exploratis vt hero ſuppetias ferrent,cõſilij inopes,tandem impoſitum carro domum, vt in malis, quàm commodiſſimè exportant : quò vbi delatus, cœpit iam compos ſui periculum æſtimare;quamobrem ſupremis curis adijciens animum, expiatiſq; per ſacram homologeſim animi noxijs, cæteris ſubinde periclitantium ſacris eſt procuratus. Interim vxor inopino malo perculſa, ad Bernardini opem confugit, ac per certum hominem literas ad ſenem mittens de domeſtico infortunio, narrat,enixiùs preces efflagitans; at ille de tota re
cer-

certior reſcribit fœminæ, virum haud dubiè ſoſpitem euaſurum, & cauſam addit, quòd cùm in eo vitæ d ſcrimine ſalutaria Ieſu, ac Mariæ nomina piè vocaſſet, fieri nulla ratione poſſet, quin hæc ille ſibi demum præſentiſſima experiretur. Redditæ ſenis literis literæ cum certa ſpe valetudinis gaudium ingens fecere. cæterùm mali vis ſæuire in dies atrociùs, ac rebus vſque deterioribus, medici victurum deſperauerant, non tamen vxor animos deponere, quin potiùs Bernardini literas viro legendas dedit, monens vti ſe, ac valetudinem ſuam Numini tanto pignore mactus commendaret: æger vxoris dicto audiens ſenis epiſtolam pectori admouet, ac mirum dictu, tantùm quòd laborantem literæ attigerant, cùm omnis illicò afflati, tactique de cælo corporis languor, ac peſtis abſceſſit. Hunc ipſum aliàs graui, ac perículoſo morbo implicitum, ac depoſitum à medicis, Bernardinus eodem literarum ſuarum alexipharmaco facilè ſanitati reſtituit, etenim lectis literis æger, quibus certò vaciturum ſpoponderat, atque ad ceruical appoſitis, repentè recedere febris, ipſe verò placido ſopore compoſitus intra biduum è lecto ſoſpes exilijt. Nec diſſimilem in Bernardini literis vim expertus Donatus Antonius Mareſcallus Sacerdos è Societate Beneuentani Collegij Rector; octiduum enim inſomnis egerat; verùm ſenis epiſtolam conſpicatus, quam quidam è noſtris ſcriptam ad ſe, laboranti attulerat, auidè arreptam ſub puluillo condidit, diuinam interim opem per Bernardini merita implorans, nec fruſtrà, cùm enim ſoporatus egregiè per noctem eſſet, poſtero mane exarmatam febrim medici inuenere. Mulier Catacenſis, cui Fauſtinæ vocabulum, lethali ſtomachi morſu correpta, periclitabatur etiam ex febri, iamque cæleſte viaticum ſumpſerat, ac teſtamentum fecerat, ſed admota vbi maximè ſæuiebat dolor ſenis epiſtola, dolorem omnem, periculumque integrè excuſſit.

cuſſit. Agebat Catanzarij Helena quædam domo Neapolitana, quam apoplectica ſideratio tam grauiter aliquando corripuit; vt non vocis modò, ſed cæterorum pariter ſenſuum vſuram ademerit. Egit itaque quatriduum attonita, neque vllum, quo expiari ab homologeta poſſet, pœnitentis animi ſignum edidit; tandem ſuppoſita capiti ſenis epiſtola, reſipuit, ſtuporemq; omnem, ac ſenſuum pigritiam excuſſit. Barij cuidam forenſium cauſarum Iudici profuſione ſanguinis, & hepatis ardore peſſimè habenti pharmacum medici edixerant, verùm hic præſentius alexipharmacum ſenis literas cœpta nocte ceruicali ſuppoſuit, ac mane proximo tam valens, atque habilis, vtraque peſte diſcuſſa, eſt inuentus, vt eodem die tota vrbe vagari non ſine medentium ſtupore ſit viſus. Aſſidua febris, & ſolutæ alui intemperies ſeptimeſtrem puellam Angelam Caputam Carouinienſium Toparchæ filiam miſerè habebant. Pater itaque Bernardinum per literas de valetudine filiæ certiorem facit, eius illam fidei, precibuſque commendans: ad ea ſenex reſcribens, Angelam minimè morituram prædixit, ſed tanti omen nominis hìc inter mortales priùs, dein apud Superos, ac Cælites impleturam. Prædictioni non defuit euentus; Pater lectis literis, eas ſuper filiolæ corpus imponit, ea verò ſtatim ſoporari, nouendiali antea inſomnia cóflictata, mox ſecundum benè longam quietem ſoſpes, & integra ſomno iuxtà, morboque ſoluta eſt; neu quid de ſenis vaticinatione periret, iam natu grandior ab ſuſcepto religioſæ vitæ conſilio nulla ratione abduci potuit, ſed Neapoli inter aſcetrias religioſæ vitæ ſacramento eſt autorata. Illuſtris fœmina Guardiæ Dux, cui Beatrici vocabulum de Tolſa familia, imminente partu, per literas ſeni ſe ſe commendatum iuerat, verùm prius quã Senis reſponſum acciperet, fœtum quidem facile edidit; cæterùm non leue damnum ab ſecundis fecit, nam cùm illis

illis egerendis non eſſet, præſens exitium imminebat, & iam deſperauerant medici, cùm ecce tibi commodùm, laboranti ſenis literæ redditæ ſunt, quibus vtero admotis, ſtatim illarum præſentiam ſenſit ſecundis feliciter redditis. Aliam item nihilominùs illuſtrem matronam de gente Filomarina, cui Iuliæ nomen, grauia capitis vlcera diu conflictauerant, omnibus artis humanæ præſidijs nequicquam adhibitis: quare ægra rem conclamatam exiſtimans, ad Bernardini opem confugit, capitique epiſtolam, quam fortè ſeruabat domi, per noctem circũdat, ac mane poſtero abactam capitis peſtem procul animaduertit. Hoc ſucceſſu animoſior filiam ex febri grauiter decumbentem applicitis Senis eiuſdem literis repentè ſanitati reſtituit. Franciſcus Mirabellus Sacerdos è Societate, qui ſæpe podagræ dolores adhibita Bernardini ſyngrapha fregerat, multo feliciùs importunam cęli ſæuitiam eadem ſcheda ſedauit; nam cùm peteret aliquando Neapolim è Calabria, coorta cæli tempeſtate, in receſſu quodam plures interim dies morari, donec turbo ille ſe frangeret, cogitabat; & verò nubes tantis vndique nimbis tenebant cælum, vt fuiſſe ſe diu ceſſaturos in litore nautæ crederent. Cæterum interea loci ſubit Mirabello experiri ecquid ſenis autographum contra turbines poſſet. Igitur prouolutus in genua cum Socio precationi Dominicæ Aue Angelicum addidit, ac mox de feneſtra Bernardini ſcripturam aperto cælo expoſuit. Mirum ſanè ingens: ſyngrapha explicata explicari cælum repentè, fugari nubes, ac nimbos; quid multa? tranquillo mari tuti iter inceptum peragunt. Agebat adhuc inter tyrones Societatis Lælius Antollietta, qui vix inita Societate, moleſta ſanguinis excreatione diu conflictatus, timebat ſibi ne aut è vita, aut è Societate, quam vita ipſa potiorem habebat, excederet. Iam enim tyronum Magiſter Iſabellæ Venturæ parenti adoleſcentem redde-

re cogitabat; ſed renuit ſtrenuè fortiſſimus tyro, faciebat enim illi animos ſpes fore, vt ſaneſceret, ſi Bernardini, quo olim fuerat à confeſſionibus vſus, ſyngrapham aliquam habere poſſet: dedit itaque operam per propinquos, qui Lupijs agebant vt Senex ad ſe ſcriberet, nec ſe ille difficilem præbuit: ſcripſit itaque in hæc verba. Ieſus Maria, Auguſto menſe S. Auguſtinum mitto, qui tibi corporis, animique à Deo vires impetret, vt illi ſeruitutem ſeruias, qui fortia corda benè nouit ex merito æſtimare. Factus igitur tyro voti compos, Senis literas affecto corpori pro amuleto adhibet, nec ſpes iuuenem fruſtrà habuit; exinde enim illi ſic melius eſſe, vt omninò cruenta excreatio receſſerit, nec vnquam in tot, tantiſque ſequutis mox ſtudiorum laboribus magnam inde moleſtiam aliquam traxerit. Nobilem fœminam Neapoli Hippolytam cognomento Caracciolam grauis in pectore diſtillatio exercitam ita habuit, vt nec ſomnum caperet: huic verò vir Bernardini chirographum admouit, ſtatimque tam altè ſoporata eſt, vt quanquam domeſticorum manibus agitata, nil ſenſerit, ac manè proximo omninò ſoſpes euigilauerit. Lupijs cuidam, cui Helenæ nomen, grauis epiphora mentem etiam de ſtatu emouerat; ergò nec ad rem loqui, nec verba aptè proferre quibat; adhibita interim, nec ſanè fruſtrà à medicis plurima artis præſidia ſunt, quibus & ratio pariter, & lingua fœminæ conſtare viſa. Cæterùm morbi violentia adhuc dolore acri pectus vrgebat, & dexteræ corporis partes ſenſu carebant. Fortè vir exaratum Bernardini manu libellum apud ſe habebat; hunc itaque laboranti pro reliquijs imponit, ac ſtatim leuari ægra dolore pectoris, & qua parte exaruerat corpus, ſudorem emittere, ac mox ſenſum recipere viſa eſt. Quo læta ſucceſſu neptem puellam, quæ adhuc in faſcijs lacte per ægritudinem abſtinebat, ſimili quodam autographo Senis

adhi-

adhibito, repentè ſic perſanauit, vt & lac puella ſugeret, & integrè conualeſceret.

Pileoli, ſedes, arundines, ac reliqua Bernardini adhuc viuentis pignora pluribus ſalutaria. Caput XVIII.

LVpijs Petronillæ Piſacaniæ morbo neſcio quo laboranti, peiora malo remedia medici adhibuerant, quæ & effluuium ſanguinis, & acerbos vteri dolores exciuerant; ad hæc intercutem aquam minitabantur, quas peſtes vt abigeret fœmina, ad Bernardinum conuerſa eſt, iuſſoque ſenem acciri, vbi primùm aduentantem aſpexit, è veſtigio eius acceſſu auctum inſolenti lumine cubiculum animaduertit; at Senex interim placidè laborantem affatus, mactam animo iubet eſſe, fore enim vt Deiparæ præſentia conualeſceret: mox ſecundum hæc dicta, ante icona Virginis eiuſdem litanias recitare cum domeſticis cœpit. Inter hæc ægra pileolum, quem Senex inter precandum detraxerat capiti, clam ſuffurata, affecto vtero admouet, ac vix mali ſtationem attigerat, cùm eo ipſo temporis puncto glaciati, ac luridi ſanguinis grumulum tanto cum impetu eiecit, vt ad pedes exegerit, qua demum abacta lue, ſtatim valetudini priſtinæ eſt reddita. Marcello Pignatello Biſaccenſium Ducis germano fratri, dum febri grauiter æſtuaret, ingens capitis dolor acceſſerat; ad hunc igitur Dux ſenis galericulum attulit, capitique admouens, ſtatim & omnes capitis moleſtias abſtulit, & febrim ipſam non leuiter exarmauit. Nec ſucceſſu diſpari capitis etiam turbas fœmina nobilis Teate Zenobia Valignana eodem amuleto compeſcuit. Maranum oppidum eſt millia ſex ab Neapoli. hìc matrona nobilis, cui Hieronyma

nomen de Pandona familia, ita capite laborabat, vt quietis locus miſeræ nullus eſſet. ad id locorum ad ægram quidam è noſtris adijt Sacerdos vt confeſſionem exciperet, ſed videlicet aperiendis animi noxijs ægra præ dolore non fuit, neque accurari interim pro morbi violentia octonum menſium fœtu grauis, à medicis quibat. ergò domeſtici, vbi humanis præſidijs nullum reliquum locum vident, ad Bernardini opem confugiunt; & erant fortè domi è Bernardini lipſanis duo pignora, galericulus, & arundo; alterum itaque capiti, alteram dexteræ aptant. Dictu mirum, è veſtigio cum dolore capitis, febris pariter omnis abacta eſt. Hanc eandem ſenis præſentiam nec ſemel expertus è noſtris quidam: ſæpius enim tentatus moleſtia capitis, appoſito ſenis pileolo, dolorem aut quidem ex toto, aut maximam certè partem abſterſit. Aſcetria nobilis Liuia cognomento Ventura grauiore febri conflictata, nullum ab medentium opera leuamen experta erat; eratque in eo illi res, vt anceps de vita iudicium fieret. Huic adeò ſocia pileolum Senis pro amuleto attulit; ſed ægra, cùm febris in remiſſione iam eſſet vti noluit, proximam lucem opperiri cõſtituens. Igitur poſtridie mane ad nouum febris acceſſum Bernardinum ſibi piè aduocans, ſacrum ſibi pignus addidit, continuòque æſtus deferbuit, atque omnis itademum morbus excuſſus eſt. Fuluia Bella tertij D. Benedicti ordinis legibus àutorata, febri ita correpta eſt aliquando, vt atro per corpus cruore diffuſo, iam iam efflatura animam videretur. Itaque domeſtici pro mortua conclamantes in maximo luctu eſſe; verùm interim mulier peruetus Fuluiæ neceſſaria, & ipſa Benedictinæ familiæ tertiana, cui nomen Sibylla ad laborantem accurrit, ac ſecum vnà omnes Dominicam precem, & ſalutationem Angelicam proferre de genibus iubens, Bernardini capitis tegillum adhibet, nec mora redire illicò ſuus

ægræ

ægræ color,mens,oculi,lingua, adeòque melius habere cepit, vt nullis poſtea acceſſionibus tentata, paucis diebus integrè conualuerit. Infans,cui Leonardo vocabulum, per æſtatem ardore febris afflictus nec cibum, nec ſomnum capere vllis remedijs quibat,æſtuabat,agebatque ſe ſe magnitudine dolorum eiulans: huius vicem ſollicita Sibylla eadem patris ſoror ipſum illum pileolum fratris filio admouet, nec ſpem fruſtrà habuit euentus: vix ſacrum tegimen attigit puer,cùm repentè conquieſcere,ac ſudore diffluere; demum omni æſtu ſolutus ſaneſcere ex toto viſus. Iam huius ipſius parentem Antonium cognomento Cucurrium ſæuo laterum dolore afflictum idem galericulus momento temporis perſanauit.Iulium quendam medici depoſuerant,iamque ſacro oleo inunctus ſupremum halitum expectabat. Cæterùm cùm Bernardini ſibi pileolum adhibuiſſet, ſtatim habere ſe melius ſic, vt nullis medentium opibus breui morbum omnem excuſſerit.Sed nihil in hac re illuſtrius, quàm quod in fœmina longè clariſſima miraculum Bernardini meritis patratum eſt. Iſabellam domo Concublettam Fuſcaldi Marchionis coniugem grauis diſtillatio annum ipſum Neapoli ita peſſimè habuerat, poplitumque neruos contraxerat, vt neque crura explicare,neque in lecto moliri ſe ſine famularum opera poſſet. Nihil verò interim à medicis, quod morbi pertinaciam frangeret eſt omiſſum; ſed videlicet mali vis ſupra omnem artis induſtriam, ac naturæ præſidium erat. Quare eò deuenit aliquando, vt timeret ne noua epiphoræ acceſſio ingruens in totum laborantem opprimeret. In hoc rerum articulo Sacerdos quidam è noſtris, cui Metello Caracciolo nomen, vt periclitanti præſtò eſſet, accitus adfuit illicò, ſecumque non nihil de Sanctiſſimi Parentis Ignatij reliquijs ad ægram vnà cum Bernardini galericulo attulit, atque animos faciens, commodùm labo-

laborantem monet vt in Ignatij fidem, & clientelam concederet: mox ad domeſticos verſus, ſecum iubet ingenua procumbere, & litanias cum alijs precibus recitare: quibus peractis ſenſit quidem Marchio Ignatij patrocinium; non modò enim nulla, quæ in præſens timebatur diſtillatio acceſſit, ſed ita etiam illi melius occępit eſſe, vt abeundi tunc ipſum medicis faceret poteſtatem. Cæterùm per noctem ægra cùm filiam quadrimulam in lecto haberet, vnam, aut alteram è cubicularibus famulis iuſſit ſibi in conclaui præſtò eſſe, atq; abacum cum cereis magnificè inſtruere, in quo lipſana pro dignitate reponeret. Medium iam noctis erat cùm puella, quam dixi, quadrimula, Bernardini galericulum conſpicata matrem interrogat, ecquid id rerum eſſet; & mater, ſancti viri pignus, reſpondit; atqui excipit filia, ſi quod ais, ſancti viri ſpolium eſt, quid ergò ceſſas illud affectis cruribus addere? profectò id ſi faxis, mea tu mater, continuò poplites explicabis: ægra, quanquam hæc ipſa ſibi cogitatio paulò ante erat iniecta, abſtinuerat tamen, religioni ſcilicet ſibi ducens manibus ipſam ſuis ſacras corpori reliquias apponere, quod vt cognouit famula, enimuerò non de nihilo, inquit, hera, hanc filiolæ iniectam cælitùs mentem dixerim, perge, & puellæ piè imperanti hac vice mater obtempera. Igitur ægra iuſſis ſecum in preces ire famulis, nuncupatiſque aliquot Diuo Ignatio votis, admouet ipſa pileolum ſenis affectis tam diu cruribus: ac mirum dictu, cōtinuò nerui in officium redire, extendi poplites, ægra lætitiæ impotens proſilire de lecto, ac moliri ſeipſa, & famulæ gaudio geſtientes factum vulgare illicò apud domeſticos. Iam Marchio læta, ac pedibus ſuis nitens, ad virum adhuc rei totius ignarum in alio prope cubiculo quieſcentem pergit ocyus, ac de miraculo edocet, qui rei magnitudine iuxtà, ac nouitate attonitus exilire de lecto, & ingentes Nu-

mini gratias agere: manè proximo fiſa pedibus mulier ſe ad ædem Societatis confert, nulliſque adminiculis fulta, ad aram templi maximam per ſe ipſa contendit, aliaque eiuſdem templi ſacella complura obire grati animi, & gaudij plena inſtituit. Vt verò tanti miraculi fides extaret, publicas tabulas fieri ab idoneo viro curauit, remque ipſa iurata pro teſtimonio dixit. Cæterùm inſtrumento ritè confecto, quæſitor ſcrupuloſiùs de integro rem in quæſtionem vocare auſus, temeritatis pœnas repentina morte occupatus exoluit; neue vllus ambigendi locus eſſet, non leuia miraculi argumenta duo illa potiſſimùm acceſſere, nam & medici cùm redditam cælitùs valetudinem confirmare, & humanis adhuc vti præſidijs voluiſſent, experta Marchio eſt non modò ſuperuacaneam, ſed verò etiam incommodam opem medentium, dein cùm ipſa ſenis pileolum, quò religioſiùs in domeſtico ſacrario ſeruaretur, ſibi ademiſſet, continuò nouis ad ingrediendum difficultatibus vrgeri cœpta ſic eſt, vt è lecto manè proſiliens niti nulla ratione poſſet, rurſus eadem ſtatim expediretur, ſimul ac pileolum reſumeret. quare etiam nunc cùm hæc ſcribimus, vnà cum aliorum cælitum lipſanis, in theca oloſerica phrygio opere laborata ſecum continenter habet, ac totius rei ſeriem ad me per quendam è Societate Paula, vbi cum filio Fuſcaldi Marchione agitat, humaniter perſcribendam curauit. Robertum Antollicttam domo nobilem, cæcus circa veſicam abſceſſus annum ipſum ſæuis cruciatibus, & continenti febre exercitum habuit; neque accurantium opera hilum profecerat, nam nec adhiberi opportuna ſubſidia peſti penitus deliteſcenti poterant, nec æger per ſummam aſperrimi ſenſus acerbitatem vel leuiſſimos tactus ferebat. Mater nequicquā tentatis omnibus, tandem ad Bernardini opem confugit, cuius domi pileolum religioſè ſeruabat. igitur dormienti

mienti filio hunc ipſum ad imum vmbiculum adhibet, qui vbi ſolutus ſomno eſt, dolore ſe releuatum dixit, cæterum mirari ecquid affectam aluum contegeret, & mulier quid molita ſit, narrat, inde author filio fieri, vt ſemel Angeli verbis Virginem conſalutet, nec filius abnuit, ſtatimque ſacrum tegimen ipſe ſupra abſceſſum admouens leniri dolorem mirificè ſenſit, quod idem ſi fortè loco emoueretur, ſæuire ſtatim mali violentia donec acceſſu ſacri pignoris iterum ſopiretur: tenuit verò hæc morbi curatio quindecim ferè dies, quibus circumactis nulla medentium opera abſceſſus pariter, ac febris penitùs exceſſere. Hunc ipſum Robertum infantem olim bimum medici ex morbo depoſuerant, ac proxima nocte exceſſurum prædixerant, nec verò quicquam ex vano enunciauerant, nocte enim media rigere puer, & animam agere, cùm interea venit in mentem materteræ eſſe domi galerum ſenis vetuſtate iam obſoletum; bonæ itaque ſpei plena confeſtim pueri iam penè expirantis capiti ſacrum pignus circundedit, nec mora, recaleſcere infans, oculos reſerare, & mammas expoſcere, denique diſcurſare domo, atque omninò ſe pro ſano agere eſt viſus. Grauis inſomnia febrim acriorem ſequuta Theophilum Zimaram ſapientiſſimi philoſophi nepotem cognominem diù excruciauerat, exituſque vitæ iam imminebat niſi proxima nocte ſoporaretur; æger vt noxijs animum expiaret, Bernardinum acciri iubet, qui vbi adfuit, & ſacra myſteria rite peregit, prædixit fore vt conualeſceret: interim cæpta nocte ſopiri nulla ratione poterat; ea re Theophilus ipſam illam, in qua ſenex confeſſionem exceperat, ſellam afferri iubet ad ſeſe vnà cum pileolo eiuſdem, qua allata, caput in ea, profectò non ſatis bellè, ad ſoporem compoſuit, tamen nihilominus ſtatim placidè ſoporari vſque ad exortam lucem, ſic vt accedentes medici præſens vitæ periculum exijſſe Theophilum

lum animaduerterint. Quidam conſultus iuris Neapolim ab Lycio petens Bouini in meritoria taberna graui circa collum epiphora aliquandiu conflictatus, admota, quam ſecum habebat ſenis arundine, morbum omnem victor excuſſit. Neapoli Beneuentani Comitis Proregis vxorem apoplecticus ſtupor noctu repentinus inuaſit, vſumque linguæ abſtulit, vt propius iam ab interitu abeſſet: enimuerò vt in ſubita re trepidare aulici, ac familia tota repentino malo perculſa, heræ vicem dolere. Cæterùm inter hos aulæ tumultus Bernardini mentionem tempeſtiuè inijciens neſcio quis, deque viri miraculis multa in medium afferens, Proregem impulit vt eius arundinem apud dynaſtam nobilem cum cultu ſeruatam afferri illicò iuberet ad ſe, qua ſtatim allata, eam vxori admouet, atque ægra ſtatim à tactu reſipiſcere, ac loqui, denique omnis periculi expers agere. Verùm miraculi magnitudo in fœmina omnium longè principe ſtatim vulgari cœpta, Lupijs præſertim ab eo ipſo ſcilicet dynaſta (erat is Saccenſium Comes) cuius domi miræ huius rei author arundo aſſeruabatur; quod vbi Sacerdos quidam è noſtris cognouit, id ipſum ſeni coram domeſticis narrare nihil eſt veritus, intentis interim omnium oculis in ſenem ecquid miraculi compertus ageret exploraturis. Verùm ipſe fucatæ gloriolæ nunquam appetens, defixis humi luminibus hæc tantùm eſt elocutus: enimuerò arundo tandem illa eſt, ac mox, grates, inquit, tibi ſumme Deus ago, qui hæc me ne huius quidem facere edocuiſti. Iam hæc ipſa eius arundinis virtus Tarenti euulgata à viro nobili, qui Neapoli redditam Proreginæ incolumitatem ſuperſtes viderat, fecit, vt Camillus è nobili gente Aiella noui miraculi vim experiretur; etenim huic graui dyſenteria peſſimè habito, dyſuria etiam acceſſerat, cùmque omnes medicæ artis ſuppetias inanes eſſet expertus, medicis valere iuſſis, Ber-

nardini cannam à patruele ſuo ſibi afferendam curauit, quam piè deoſculatus, fuſis ad Deum precibus, affectis partibus adhibet, ſtatimque ab tactu leniri dolores, vrinam egerere, denique ægritudo omnis ſic exarmari, vt intra paucos dies omninò valens, & incolumis è lectulo proſilierit. Haud abſimile illud. Catanzarij fœmina nobilis, gemina febris acceſſione vehementer exercita, omnis extumuit, & conclamatam medici dixerant; at ægra cognito domi noſtræ ſenis arundinem aſſeruari, miſit qui ſacrum à Patribus pignus repoſceret, quo de facili impetrato, cùm illud piè eſſet complexa, confeſtim valeſcere, reſidere tumor, atque omninò habere ſe meliùs: ſic, vt mortis ictum exierit. Lupijs Alexander quidam cognomento Franchinius legum peritus, febri periculoſa tentatus, bacillum ſenis arundineum à Patribus noſtris accepit, quo habito, illi protinus melius eſſe; quare nunquam id à ſe amoueri paſſus, tamdiu apud ſe habuit, donec morbum omnem feliciter propulſauit. Iam puer vſque adeò incuruus, vt tanquam in arcum lunaretur, admota ſenis arundine, erectus ſtetit. Lupijs Ioannes Alphonſus Marmontius è loco nobili, acriore febri maceratus, viribus adeò defectus agebat, vt medici vix poſtridie victurum pronunciauerint. Huius adeò vicem commiſeratus Sacerdos neſcio quis, Bernardinum adiès de periculo narrat; qui factus rei certior, iconem, & arundinem ſuam periclitanti ferenda tradidit, iuſſitque edici domeſticis Ioannem Alphonſum conualiturum. Sacerdos tantis pignoribus auctus aduolat, afflictoſque familiæ animos promiſſo ſenis erigens, ad laborantem accedit, hominemque altiùs compellat, cui, vbi oculos paululum ſuſtuliſſet, Bernardini bacillum, & imaginem tradit, quæ piè deoſculatus æger, per nutus (quoniam fando non erat) admoueri pectori, atque ori iubet. Hoc facto vix altera hora effluxerat, cùm redire homini vox,

atq; eſſe melius cœpit, quare cibo recreatus, poſtero die, quo die extinguendum medici edixerant, omninò ſanus, ac ſoſpes inuentus eſt. Roccenſium Principis famula exanimi propior, inibi iam erat vt expiraret: ad hanc Antonius Beatillus arundinem ſenis attulit, ac tantùm quòd horæ quadrãs interceſſerat, cùm redire ad ſe ægra, de peccatis confiteri, ac mane poſtero, aut certè non ita multò poſt ex toto valens, ad ſacram ædem ſimul cum hera ad Euchariſticum panem acceſſit. Ferebat vterum mulier Tarentina, cuius vir Lupijs agens, Bernardinum precatus eſt vt, quoniam difficili nixu laborare conſueſſet vxor, pro ea ad Deum preces effunderet; rem pollicitus ſenex, mox ſupplicio peracto reſpondit, coniugem illi ſecundum partionem ſeruatum incolumem iri, tùm ille, de fœtu verò quid fiet? nihil ad ea ſenex, cæterùm vxorem incolumem iterum polliceri: quare vir, conſtans Bernardini ſilentium non boni ominis ratus, pro certo habuit vxorem fœtum exanimem edituram. Interim cùm fœminæ partus adeſſet, pro more difficilem vterum experta eſt, ſic vt nihil propriùs ſit factum, quàm vt inter enitendum extingueretur; acceſſit enim laboranti diſtillatio importuna, vnde altera illi corporis pars ſenſum amiſit. tunc itaque venit in mentem puerperæ ſacrorum pignorum, quæ vir Lupijs aduexerat, ea autem erant arundo, quam cùm ſibi adhibuiſſet, confeſtim labore nullo fętum aut exanimem reddidit, aut certè tantùm quòd editus extinctus eſt: ipſa verò ſtatim à partu ſatis bellè ſe habuit. Porrò animaduerterat ſenex quanti apud omnes hæc, & talia pignora ſua forent, neque, vt erat vnicè deſpiciens ſui, id æquo ferre animo poterat; quamobrem aliquando cùm è ſcalis prolapſus, bacillum comminuiſſet, ac nonnullam interim oris ſibi ſcarificationem feciſſet, nihil contuſam faciem moratus, cannæ fragmina, & aſſulas legit omnia, eaque in ignem conij-

 ciens,

ciens, non priùs illinc abſceſſit; quàm abijſſe in cinerem omnia conſpicaretur. Neque ab re fuerit huc poſtremo loco afferre, quod ſub ipſa, quibus Bernardinus vti arundine cepit initia, non indignum relatu accidit: nanque accitus tum fortè ad ægram, vt confeſſionem exciperet, & pijs ad propinquum funus inſtrueret monitis, accurrit illicò cum arundine, ac probè functus officio, domum reueniens, ferendo ſcilicet fulcro nondum aſſuetus, inter abeundum oblitus cannæ ſuæ eſt; cæterùm mox ipſe viæ labor memoriæ lapſus admonuit; ſtatuit itaque ſimul domum perueniſſet, per certum hominem cannam repetere: interim apud ægrotam domeſtici relicto Bernardini pignore macti, illud gaudentes, vbi res iſtiuſmodi ſacræ ſolent, piè reponunt in loco pro reliquijs habituri, verùm neque Patri legare quenquam, qui bacillum repoſceret, operæ fuit, neque illis ſeruati pignoris gaudium diuturnum extitit; nanque vbi cubiculum tenuit Bernardinus, in ipſo aditu arundinem domi conſpicatus, hem bacillum, inquit, cuius me oblitum rebar, apud nos eſt, atque hoc ipſo temporis puncto in ægrotæ domo aſſeruatam modò cum cultu Senis arundinem deſiderari familiares animaduertunt. Lupijs laicus adiutor è noſtris, cui Angelo Menicampio nomen, ædituum agebat: hunc die quodam inſtruendæ aræ nauantem operam apoplexia grauis nec opinantem afflixit, exanimiſque, & attonitus in cubiculum eſt relatus. Inter hæc cum cætera turba Realinus accurrit, ac de morbo audiens, cingulum, quo vtebatur reſoluens, laboranti apponi iuſſit, cauſatus foueri calore illo meliùs poſſe. vix ægrum Bernardini zona tetigerat, cùm repentè redijt ad ſe ſe, ac planè ſoſpes euaſit. Septenum menſium infanti, cui Franciſco Antollicttæ vocabulum, hirudo ad venæ os addita continenti ſuctu graue admodùm vulnus inflixerat, nec vlla ſiſtendi ſanguinis ſatis commoda

à me-

à medicis ratio iniri poterat; tandem mater admouet cingulum Senis,eoque ſanguis illicò inhibetur,atque infans è lethi faucibus ereptus reſpirare viſus eſt.Fabritius Lanarius dynaſta nobilis agebat animam, cùm neſcio quis ad manum Senis cingulum admouet, illoque ipſo momento temporis recreari cœptus, atque habere ſe meliùs, demum paucis diebus, & mortem,& morbum fugauit. Sileo de pluribus, quos Senis idem amuletum ſeruauit incolumes. Certè fœminis in partu laborantibus nullum præſentius remedium cingulo Senis inuentum eſt. Nihilò autem minùs prohibendis peſtibus efficax Bernardini eiuſdem induſium extitit. Barij Hippolyta quædam Carduccia ex prolapſione crus fregerat omninò quàm fœtum ederet triduo ante; ea re cùm partus appeteret,deſtituta viribus eniti non poterat;ergò puerperæ mors timebatur;ſed mulier contra omnem mali violentiam Bernardini ſubuculam induit, ſtatimque partu feliciter ſoluta eſt.Lupijs ſcalarum prolapſione mulier afflicta,quæ ſextum iam menſem gerebat vterum,nulla medicorum ſubſidia opportuna ſenſerat,quin inſanis doloribus plures iam dies ſæuientibus,vitam medici deſperauerant; verùm rebus iam conclamatis præſentia Senis non defuit: fortè fuit illi ad manus de Bernardini veſtibus neſcio quid;hoc itaque addidit ſibi mulier eo ſucceſſu,vt quam corporis partem Senis ſpolium tetigiſſet, inde ſtatim dolor omnis veluti victus refugeret. quamobrem ægra partes ſingulas deinceps tentabunda percurrens,omnes quo ordine tetigit, momento ſanitati reſtituit.Cuidam,cui Alexandro nomen,gangrena turpis pedem vitiauerat, nec niſi, ſi ſe ferro committeret,ſpem vitæ vllam chirurgi reliquam faciebant:quare ne letho immaturè ſuccumberet, experiri ſcalprum exciſorium conſtituit; verùm pridie quàm ferro peſtem depaſceret, quodam è noſtris Sacerdotibus acciri iuſſo,

apud illum de animi noxijs confeſſus eſt. Fortè fuit vt Sacerdotis iſtius comes Bernardini calceum linteum ſecum ferret: hunc itaque laboranti attulit, monens vt antequam ſe laniena committeret, affecto pedi amuletum apponeret; paruit ex animo æger, atque vbi tandem diluxit, adſunt inſtructi ad ſæuitiam chirurgi, atq; omne artis inſtrumentum expediunt, accedunt, ſpecillo morbum explorant, ac mirum dictu, eò vſq; exarmatam mali vim vident, vt abſtinendum ferro ſatius duxerint, cæterùm non ſine miraculo id factum pronũciant: quod confirmauit euẽtus, haud enim ita multò poſt æger omninò ſoſpes, ac ſanus pedibus ſuis inſiſtere, & media vrbe vagari morbi ſecurus cœpit. Quædam octauo menſe geminum fœtum edidit, ſed videlicet ante diem edita pignora pater rei medicæ apprimè ſciens, mortis damnauit, nec matrem abſoluit: ſequuta itaque filiorum morte, puerpera febrire vehementer cœpit, ſic vt inibi exceſſura videretur; verùm vdonem linteum Senis ſibi ſalutarem experta eſt, nam ſtatim ſomnum capere, & rabiẽ acerbi doloris extingui ſenſit, & febris æſtum refrigerari. demum non ita diu poſt ex toto ſoſpes euaſit. Agebat Brunduſij è noſtratibus quidam, cui Cæſari Antonellio nomen, eoque loci nephritide acriter tentatus Lupias contendit, domumque reuectus ſæuiente per noctem doloris morſu, peſſimè cœptus eſt conflictari, nanque auulſus è renibus calculus, in meatibus hæſerat. accitur itaque matutino medicus, ſed æger difficilem curationem veritus, certius ſibi remedium in Bernardini præſentia conſtituit, quare Deum enixè rogat vti pro meritis Senis, qui eam ipſam tum ſecum habebat domum, nullis medicorum præſidijs hoſtem inteſtinum exigeret. vix ea æger, cùm exonerandæ veſicæ cupidine tactus, calculum facilè enititur, quo viſo medicus, illum non ſine manifeſta cæleſtium ope egeri potuiſſe teſtatus eſt. Cuidam

Hiſpa-

Hiſpanias petenti filius graui morbo implicitus in via moram, & metum faciebat. Interceſſerant huic veteres cum Realino neceſſitudines: ergò quanquam magnis viarum interuallis, teneri tamen non potuit quin ad veterem neceſſarium ſcriberet, eumque de re tota certiorem faceret, morbumque filij eius precibus commendaret; ſed videlicet morbi vi tanti temporis reſponſum non ferente, futuræ fruſtrà fuiſſent literæ, niſi implorata Bernardini præſentia pro temporis, ac viarum compendio fuiſſet, tantùm enim quòd literas exarauerat pater, cùm ad filium rediens, illum incolumem ex toto reperit. Bonam olei vim, quam in concha lapidea ſeruatam habebat mulier, vitiatam reperit, ac domeſticum infortuniū ſorori cum lacrymis narrans, ſubſtantiam, vnde aleretur, perijſſe ſibi conqueſta eſt, at illa bonæ ſpei plena, Senis noſtri capillos in oleum inijcit, Ieſu, ac Mariæ nominibus ante imploratis, ac ſtatim liquor ille marcorem exuere, & corrigi, ſic vt iuſto poſtmodùm pretio venum ierit. Nolæ Iulius Cæſar Albertinus domo nobilis, cùm circa pectus lethale vulnus accepiſſet, non leuem domeſticis curam iniecerat, nam, cùm hoſtile ferrum thoracem hauſiſſet altiùs, victurum propè nulla ſpes erat, luce enim ab accepto infortunio tertiadecima, plagæ, coëuntibus in ſe ſe oris, puri, vnde erumperet, planè interclſerat exitum; quare ab retenta intus materia præſens exitium non de nihilo timebatur, nec chirurgi ſcalpro viam facere auſi, veriti ne inter ſecandum, laborantem dolor veſanus extingueret. Igitur familiares, vt in rebus iam conclamatis, de capillo Senis præſegmina vulneri applicant, herum rogantes vt illius ſe fidei, & clientelæ committeret, nec pia illos ſpes fruſtrà habuit, nàm reiectis ſub veſperam faſcijs, hiantem vltrò plagam, reductis vtrinque oris, ſaniem omnem euomuiſſe reperiūt; quod vbi medicus quidam animaduertit, cognito nihil

ægro iàm ſupereſſe, vnde ſibi exitium timeret, continere ſe minimè potuit quin ſtatim pronus terram oſcularetur, Bernardini præſentiam teſtatus, qui inſanabile humanis conſilijs vulnus tam de facili expedierat. Cuidam, cui nomen Hippolytæ, exanimis in vtero fœtus vitæ periculum intentabat, iamque & pulſu, & voce defecta diffluere cœperat, & tantùm non animam agere: ſed Bernardini pignora neſcio quæ tempori adhibita, periclitantem ſtatim incolumem præſtitere; loqui enim, & Bernardinum vocare, & fœtum exigere facili negotio potuit. Virgiliam Zimaram tumore graui in faucibus laborantem aliquando facta inciſura medici perſanauerant: cæterùm quadriennio poſt peſtis reuiuiſcere, & ex integro fauces inſidere. Igitur ægra ne ſe iterum medicorum ſcalpello committeret, de Bernardini lipſanis neſcio quid affectæ parti appoſuit, ac mane proximo nullum extare morbi veſtigium non ſine gaudio animaduertit.

Extrema Bernardini ſenecta miraculis longè pluribus claret. Caput XIX.

CÆterùm vt omne Bernardini vitæ curriculum patrandis rebus admirabilibus mirificè claruit, ita ſupremus ætatis annus, in quo ille tanquam artifex nobilis egregiam erat operi coronidem allaturus, multò enimuerò illuſtriùs, multòque etiam frequentiùs edendis miraculis ſe ſe ſpectabilem præbuit. Graui iuxta, ac periculoſa ægritudine afflictus Bartholomæus Morra nobilis iuris peritus, inſtare ſibi ſupremam horam à medico acceperat; igitur omni præſidio deſtitutus ad Bernardini preces effugium hàbuit, ac Sacerdotem è noſtris patruum ſuum de vitæ periculo edocet; hic verò

Seni

Seni propinquum commendans, etiam atque etiam rogat, vt pro fratris filio preces ad Deum funderet, ille ſtatim poſtulata pollicitus, pro certo ægrotum conualiturum affirmat: tum patruus, quin igitur aliquid, quo animos facias, ad laborantem mittis? Bernardinus candore animi miro, nihil, inquit, ad manus habeo, niſi ſi fortè lubeat pallium iſtud meum homini mittere; id ſi facere voles, me authorem habeto. lætus munere Pater, confeſtim pallium ad laborantem deportat, ac Bernardini promiſſum aperit: commodùm illo ipſo puncto temporis noua febris acceſſio aderat, quare æger eo ſe diligenter inuoluens promiſſionis exitum opperiebatur; ſed verò nec Senis verba, nec ægroti ſpes irrita abiere, febris enim protinus conquieuit, neque vnquam in poſterum redire viſa. Puella paulò quadrima maior, cui Victoriæ Pepi nomen, ſeſquiannum pedibus capta nec ſtare, nec agere ſe vlla ratione quibat; huius verò pater multa de Senis miraculis audiens, ad Collegij æditimum adiens, ſpolium vnum aliquod Senis expoſtulat, cui laicus morem gerens, arundinem cum tibiali elargitur. ergò ille gemino pignore auctus, ſtatim ad filiam vtrunque attulit, quorum illa alterum cruri, alterum dexteræ aptat, dein pater in preces effuſus, recitare litanias inſtituit, nec defuit pietati ſucceſſus, ſtare enim ſubitò filia, mox etiam ingredi, quanquam non ſatis bellè ob recuruam tibiam, quæ tamen ipſa non ita multò poſt corrigi viſa, adeò vt graphicè niti, atque eleganter incedere puella poſſet. Tarenti puer anniculus, cui vocabulum Cæſar, dyſuria graui tentatus, inquies continenti eiulatu mali ſæuitiam teſtabatur, manicula doloris ſtationem indicans: iam tumor ingens morbo additus, anceps periculum fecerat. Habebat fortè mater apud ſe precarium Bernardini ſertum; hoc itaque infanti apponit, atque illicò infans vrinam excernere, quieſcere, ac perſanari

integrè viſus eſt. Neapoli Laurentius quidam cognomento Conſilius peſtilenti febre correptus, ita aliquando deſtitui ſenſibus cœpit, vt piacularibus myſterijs ſupremam nauare operam nulla ratione quiuerit, & domeſtici in hoc rerum articulo laboranti de Bernardini veſte laciniam admouent, continuòque redijt ille ad ſe, vt cæleſti viatico muniri poſſet; dein iterum ſopitus, & ſupremo oleo inunctus agere primùm animam cœpit, mox eandem omninò deſijt reciprocare. Ergò conclamari pro mortuo, fleri, funebria etiam inſtrui cœpta. Verùm hæc agitantibus domeſticis, curio interuenit, qui neſcio quid adhuc ſuperare ſpiritus animaduertens negat pro exanimi habendum. Enimuerò triduum ille exanimi propior egit, nullo interim arteriæ pulſu, nullo motu vegetus, hiantibus buccis, oculis rigentibus, denique merum funus. Ad id locorum pater ad Bernardini opem confugerat, cùm ecce tibi poſt triduum æger de repente conſedit in lectulo ipſe, atque altiùs inclamans, familiares macte animo eſſe iubet, pro certo ſe in præſenti non moriturum affirmans, quoniam Bernardini præſentia è letho ſoſpes euaſerit, ſimul reficiendis viribus cibum poſcit. Acciti itaque ad rem medici, Lazarum ſpectari ſibi alterum teſtati ſunt. Quid multa? breui Laurentius ex toto Bernardini ope conualuit. Puella tantùm maior annicula in morbum incidit, quo grauiter conflictata, octiduum neque lac ſugere, neque cuiuſuis alterius generis cibum capere potuit: hoc, cùm Sacerdos quidam, qui illam ſanguinis propinquitate contingebat, reſciſſet, de Bernardini veſte fruſtulum parenti dedit vt apponeret filiæ; paruit illicò mulier, & puellæ protinus melius eſſe, vt & lacte, & cibo reficeretur; denique omnem breui morbum excuſſit. Mulier, cui Deodatæ nomen, alterius manus doloribus per menſem excruciata omnem illius vſum amiſerat; ea re Bernardi-

nardi-

nardinum quærendæ opis adire conſtituit, ſed fruſtrà; Senex enim affectis extrema ſenecta viribus in lecto erat: igitur cùm coram nequiret, per ſocium opem expoſcit, & Senex volenti animo tunc ipſum iturum ſe in preces recepit; nec mora, ipſo illo momento temporis omnis ab affecta manu mulieri dolor abſceſſit. Tabellionis filium Lupijs morbus comitialis obnoxium miſerè excruciabat, & continens in ore pallor, & acciſæ neruorum vires acceſſerant; hunc pater ad cubiculum ſenis die quodam deductum enixè illi commendat; at Bernardinus exerto è ſtragulis brachio, puerum cruce expiat, eoq; ipſo temporis puncto morbum omnem diſcutit. Fœminam, cui Felicianæ vocabulum ſæua lues inuaſerat, quam tamen ne medentibus proderet, vetabat ingenuus pudor, enimuerò peſtilens vitium coxendicem occupauerat. Igitur hinc acriùs vrgente malo, illinc mali remedia prohibẽte quærere verecũdia, ſubit miſeræ aliquid de Bernardini capillis ſibi eſſe domi. Hoc itaque affectæ parti confeſtim adhibet: quo facto, & pudoris, & fidei pariter pretium tulit, tunc enim ipſum abacta peſtis laborantem periculo iuxta, & cruciatu exemit, ſtupentibus oppidò medicis, quibus poſtmodùm mulier nonnulla morbi argumenta ſignificauit. Peſtilens febris infantem bimum corripuerat, adeòque afflixerat, vt domeſtici tanquam inibi expiraturo accenſum de more cereum ad pueri caput apponerent; ſed pater filij vicem ſolicitus ad Collegium aduolans Bernardinum de pueri morbo non ſine gemitu edocet, eidemque preces efflagitat: at Senex nulla interiecta temporis mora, procumbit illicò in genua, ac Deum orat, nec preces caruere ſucceſſu, eodem enim momento temporis recedente febri puer domi conualuit; cæterùm vt miraculi magnitudinem tegeret, de goſſipio Martyris Irenes patri particulam dedit, quam puero iuſſit apponi, cui tamen, inquit, domi iam benè

eſt; ille domum feſtinus remeans, filium ſanum iam cibum capere deprehendit, ac Bernardini precum vim demiratus, Diuæ Irenes lipſana de pueri collo ſuſpendit. Haud multum temporis interceſſerat, cùm huius propinqua mulier, cui nomen Cardonia, inter pariendum difficili nixu excruciata grauiter, propiùs abfuit ab interitu. Etenim triduo laborem miſerè continuauerat, ſemper fruſtrà conniſa; igitur vt in re ab naturæ ſubſidijs deſperata, tandem maritus ad Bernardinum confugit, tunc verò Senex veſtis ſuæ laciniam tradens, hanc, inquit, coniugi adde, ſtatimque partu ſoluetur, verùm nō ſine dolore ingenti. Omnia, vt prædixit, euenere. mulier ſenis reliquias piè deoſculata, Bernardini nomen, & patrocinium implorat, dictum factum, è veſtigio mortuam puellam edidit, ſed tamen ita, vt præ dolore puerpera animo linqueretur, breui tamen ſui compos omninò ſoſpes euaſit. Iam quod ſequitur, longè illuſtrius. Mulier Neapoli, cui Conſtantia nomen, dolore laterum identidem tentari ſolita, ſub annum MDCXV. eo tam acriter vrgeri cœpta, vt tredecim ipſas horas exercita nullum ab humanis opibus præſidium experiretur; igitur medentium monitu ad ſupremas curas verſa, cuidam è noſtris Sacerdotibus, apud quem expiare animi ſordes conſueuerat, nauare operam cœpit, at hic allatum Senis galericulum, vt ſibi piè admoueret admonuit; paruit miſera, ac ſtatim manum quandam apertis oculis vidit, quæ affectam ſibi laterum partem ſtringebat, & Bernardini dexteram ſibi adfuiſſe mulier pro certo habuit; ſecuta certè illicò ſanitas præſentiam Senis probauit, adeòque inde conualuit, vt nunquam aliàs in poſterum huiuſmodi laterum turbis tentata ſit. Morti proxima Tarenti vidua nobilis, Cæli viaticum ſumpſerat, & ſupremum oleum, quo inungeretur expectabat; interim domeſticis choragium funebre adornantibus

inter

inter propinqui funeris luctus neptis ad ægrotam de Senis thorace laneo fruſtulum attulit, quod mulier exoſculata, fuſis in preces aſtantibus, ſibi de collo ſuſpendit; mora nulla, ea virium acceſſio facta repentè eſt, adeòque viſa melioreſcere, vt in præſenti ſacra abſtinendum vnctura duxerint; firmauitque miraculum ſequuta breui integra valetudo. Tarenti item alium adeò periculosè decumbentem, vt per ſacram homologeſim abolere noxias non poſſet, idem Senis pignus vt primùm attigit, ſudorem ingentem elicuit, atque omne vitæ periculum propulſauit. Lupijs Catharina quædam è nobili gente Monſortia, graui olim epiphora peſſimè habita, inducta circa pupillam ſquama, ſiniſtimæ lucis vſum amiſerat, & vt periculum faceret, ſepè dexterum oculum digito apprimens, omninò nihil videbat. Quatuor itaq; menſes luſca egit, tandem in Societatis ædem conceſſit, accitumq; Bernardini adiutorem ſocium rogat enixiùs, vt ſeni, qui ferè ſemper id ætatis in lecto erat, oculi vitiū commendet. Geſſit fœminæ morem illicò ſocius, at Bernardinus bonum animum habere iubet, pollicitus fore vt amiſſæ lucis vſuram recuperaret. Interim ipſe percurrere Deiparæ ſertum cœpit ſingulis calculis Virginem ſalutando, ac dum precibus vacat, redit ad fœminam ſocius in templum, ſeniſque reſponſum reportat, vnàq; de ipſius capillis præſegmina dono dat, quæ ſtatim oculo admouit ægra, ſtatimque quaſi per caliginem cernere, dein quotidie ſacro eodem collyrio vſa, res clariùs diſcernere, demum recedente ſquama, breui pupilla in totum valeſcere, & reddi affecto oculo dies cœpit. Adoleſcens è vicino pago Lupijs Societatis gymnaſium frequentabat, cui iam inde à puero ſæuus dolor caput tam acriter habebat infeſtum, vt nauare literis diligentem operam nullus poſſet, itaque æuum degebat macie, & pallore obſitus, cùm interea de vi fugandæ ægritudinis

data

data ſeni diuinitùs,multa cognouit.Igitur die quodam in templo Bernardinum conueniens,capitis turbas,quibus exeruciabatur aſſiduè,explicat,mox eius ſe fidei,ac patrocinio commendat: Senex adoleſcentis vicem miſerans,ſalutare crucis ſignum digito apprimit capiti; dein iubet ad aram templi maximam procumbere in genua, atque inibi Dominicam precem,& ſalutationem Angelicam ter Auguſtiſſimæ Triadi recitare. adoleſcens dicto audiens,ſtatim capiti melius eſſe,fugariq; inde dolorem ſenſit, nullaque huiuſmodi intemperie in poſterum laborauit. Plura per compendium referrem,ni ſimiles rerum formæ & legenti faſtidium facerent, & ſtylum nullo operæ pretio fatigarent. Nunc quæ à ſenis obitu miræ eiuſdem precibus euenere,ſtrictim exordiar.

Morte obita multis opem ipſius implorantibus præſtò eſt Bernardinus. Caput XX.

HÆc itaque adhuc inter mortales agentem Bernardinum miracula nobilem reddidere. Iam,quæ ab eius obitu eiuſdem precibus Deus admiranda edidit,ordiri pergã. Infans,cui Ioſepho Rilliano nomen, cùm ſextum ætatis menſem iniſſet, graui morbo afflictus, enormi tumore diſtentus eſt, adhibitiſque medentium ſubſidijs, detumuit. cæterùm ſæuiente febri multos dies cibo abſtinens, cùm nocte quadam egiſſet animam,matre,alijſque multis aſtantibus nona ab ſuſcepta ægritudine luce demum extinctus eſt. igitur fœminæ ſtatim leſſum more ſuo facere,genaſque,& capillum carpere: at pater,qui tum fortè aberat domo,reuocatus ad conſpectum extincti pignoris eiulare etiam miſerè cum alijs cœpit. Lupijs hic tum fortè aduena agebat:ea re ne

dome-

domeſticus luctus ab officioſis interpellatoribus diſtraheretur, obſeratis ianuis funus pro dignitate familiæ puero adornare cogitabat. Curam itaque choragij funebris ſeruo demandat. interim mater infanti oculos claudit, manus decuſſat, reſolutum mentum cohibet vitta, & cadauere in cunis bellè compoſito, ardētem cereum, & crucem, vt aſſolet, ad caput apponit. Fortè fuit vt illa dies inſtruendis exequijs non ſatis eſſet; quare, ne quid tumultuariò fieret, in diem poſterū iuſta proferre operæ fuit, iacuitq; infans exanimis domi totam diem. Cępta veſpera mater cum duabus natu grandioribus filijs iterare luctum, & plangore fœmineo replere domum, atq; æſtu inſani doloris abrepta filiolum è cunis feralibus attollens, oſculari, & lacrymis madefacere. Hæc agitantem ſubit Bernardini recordatio, cui mulier in primis erat addicta, vtpote vim Senis ſalutarem experta compluries. Ergò ſublato de feretro infante, conuerſiſque in cęlum oculis, hem, inquit, Bernardine, tibine tot rerum admirabilium authori, nefas ſcilicet, aut operoſum duxerim infantem hunc meum, qui toties è maternis vberibus lac hauſit, ad vitam excitare, vt nunc iterùm illud è mammis ijſdem vt antea ſugat? ò ſi id præſtes Bernardine, me vbique gentium miraculi huius buccinatricem ſanè non ingratam ſenties; ſtatimque ab his precibus oculos in infantem conijciens, videt attonita puerum aperto ore maternis vberibus inhiantem, quare illum ſtatim pectori apprimit, & infans applicitus mammis ſuctui nauare operam cœpit. Enimuerò continere ſe hìc mulier non quiuit quin protinus contenta voce miraculum ingeminans, Bernardini meritis reuixiſſe filium conteſtaretur. Excitus itaque lætis clamoribus pater, & familia tota, non modò rediuiuum infantem, ſed verò etiam incolumem, & benè valentem inueniunt, quem modò exanimem, rigentemque nouenis horis merum

cada-

cadauer defleuerant. Ergò omnes ingentes Numini gratias agere, & Bernardini merita in cælũ tollere ingreſſi. Mane poſtero ſeruus, cui funeris inſtruendi prouinciam dederat pater, domum rediens, vt iam parata omnia nũciaret, tanquam inuerſa ſcæna, lætiſſima omnia reperit, ac demum is ipſe, vnàque alij ſeptem iurati, rem pro teſtimonio dixere. Fœmina illuſtris Iulia Boncompagna Bouinenſium Dux, periculoſa febri exæſtuans, implorato Senis nomine, ſtatim voti compos effecta eſt. Lupijs aſcetria nobilis, cui Deianira nomen, domo Piſacania, duobus menſibus brachio laborauerat magnis doloribus excruciata, ſed Bernardinum aliquando inuocans, affectum brachium ſibi cruce ſignauit, continuòq; morbum fugauit. Aliam enormis tumor inflauerat, ſic vt tres ipſos menſes moliri ſe per dolorem non poſſet, ſed cùm aliquando Bernardini præſentiam implorаſſet, de repente conualuit. Pueri, cui Ioſepho nomen, inter prandendum turdi oſſiculum faucibus hæſerat, & pater dum laboranti ferre ſuppetias trepidat, immiſſis in gulam digitis, propè fuit vt extingueret, ſed Bernardini ope implorata, continuò nullis naturæ præſidijs, ne tuſſi quidẽ, tranſuerſum os vltrò foras exilijt. Ioannes Baptiſta Cæſura domo Aquilanus plures annos enterocela graui laborauerat, ſed cùm die quodam Bernardini rebus geſtis ſcribendis nauare operam vellet, Vxenti in quodam conclaui ſemotis arbitris cum Antonio Beatillo erat. placuit autem, antequam manum operi admoueret, ſibi præſentiam Senis expoſcere, mox ad ſcriptionem aggreſſus, ſenſit inter ſcribendum, manu neſcio cuius affectæ partis vitium tangi; ille, quod erat reapſe, ratus adeſſe ſibi præſtò ſenem, vt rem certius exploraret, cum bona Beatilli venia domum conceſſit, adeòque perſanatum ſe animaduertit, vt ne veſtigium quidem vllum morbi deprehenderit, reuerſuſque inde ad Beatillum, miraculum

enar-

enarrauit. Puellam ſacer morbus quotidie tres ipſas horas peſſimè habebat, quam aliquando in templo Societatis cum matre agentem conſueta mali violentia corripuit, nec mater quid ſibi interim faciendum eſſet, quo domum reueheret filiam, excogitare poterat: quare ad Bernardini opem confugit, ad eius tumulum in vota, ac preces effuſa. mirum dictu, vix horæ quadrantem epilepſia puellam fatigauerat, cùm ſenis ope implorata, & tum repentè fugata eſt, & nunquam in poſterum rediјt. Neapoli illuſtris fœminæ famula interdiu ſæuis affecti cruris cruciatibus male habita, noctu releuabatur; hoc autem illa ferebat ægriùs, quare ad Bernardinum conuerſa, age, inquit, & vices muta Bernardine, liceat mihi per lucem doloris experti domeſticis heræ negotijs nauare operam, cæterùm dolere per noctem non abnuo. Audijt tam opportunè precantem Senex, & mutata dolorum ratio eſt: mulier per diem valeſcere, exerceri rurſus noctu doloribus cœpit. Contrà verò aliam pedibus laborantem integrè perſanauit. Etenim hæc ſub veſperam aliquando Bernardini nomen implorans, vbi primum mane diluxit pedes ita valentes reperit, perinde ac ſi nunquam eos morbus debilitaſſet, & tamen inſanabilem morbum medici pronunciauerant. Puellæ trimulæ, cui Mineruæ Maraſcæ nomen, grauis epiphora infecit oculos ſic, vt illi ex toto videndi vſuram ademerit, ſupercreſcente præſertim in ijs carne. Seſquiannum itaq; egit omninò cæca, nequicquam contrà mali vim obnitentibus medicis: huius adeò vicem miſerata mulier de vicinia, de Bernardini ſpolijs neſcio quid matri dedit, vt gnatæ oculis admoueret, & fœmina dicto audiens, ſacro pignore luſtrauit oculos filiæ, ſed in præſentia nihil opis experta, quanquam ægrè admodum tulit, non continuò deſpondit animum, nec deſperabat Bernardini ope redditum iri aliquando puellæ lucem. Iam in exitu Iunius

erat;& Kalendæ Quintiles appetebant,quibus ad veſperam ſalutanti Eliſabetham Virgini litari à Lupienſibus in æde Societatis, & Bernardini memoriæ parentari ſolenne eſt. Ergò vbi hæ diluxere, iam flexo in veſperam die, cùm ſignificandis precibus veſpertinis feſtus campanæ pulſus auditus eſſet,ſtatim puellæ oculis reddita poſtliminio lux eſt: ergò illa exclamare præ gaudio, ſibi iam Bernardini opera oculos reuixiſſe;quibus filiolæ vocibus excita mater,cum tota vicinia accurrit,oculoſque diligenter inſpiciens,nō viuidos modò illos, & integros, ſed defæcatos etiam, atque pellucidos, ſine vllis morbi veſtigijs deprehendit:quamobrem beneficij memor pallam filiæ furui coloris,quali vſus fuerat Bernardinus,induit,ac deinde par oculorum argenteum cum altero pari aureo,& Societatis veſtem, qua filiam induerat,de Senis ſepulcro grati animi argumentum ſuſpendit. Quidā è Societate Sacerdos Italus, cùm in Philippinas inſulas iter,ſalutis animarum cauſa ſuſcepiſſet,Hiſpali conſtitit aduerſa valetudine conflictatus, ac ſæuiente vſq; acriùs morbo,Natali Domini die conclamatum medici enunciant. Verùm æger poſtridie illius diei, ipſo ſcilicet Protomartyris Stephani feſto die, valens, ac ſanus inuentus eſt; ea res ingentem medicis admirationem fecit; rogatus itaq; eccuius potiſſimum è cæleſtibus opem implorasſet, Bernardini Realini, reſpondit, cuius nondum ibi nomen increbuerat; quare viri merita magni facere, & ſingulari ſtudio pietatis colere Hiſpalenſes cępere.Marcus Antonius Zimara,is,cuius ſuprà mentio incidit,tredecim ipſa nummum aureorum millia creditori ſuo æris alieni nomine, bona, vt inter bonos, fide numerauerat, neque vllam ob erogatam pecuniam acceptilationem chirographo creditoris retulerat;quò fiebat,vt expediti nominis iſtius fidem facere in iudicio non poſſet. Ergò dum alteri cum altero familiaris vſus interceſſit,nullum

Zima-

Zimaræ damnum fecit; cæterùm ſubortis dein ſimultatibus, creditor nomen repetere, & vocare in ius Zimaram per ſummam iniuriam cœpit. Iamque in eo res illi erat, vt poſtridie à Regio Conſiliario ſoluendi æris damnandus eſſet; quare incertus animi ſero diei ad Bernardinum confugit, eiuſq; præſentem opem expoſcit, adeſſet tam grauiter aliena inuidia laboranti, promiſſique olim genti ſuæ patrocinij nunc tandem tempori meminiſſet. Ab his precibus Bernardini lipſana neſcio quæ ceruicali ſuppoſuit, arctoque ſomno complexus eſt: ecce autem inter dormiendum hanc vocem exaudijt, Age Zimara, & illuc te confer (certum locum deſignat) inibi ſcripta diligentiùs rimare, inuenies exequendi iuris authenticas tabulas; in ijs, quod te ad hanc diem non aduertit, diſſoluti à te nominis iſtius mentio eſt: has apud diſceptatorem adhibe, cauſamque obtinebis. Secundum hæc monita ſtatim ſomno ſolutus Zimara eſt, atque è veſtigio locum explorans, tabulas inuenit, eaſque in iudicium profert, quibus, & ære alieno pariter, & iniuria per ſententiam Iudicis liberatur.

Bernardini veſtes miris ſucceſſibus nobilitatæ. Caput XXI.

NEc verò morte obita, Bernardini ſpolia minoris eſſe, quàm quæ viuentis adhuc fuerant. Adoleſcens Neretinus Lupijs in febrim acriorem incidit, breuique penè confectus, ſacris ſupremis procuratus agebat animam, ac ſenſibus plane deſtitutus nihil auribus fando accipiebat. In hunc modum laboranti ſorores, Bernardini galericulum applicant, ſtatimque æger reuiuiſcere, cibum capere, meliùs habere, demum non ita multò poſt integris viribus ſe in Collegium Societatis ferēs,

non leuem ſui admirationem creauit. Federicus Catala-nus tam pertinaci diſtillatione vrgeri cęptus, vt noctibus ſingulis grauiter conflictaretur: peſtem importunā admoto Senis pileolo facile exturbauit;eum itaque plures annos,ne morbus rediret,capiti induit;cæterùm procul Lupijs agentem aliquando ſine galericulo Senis, ſtatim veluti poſtliminio epiphora redijt, tenuitq; tandiu, donec reuectus domum veteri amuleto omninò in poſterum prohiberet.Eadem ratione fœmina,cui nomen Prudentia, morbi contumaciam fregit; etenim cùm dolor cordis illi febrim cieret,galericulo admoto,confeſtim dolorem lenibat; ſed idem remoto ſenis ſpolio, redibat ſtatim;at mulier ſibi iterum induens procul habebat hoſtem. Ergò hæc recedentis, redeuntiſq; morbi conflictatio ad quadraginta dies tenuit, donec euictus tandem omnis cum febri morbus, ac dolor abſceſſit. Nec brutæ animantes Bernardini præſentiam non ſenſere; idem enim pileolus mulæ periclitanti applicitus valentem omninò reddidit. Mulier octiduum nixu infelici conflictata in præſens mortis periculum venerat, ſed adfuit Senex vocanti, nam puerpera decuſſatum ipſius pileum induens,feliciter, ac ſtatim partu ſoluta eſt. Neapoli nobilem virginem, cui Dorotheæ nomen, ex Albertina familia, in D. Hieronymi aſceterio, continens ferè capitis dolor vrgebat, & aliquando vſque eò importunus laborantem oppreſſit,vt quanquam naſcenti Domino ſacer, ac ſolennis dies eſſet, tamen nec ſacris intereſſe, nec vacare expiandis animi noxijs valeret. Cæterùm præſtò fuit Bernardinus, cuius pileolum virgo capiti admouens, repentè ſic dolorem abſtinuit, vt pietatis ſuæ, & feſtæ lucis colendæ numeros omnes abundè ſatis impleuerit, ac iam inde fugatus ex toto dolor,nunquàm alias redire ſit viſus.Neapoli item abſceſſus peſtilens fœminæ, cui Birgittæ nomen, ſiniſtram mammam inſederat, ſectio-

ctioneque, & ſcalpro excruciata nihilò meliùs habebat, fueratque mali vis ſupra omne præſidium artis, eò atrocius graſſante lue, quò maioribus remedijs prohibebatur. Cæterùm, quæ naturæ non ceſſerat, Senis lipſanis fracta eſt, adhibito enim affectæ parti pileo quadrato Senis, poſtridie omne vitium correctum, & perſanata mamma reperta eſt. Illuſtris fœmina Catharina Ribera Neapolitani Proregis vxor, Dux Oſſunenſium, acerbo dolore capitis tentata aliquando, Gambateſenſium Comiti nobili fœminæ optare ſe dixit Bernardini præſentiam, de cuius miraculis longè plurima audierat, ſentire in præſens periculo ſuo. Ad ea Gambateſenſis, Senis pileolum profert, ac Proreginæ tribuit, quæ ſacro pignore læta, ſimul id capiti adhibuit, dolorem omnem è veſtigio procul habuit. Neapoli excuſſa fortè de curru mulier Comitis Altauillenſis famula, humi ſic eſt afflicta, vt rotæ ſupra iacentis pectus, & brachium cum impetu actæ, peſſimè infelicem obtriuerint: quare exanimis diu, & ſenſibus deſtituta proximè aberat ab interitu, & chirurgus comminutis oſſibus debilem vix ad integrum diem victuram edixerat. Adfuit itaque illicò Sacerdos quidam è Societate vt confeſſionem exciperet, ſed verò ne voculam quidem edendo fuit. Interea loci Bernardini galericulus apponitur laboranti, & vix hora interceſſerat, cùm mulier & loqui quàm expeditiſſimè viſa eſt, & omni periculo mortis exempta, vt non ſine miraculo ingēti hoc tale facinus factum medicus exclamaret. Franciſcus quidam cognomento Clodinius Lizanienſium Ducis primo locò editus filius peſtifera febre correptus, epiphora etiam laborabat, quæ capite, ac brachijs ſupra cæterum corpus debilitatis, vltimum vitæ diſcrimen intenderat; ergò æger inibi erat, vt efflaret ſupremam animam. Ea re ſupremis piacularibus procuratus cæleſte etiam viaticum ſumpſerat: ab his triduum egit præter

exiguum in pulſu motum, cætera exanimis: & iam parentes funebria inſtruxerant, cùm accitus Sacerdos è noſtris vt morienti præſtò eſſet, diu nihil oppidò ſentienti fruſtrà ſedulus nauauit operam: quare cùm nihil proficeret, ſubit demum Bernardini opem experiri. Erat fortè domi galericulus ſenis, quem religiosè parentes ſeruabant. hunc itaque laboranti adhibet, effuſis interim in preces domeſticis, & Beatiſſimæ Virginis præſidium implorantibus: mirum ſanè ingens, ſecundum preces, ſacri pignoris illius contactu vſque adeò æger conualuit, vt febrim, doloreſque exarmatos illicò ſenſerit, ſuique compos effectus, omnes alloqui, cibum ſumere, denique omninò incolumis cœpit agere, nullis morbi reliquijs tentatus, niſi modica ſiniſtri brachij conuulſione, quam ipſam poſt biduò, eodem Bernardini pignore admoto, facilè excuſſit. Quidam Lupijs inflicto lethali vulnere periculosè decumbens, de Bernardini ſubucula fruſtulum ab hera, in cuius famulitio erat, accepit, quod ſtatim plagæ tanquam ſacrum ſomentum applicuit, nec pietas caruit ſucceſſu. medici vbi primùm, quò vulnus accurarent, faſcias reſoluunt, nullo mali veſtigio ſuperſtite perſanatum, & coalitum vulnus inueniunt, teſtatuſque æger eſt ſe, cùm ſibi lipſana adhibuiſſet, ſenſiſſe fugari dolorem è veſtigio. Quamobrem miraculi teſtem, cereum de Bernardini ſepulcro ſuſpendit. Dominicum cognomento Guarinum loco nobili, alterum iam menſem febris afflixerat ſic, vt Chriſtianis ritè myſterijs expiatus ageret animam. Hoc adeò cùm aſcetria nobilis, cui Hippolytæ Bonoriæ nomen, audiſſet, ſenis induſium ad laborantem miſit, quod ſimul ægroto eſt applicitum, protinus ſomnum capere, & ſecundum quietem cibum poſcere, denique acciti ad rem medici, vſque eò valentem reperiunt, vt poſt triduum morbo omni integrè releuatum aſpexerint. Idem induſium puellæ, cui Margaritæ

ritæ nomen ſaluti fuit;nam cùm pro mortua comploraretur, vbi ſpolium ſenis induit, ſoporari primùm, mox ſoluta ſomno cibum capere, demum febrire in totum deſijſſe poſtridie medicis eſt inuenta. Eodem amuleto Virgilia domo Antollietta à bimulo infante fratris filio febrim expulit. Eodem Horatius quidam poplitem tumore nimio diſtentum facilè perſanauit, circundata enim inter medicas vittas affecto cruri lacinia ſubuculæ, haud ita multò poſt,faſcijs reſolutis,nullo dolore omne vitium erumpere, & valeſcere ſibi crus momento temporis ſenſit. Fortè Bubulci cuiuſdam vxor in amentiam inciderat,cui vir de induſio ſenis particulam bullæ oloſericæ incluſam admouit, atque è veſtigio mentis integritatem reſtituit. Alia quædam iſchiade triennium laborauerat;verùm hæc aliquando ſub noctem fruſtulum id genus affecto femori adhibuit, ac mane poſtero ſe integrè accuratam inuenit. Placentiæ inſani ponderis tabula corruens puellæ caput ita debilitauit, atque obtudit, vt, quaſſato cerebro,nulli rei animum aduertere, ne loquentibus quidem poſſet: ea re quinquennium ipſum egit attonita. Verùm tandem de Bernardini reliquijs reſegmen induſij per noctem capiti admouit, atq; vbi proximum mane diluxit, omninò valentem ſe cerebro firmiore ſenſit,nec in poſterum vllis morbi reliquijs tentata eſt. Tarenti adoleſcens de noctu acri dolore laterum exercitus,flere, atque eiulare miſerè cœpit,& pater illicò ad medicum accurrens, de laneo thorace Senis centunculum filio dedit,quo ſibi affectum latus interim obarmaret; ille pignore accepto cum lacrymis in hunc modum precatus eſt.Ades Bernardine,& ſi animæ meæ, Deique gloriæ conduxerit, dolorem hunc leua, ſin minus,craſtinum certè mane elargire vt ſacris expiare animum poſſim: ſecundum has preces reliquias addit lateri,eoque ipſo momento temporis prohibitus dolor adoleſcen-

leſcentem leuauit, adeò vt reueniens domum pater, probè perſanatum inuenerit. Franciſcus Ceuola Sacerdos è Societate ex eodem thorace reſegmen addidit fiſtulæ, qua diu laborauerat, nec ſine ſucceſſu, etenim appoſitum affectæ parti cataplaſma ſtatim decidit, oriſque fiſtulæ obductis, ſanus egit in poſterum. Hic idem laborantem in partu puerperam incolumem ijſdem ſpolijs præſtitit; etenim cùm fœminæ, cui Beatrici nomen, tráſuerſus in vtero infans vitæ periculum intentaſſet, accitus illicò Ceuola, poſt ſacram homologeſim, de lipſanis, quæ ſibi ſalubria erat expertus, laboranti particulam dedit, quam cùm ægra ſibi admouiſſet, repentè directo in caput fœtu, facilè partu ſoluta eſt; quamobrem inclamare miraculum aſtantes, ipſa interim ſæuo capitis dolore excruciata, hunc ipſum eodem ſenis amuleto fugauit. Neque Bernardini cingulum minus præſentiæ habuit. Barij puellam mentis intemperies ſic agitabat, vt totos dies miſera luctu, & ſqualore conficeretur; quamobrem illam cacodæmone obſeſſam nonnulli non de nihilo credidere, ſermones enim de Deo, ac de rebus diuinis oderat, & nunc præcipitem ſe dare in puteum, nũc contrà ſorori ſuæ creare exitium cogitabat; plures itaq; dies, veluti furiarum tædis ardentibus acta, omnia infanda, atque atrocia voluebat animo: ſed vix Bernardini cingulum mater veſanæ addidit, cùm ſtatim ægra ſudore iuxta, ac lacrymis ſolui cœpta; quamobrem id ſibi noxium rata tentauit abijcere, ſed peruicit matris pietas intempeſtiuum puellæ conſilium, ac reddita filiæ zona omnem inde furorem excuſſit, ſuique compotem præſtitit. Iam alia, cui Victoriæ nomen, viro nupſerat; cæterùm poſt ſolennia pacti vtrinque coniugij verba, ita cępit odiſſe hominem, nihil vt ęquè atque eius præſentiam fugeret, manuque, & vnguibus fœdè dilaniatum procul haberet. Seſquiannum faſtidium tenuit, haud cuiquam

dubio quin id eſſet maleficio tribuendum. Igitur familiares, Bernardini zonam illi aliquando circundedere, quo amuleto victa ſtatim faſtidioſæ fœminæ inſania, ſe tandem cõiugem ſenſit, ſic vt plures è viro liberos deinceps pacata ſuſtulerit. Iſabellæ Aquauiuæ Scyllenſium Principi, cùm laterum dolore peſſimè excruciaretur, aliquando idem Bernardini cinctus ſaluti fuit. Aliam ſiniſtræ mammæ doloribus grauiter preſſam adhibitum huius ipſius zonæ fruſtulum momento temporis perſanauit: verùm hæc eadem aliquando cùm ſibi ſenis lipſana apponere neglexiſſet, vrgeri iterum iiſdem cruciatibus cępta; at admonita malo ſuo, ad ſenis cingulum, nec ſine ſucceſſu, feſtina rediję. Ioannem Franciſcum de Anna, parentem meum perpetua febris, ac vehemens peſſimè conflictauerat (id adeò anno labentis ſæculi decimoſeptimo ineunte contigit) metuſque non leuis ſuberat, augebat enim morbum inſomnia, ſic vt illi neque interdiu, neque noctu ſopor accederet. Medici vbi in eo rem illi eſſe vident, conclamatum pronunciant ni ſomnum proximis tenebris caperet; cæterùm fieri vix poſſe addebant vt ſequutura ea ipſa nox illi pacatior accideret: & verò nihil ex vano viſi coniicere: cœpta nocte æger conflictari vehementiùs, & laborare ſolito grauiùs cœpit, quare domeſtici cognito rem humanis opibus deſperatam cæleſtium præſidio indigere, ad Bernardini opem confugiunt. ſubit itaq; neſcio cui de Senis veſtibus centunculum domi eſſe; hunc ergò capiti iniiciunt, & pijs Bernardinum precibus vocant. res dictu mira, continuò periclitanti melius eſſe, & ſomnus accedere, quem de facili ad matutinas horas produxit: adeſt interim mane medicus, qui & exarmatam febrim, & releuatas non mediocriter ægroti vires præter ſpem deprehendens, rei neſcius, attonitus quærere vnde illa tam repentina in melius mutatio; atque vbi de Bernardini lipſa-

nis audijt, rem manifeſtam miraculi ſine dubio pronunciat; æger verò in dies habere meliùs donec omninò Bernardini ope conualuit. Alij item, cui Marcello vocabulum domo nobili è Saracenorum familia, crura vehementer dolebant, ſed vix linteos ſibi Bernardini calceos adhibuit, cùm repentè maximam partem ſopitus dolor eſt, paulòque poſt integrè valuit. Laborabat in partu fœmina, nec eniti infelix quibat, ſed facilem vterum experta eſt ſimul ſibi lintei præſegmen addidit, quo exanime Bernardini corpus fuerat olim ablutum; marem igitur enixa, infanti Bernardinum grati animi ergo nomen indidit. Puellam, cui Hippolyta nomen, malus dæmon obſederat, diuque, quaſi per otium, ſecurus ſtationem nullo interpellatore tenuerat; ſed tandem illuſtris fœmina virginem miſerata, ceream bullam celeſtis agni effigie ſacram, in qua Bernardini centunculus erat inſutus, de energumenæ collo ſuſpendit, ac ſtatim virgo ſtygij hoſtis obſidione ſoluta eſt. Cæterùm elapſis aliquot menſibus neſcio qui factum vt puella ſacra lipſana exueret; ſubitòque veluti à præſidio nudam hoſtis aggreſſus, iterum arcem occupare, & inſolentiùs furere, & quanquam pium virgo ſigillum reſumeret, non continuò abſtineri dæmon vt antea, nec fugere: hoc verò vbi matrona cognouit, quæ ſacram bullam dono antea dederat, mirari vnde hoſtis audacior factus Bernardini pignora pro nihilo haberet, quibus ſcilicet modò victus aufugerat; ergò dum rem diligentiùs explorat, bullam ipſam ſine panniculo Senis inanem animaduertit, ac ſtatim de Bernardini ipſius veſte reſegmen alterum bullæ pro amuleto inſuit; quod ſimul ac ſibi energumena appoſuit, nulla mora interpoſita, iterum victus malus obſeſſor cum ignominia diſceſſit. Sextum iam menſem ferebat vterum alia, cùm & dolore cordis, & effluuio ſanguinis grauiter vrgeri cœpit; id adeò argumentum exanimi fœtus

aliqui

aliqui credidere, præſertim cùm nullos viuentis in vtero pignoris ſentire ſe motus prægnans diceret; ſed præſtò periclitanti fuit mulier familiaris, quæ de Bernardini veſte particulam miſeræ appoſuit, nec tamen illi cuia veſtis eſſet, aperuit, id tantùm monens, vt ter prece Dominica, atque Angelica ſalutatione recitatis, illi cælitum propriè litaret, cuius tunc ſibi lipſana adijceret; paruit ægra, cõtinuòque & viuore ſibi fœtum in vtero ſenſit, & ipſa habere ſe meliùs, ac denique ſiſti profuſio ſanguinis cœpta eſt; itaque biduo perſanata proſiluit è lectulo integra. cæterùm cùm per ſocordiam aliquando admouere ſibi ſacrum pignus eſſet oblita, confeſtim redire lues vt antea; quare negligentiæ de ſuo admonita redijt ſtatim ad lipſana, quo facto iterum probè conualuit.

Bernardini lipſana libidinem arcent. *Caput XXII.*

ET fuere Senis reliquiæ aliquando animis etiam ſalutares. Agebat Romæ Societatis tyro, vir non vltimæ ſanè virtutis, in quem malus dæmon inſolitos quoſdam æſtus libidinis, tanquam amentatam haſtam coniecerat; ergò ille ad conſueta precãdi perfugia, corporis etiam cruciamẽta, & ſupplicia ſpontè ſuſcepta & diu, & plurima adhibuit; haud tamen hilum profecit vnquam, quin etiã Diuos, quorum ille ſe fidei, & patrocinio commiſerat, ſæpè in vota ſupplex, nequicquam tamen vocauit: igitur nec ſupplicijs vllis, nec ſuſceptis ſpontè cruciatibus, neq; lacrymis contumax incendium reſtingui poterat. Fortè per id tempus æger opportunè de Bernardini meritis, deque rebus admirabilibus multa cognouerat; ſubijt itaque experiri num eius nomen imploratum, maius aliquid poſſet; ea re lipſana ſenis

nonnulla ſibi appoſuit, ipſius opem, atque operam enixiùs poſtulans. quid multa? ad ſenis noſtri pignora fugari dæmon, ac teterrimæ voluptatis in illo ſenſus omnis extingui: quare importunæ petitionis expers, quietus agere in poſterum cępit. Sed illud longè præclariùs. In nobili Galliæ Ciſalpinæ oppido virgo erat iam annos plures pietati dedita, quæ Deo virgineum pudorem ſacramento obſtrinxerat; id adeò veterator nequiſſimus iniquè ferens, tam acriter infeſtari miſeram aliquando cœpit, vt iam penè victa ſuccumberet. Ardebat impuris ignibus, tantiſque illecebris ad voluptatem pelliciebatur, vt ijs ex animo abigendis impar ſibi videretur eſſe; non deſponderat tamen animos, quin potiùs ad omnia ſe mali remedia cōuerterat. Pernox, ac vigil ad pugnam, inedia corpus, cæteraque afflictatione macerauerat: vota etiam plura conceperat, atque ad cæleſtium opem confugiens, eorum ſibi lipſana piè admouerat. Sed videlicet nullum adhuc tantæ operæ pretium fecerat: quare ſtimulis acrioribus vrgeri ſemper, & penè inuita in lubrico hærens ad cęnum impelli. Fortè die quodam Sacerdos è noſtris, qui illi erat à confeſſionibus, velle ſe ei ſancti cuiuſdam viri lipſana dare dixit, vnde non inane præſidium opperiretur ſi piè illa corpori adhibuiſſet: erant autem ea de Bernardini tunica lintea fruſtulum, nec tamen Bernardini nomen aperuit. Verùm virgo aliàs id genus amuleta nequicquam experta, parui id ſcilicet facere: quare propè fuit vt continuò redderet, neſcio quid inter accipiendum obluctante animo, ac tum ipſum nō minùs animo, quàm ſenſu ad libidinem inuitata, ad cæli panem acceſſit, cùmque obniti cōtra, & frangere impetus vellet, cogitauit Ignatij Societatis parentis Sanctiſſimi nomen implorare, cuius ſibi reliquias eſſe traditas falsò crediderat; cæterùm pro Ignatio ad Diui Bernardini nomen proferendum impelli ſe occulta quadam vi

ſenſit.

ſenſit; itaque ſemel, iterum, ac ſæpiùs Bernardini opem expoſcere, tùm verò ſeipſa corrigens miſeram dicere; quid enim Ignatio cum Bernardino eſſet, aut quid hoc tandem ſibi vellet, vt neminem è cæleſtibus alium vocare poſſet, præſertim cùm Diuo huic Bernardino nunquã fuiſſet addicta. Quare Ignatium edere voce retentans fruſtrà connisa, age, inquit, & Diue Carpenſis Bernardine præſtò ſis, ac pro me Deum ora. Hìc enimuerò ſibi ipſa iratior, hem, inquit, nunc verò demum excuſſam mihi de ſtatu ſuo mentem ſentio, Senenſis eſt Bernardinus, quid illi cum Carpis? his igitur ſecum velitationibus exercita cæleſte ferculum ſumpſit, eoque ipſo temporis puncto omnem animi, corporiſque procacem æſtum veluti iniecta frigida extingui ſenſit, ac victrix domum reuerſa eſt. Tandem poſt biduum ad ædem Societatis venit, ac ſcire auens eccuius ſibi potiſſimum lipſana tradita eſſent, rem omnem homologetæ ſuo ordine narrat, ignoti Diui præſentiam ſummis in cælum laudibus efferens; enimuerò nihil ad hanc diem virgo de Bernardino noſtrate cognouerat; quare vbi hæc talia Sacerdos audijt attonitus plurima virginem de ſene noſtro edocet, mox Numini vterque ingentes ſimul agere gratias cępere, fœmina verò ſeni noſtro ſingulari ſtudio pietatis in primis addicta, nullis in poſterum ſe ſe ad illecebras carnis tentationibus agi, reſtinctis impuris ignibus, ſenſit.

Cor-

Corporis præſegmina, & ſanguis rebus admirabilibus illuſtrantur. Caput XXIII.

LIbellio quidam Neapoli, cui Agnello nomen, exceſis peſtilenti vlcere faucibus peſſimè laborabat, & chirurgi putrem ſcalpello carnem depopulati, ingentem in ijs hiatum fecerant, nec vitæ ſpes vlla iam reliqua erat, quin proximam ſupremam illi futuram noctem ijdem prædixerant. Ergò domeſtici deſperatis naturæ præſidijs, ad cælitum opem confugiunt, & laboranti de Bernardini carnibus fruſtulum vnà cum Diui Antonini (qui Surrenti cultu præcipuo colitur) vitta imponunt: ea æger piè deueneratus, nocte intempeſta cùm propè exanimis, & ſemiſomnis ſtuperet, hæc clara voce audijt: macte vir eſto, en tibi præſentes adſumus; ille ſomno excitus, ſupraque fidem exiſtimans poſſe ſe præſens periculum mortis exire, flere vbertim cœpit, ſed vix horæ vnius ſpatium intercesſerat, cùm iterum euocatus eadem audijt, præſenti animo eſſet, fudimus enim, aiebant, pro te ad Deum preces, ac te ſubduximus funeri; tunc verò æger animo mactus, quæ iteratò audierat, domeſticis narrat, pro certo affirmans Antonini, ac Bernardini tutela ſe minimè moriturum. Dictorum fidem probauit euentus: medici, qui iam extinctum credebant, vbi ſuperſtitem audiunt, ægrum inuiſentes, adeò fractam vim mali vident, vt omni vitæ diſcrimini ſubductum non ſine miraculo dicerent. Parmæ Octauij Farneſij Rangonij famulam peſtilens febris ita macerauerat, vt ſqualida vultu, & macie obſita pro exanimi comploraretur: cæterùm hauſtus aquæ, in qua de Bernardini neruo immerſum tantillum fuerat, fugauit æſtum, atque incolumem præſtitit. Eiuſdem pignoris aqua ter hauſta nau-

nauſeantem ſtomachum fœminæ ferentis vterum ſic erexit, vt quæ modò cibum capere non quibat vllum quin protinus captum regereret, ab eius aquæ potu firmiſſimo ſtomacho vteretur. Parmæ item medici filius infans cibo pertinaciter abſtinebat, neq; vllis artibus pellici poterat ad veſcendum: ea re pater pro depoſito habebat; verùm vbi aquam, in quam Bernardini lipſana immiſſa erant ebibit, illicò cibi appetens, & paſtus, & ſanitati redditus eſt, & pater argenteam coronam de Bernardini tabula grati animi monumentum ſuſpendit. Lupijs quidam caſu lapſus ex arbore brachium fregit, neque vllis medentium opibus debilitatem leuari ſenſit, quin potiùs poſt trigeſimam lucem febris acceſſit; quare ad Bernardini præſidium confugiens, ſenis linguam, quam piè cryſtallo incluſam domi noſtrates ſeruant, admouit brachio. Hoc facto ſequuta ſtatim integritas, & febrim magnam partem exarmauit, & ipſe intra paucos dies omninò ſoſpes euaſit. Lupijs itidem Catharinæ Monfortiæ mammas prædurus tumor, & ingens infeſtas habuit, quem periculoſum medici ominabãtur, ſed facilè peſtem excuſſit ægra adhibito Bernardini preſegmine, quo repentè corrigi vitium, & melius eſſe mammis experta eſt. Flandrina Naſſauia Orangij Principis filia, quæ Pictauienſi aſceterio in Gallijs Antiſtita præerat, cùm à Victorio Priuli domo Veneta, ſed qui æuum Lupijs degebat, de ſenis oſſibus fragmentum impetraſſet, illi reſcribens gratias primùm egit, mox addidit ſe, cum primùm ſacra pignora recepiſſet, graui quodam morbo, qui alterum diu crus peſſimè habuerat, è veſtigio liberatam, alteram item ſibi aurem plures annos hebetem non mediocriter præſentia ſacri oſſis erectam. Lupijs feminæ crus lapis benè magnus afflixerat, quo vlcus periculoſum illatum eſt: hoc verò nequicquam diu accurauerant medici, comminuta ſiquidem oſſa præſidium

omne

omne artis euicerant: igitur ægra, cùm nihil proficí, fruſtrà tot remedijs adhibitis, cerneret, cruri capillos Senis admouit, quibus ita meliùs habere cœpit, vt altero die perfectè omnem ab ſe morbum fugatum animaduerterit. Illuſtris fœmina Scyllenſium Princeps Maria domo Ruffa, anginam, quæ ſuperioribus annis vrbem Neapolim vehementer afflixit, capillis eiuſdem adhibitis probè curauit. Alium quendam dyſuria grauis diu miſerè excruciauerat, nec egerere vrinam vllis medicorum ſubſidijs quibat, tandem cùm ſibi de Bernardini capillis præſegmina adhibuiſſet, ſtatim ſomno correptus, ac non ita diu poſt euigilans, vrinam omnem facilè reddidit. Romæ Sacerdoti, cui Lucæ nomen, à tuſſi vehementiore pectus dolebat, nec ſanguinis excreatio aberat; hic verò tentatis diu nequicquam naturæ præſidijs, ad ſuperum opem ſe contulit; habebat porrò plurium Diuorum lipſana apud ſe domi, incertuſque animi eccuius ante alios præſentiam expoſceret, nunquam impetrare ab animo ſuo potuit vt alius præter ſenis noſtri capillos adhiberet: ergò ad quod occulta vi cælitus duci ſentiebat ſe ſe, id pergit exequi, capilliſque ſenis in aquam coniectis, eorum dilutum mox, tanquam præſens alexipharmacum piè hauſit; hoc facto ſtatim dolor euaneſcere, & ſiſti excreatio ſanguinis cœpta eſt. Huius verò germana ſoror ex ædium meniano in viridarium fortè prolapſa, ita caſu illo eſt afflicta, vt penè iaceret exanimis, ſed reuixit, conualuitque ſimul capilli eiuſdem dilutum ori eſt adhibitum. Sacerdos quidam noſtratium, cui Michaëli nomen, in Americam nauigabat, ſed graui febre correptus in via, quarta acceſſione in phrenitidem incidit, iamque ſacro oleo erat inungendus, cùm admotis Bernardini capillis, ſtatim exiliens valere ſe dixit, & reapſe conualuerat. Amantea nobile Calabriæ citerioris oppidum eſt. Hìc Carolus de nobili Caballa familia vehe-

vehementi morbo peſſimè afflictabatur ſic, vt pro depoſito medici haberent; aderant agenti animam viri aliquot religioſi: in his Sacerdos è noſtris, cui Marcello Pauonio nomen. Ergò huic in rebus iam conclamatis venit in mentem eſſe domi noſtræ phialam cum ſanguine Bernardini, quam cùm ad ægrum curaſſet afferri, in abaco locat accenſis hinc, atque illinc cum cultu cereis, iuſſitque interim omnes pro laborante preces, & vota concipere. Vix ſupplicium inceptum, cùm liqueſcere concretus ſanguis, & ægroto melius eſſe adeò, vt breui ex toto ſoſpes euaſerit. Ibidem nobilis etiam vir Iacobus Mirabellus periculoſa afflictus inualetudine, linguæ etiam vſuram amiſerat, ſed adhibito Senis pignore neſcio quo vnà cum ipſius epiſtola, vox iuxtà, & ſanitas è veſtigio redire viſa. In eadem vrbe Mauritium de Amato, domo nobili, medici depoſuerant, ſed applicito Bernardini ſanguine vnà cum Diui Dominici lipſanis, quanquam ſenſibus defectus redijt ad ſe, mox verò in totum conualuit. Eodem amuleto ſanguinis Alexander de Matthæis Palmerigenſium Comes laterum dolorem, & Senis eiuſdem alijs etiam pignoribus quibuſdam adhibitis, è veſtigio fugauit.

Mira in reliquis Bernardini lipſanis virtus. Caput XXIV.

IAm reliqua ſtrictim attingam. Ingentem ſanguinis vim quidam per triduum ore eiectauerat, nequicquam obnitentibus medicis, & vitæ expes agebat, ſed arundo Senis adhibita laboranti præſidio fuit, ſtatim enim à contactu ſupprimi cruor, & valeſcere æger eſt viſus. Fœminam aliquando apoplecticus ſtupor de repentè corripuit, ac miſerè deformauit, ore iuxtà, ac manibus, pedi-

buſque ſede retortis: ad hæc venarum illi pulſus iners, ac ceſſans; quare ſupremo oleo, quod vnum in præſenti fieri poterat, laborantem inungunt, dein arundinem Senis admouent: rem dictu miram, ægra ita per partes valeſcere pro eo vt deinceps tactu arundinis releuabatur, quæ tandiu eſt adhibita, donec reuocatis in ſtationem, atque officium membris, rediret pulſus, atque ita momento temporis integrè cõualeſceret. Aureliæ Venturæ aſcetriæ nobilis cor ita mobiliter palpitabat, vt pro depoſita à medicis haberetur, & inanis metus laborantem vrgebat, vt de nihilo formidoloſa in cunctis exhorreſceret; ſed appoſita Senis arundine, metum iuxtà, & cordis trepidationem illicò excuſſit. Tumens enormiter vterus Olympiæ Borgeſiæ, plures in eo claudi fœtus argumento erat: hæc verò nono iam menſe maximis doloribus excruciata miſerè eiulabat, omneſque medicorum ſuppetiæ adhibitæ fruſtrà fuerant. Cæterùm Bernardini opem non nequicquam experta eſt, ſimul enim atque illius præſentiam expoſcere, & arundinem admouere vtero cępit, vitiati illicò, & grauè olentis ſanguinis vim ſanè magnam, cum ingenti cruciatu, ſed ſine vllo pignore enixa eſt: qua peſte demum exacta, planè tota conualuit. Catanzarij puerum octennem Ferdinandi Zacconij viri nobilis filium, cui Franciſco nomen, peracutus lateris dolor de repentè aggreſſus, tam miſerè excruciabat, vt ferendo non eſſet; eiulabat itaque, agebatq; ſe impar dolori puer, & mater Cornelia Girunda nobilis fœmina filij malo anxia, cùm medicorum præſidia tardiora crederet quàm vt ſuppetias tempori ferre poſſent, ad cæleſtium opem conuertitur, ac ſubit ad Bernardinum confugere. Eius igitur viri icona tenui papyro expreſſam, quam domi fortè habebat, vnàque cælitum aliorum reliquias, veluti pietatis auctarium affecto lateri feſtina adhibet, mox iubet omnes precationem Domini-

Dominicam, & Angelicum Aue, atq; Eccleſiaſticum Salue, ſemel poſitis genibus recitare, eademque filio interim author eſt vt in Bernardini fidem, tutelamque concederet. rem ſanè miram, tantùm quòd preces abſoluerāt, cùm puer ſanum ſe lætus inclamat; & reapſe ad acceſſum imaginis dolor omnis illicò exarmatus exceſſerat; quod mirum poſtea, & Franciſcus ipſe mihi in Societate, quam poſt adoleſcens inijt, amicè narrauit, & à patre, qui adhuc ſuperſtes Catanzarij agitat, perſcriptum cum fide tradidit. Ibidem nobilis fœmina, cui Mariæ Girundæ nomen, poſt editum partu fœtum, ſecundas eniti per obſtetricis inſcitiam nulla ratione quibat: id adeò tam ſæuos puerperæ dolores mouit, vt defecta animo, ſopitaq; inibi fuerit vt in totū extingueretur. Certè medici actū dicere, & pro depoſita habere: quare domeſtici, vbi periculum ſupra naturæ præſidium vident, ad cæleſtem opē confugiunt. Erat porrò mulier iampridem Bernardino ſingulari ſtudio pietatis addicta; ad Noſtros itaque propinqui accurrunt, Seniſque lipſana expoſcunt, hi verò ſtatim arundinem, & fruſtulum oſſis expediunt; quæ cùm laboranti eſſent appoſita, redijt ægra ſtatim ad ſe, ſuperſtites alloquitur, denique nullis præſidijs ſecundas facilè enixa eſt; cuius poſtea miraculi ſeriem publicis tabulis ſcriptam, ſuoque ipſius, & complurium teſtium chirographo, & iureiurando firmam haud ita pridem ad me, vt cum fide noſtris hiſce monumentis inſererem, Catanzario Neapolim miſit. Neque hìc illud omiſerim, quod indidem ad me Antonius Moranus è Societate Sacerdos tabulis etiam publicis iuratus veritatis aſſertor perſcripſit, ſe ſcilicet quindecim ipſos annos Catanzarij agentem, illud habuiſſe pro explorato, arundinem Bernardini, quæ domi noſtræ aſſeruatur, vulgò parturientibus longè plurimis expetitam, nec fuiſſe, vt quæ ſibi illam inter enitendum fœmina applicuiſſet, difficili

puerperio vnquam extincta ſit. Hanc etiam ipſam Ber-
nardini in arundine ſua præſentiam, qua difficiles par-
tus expedit, teſtatus eſt literis nuperrimè datis Franci-
ſcus Roſeccus noſtræ item Societatis Sacerdos; hic enim
Aquilà in hæc fermè verba, dum hæc elucubrarer, ſcri-
,, pſit ad me: Ego hic iuuandis puerperis continens, ac
,, proprium ſeni noſtro donum cęlitùs datum reperi, quod
,, multis iam ab hinc annis hodie quoque certiſſimis ex-
,, perimentis perdurat. Equidem illud affirmare pro certo
,, habeo, vigeſimum hunc annum eſſe, ex quo in hoc Col-
,, legio ætatem ago, nullique interim, quæ ſibi arundinem
,, Senis admouerit, non compertam Bernardini præſen-
,, tiam; quo factum eſt, vt puerperæ tot iam periculis, quid
,, Senex poſſit edoctæ, illam quæſitum ad nos ſæpè mit-
,, tant, nec tamen cuia illa ſit ſciunt, ſatis habentes præ-
,, ſentiam noſſe. Hinc etiam communi vocabulo, non Ber-
,, nardini, ſed parturientium arundinem vulgò nuncupāt;
,, illud vſu compertum eſt, nunquam ad laborantes adhi-
,, bitam ſine ſucceſſu; quod facilè vel ex hoc vno intelli-
,, ges. Iuriſconſulti vxor difficili partu ſic laborabat, vt
,, iam animam ageret, extincto ſiquidem intra vterum
,, fœtu, tres ipſos dies infelicem nixum fruſtrà continua-
,, uerat: vir, vt in rebus conclamatis, vix extorquere per
,, nutus à laborante potuit, vt admoueri ſibi arundinem
,, Senis velle annueret: ergò vbi optare id ſe ægra aperuit
,, ſatis, illicò Senis bacillum dexteræ eſt admotum, ſtatim-
,, que moueri infans emortuus, ſic vt nullo labore abactus
,, ex vtero ſit. Quod obſtetrices pro ingenti miraculo ha-
,, buere, nam neque fœtui agendi ſe, quippe exanimi, nec
,, expiranti puerperæ, abigendi vis vlla inerat. Porrò arun-
,, do hæc domi noſtræ in theca oloſerica Phrygio opere
,, auro intertexta argenteis lamellis oras aptè tegentibus
,, aſſeruatur. Iam Lupijs ſella ipſa, qua vſus in extrema
ſenecta Bernardinus fuerat, ad ſuppetias laborantibus

in

in partu ferendas nihil minus præſentiæ habuit, quare cùm cuipiam partus appeteret, ſi quid è graui fœtura diſcriminis immineret, vel tacta manu enitentis ſella, vel ſcſſitando preſſa, laborantem præſtabat ſtatim incolumem. Eadem autographis virtus. Commodùm cùm hæc Neapoli ſcriberem fœmina clari ſanguinis Hippolyta Muxettola Franciſci Antonij Muxettolæ Regij Cõſiliarij filia, nobili viro Ioanni Sancio nupta, partus doloribus exercita periclitari maximè cœpit, tranſuerſus enim in vtero fœtus aditum ipſe ſibi præcluſerat; quæ res laboranti & ſenſus doloris acerrimos, & periculum præſens intendit. Flere ea re domeſtici, trepidare, tentare omnia, nihil agere: medicus incertus animi, cùm nihil humanis conſilijs proficeret, ad præſentiora cælitum remedia tempeſtiuè conuertitur, fortè illi cum honeſtiſſimis fęminis neceſſitudinis vſus intercedebat; hæ autem domi apud ſe autographum Senis cum alijs eiuſdem lipſanis religiosè aſſeruabant eo potiſſimum nomine, quòd Realinum præſtò eſſe vtero periclitantibus, certis experimentis didicerant. Ad has igitur adiens, etiam, atque etiam rogat Bernardini ſyngrapham tantiſper commodent, quo vno demum præſidio ſuccurri poſſe periclitanti pro certo habebat: illæ morem gerentes, & ſyngrapham, & dilutum, in quod lipſana erant immiſſa, roganti medico tribuunt, atque hic ſacrum alexipharmacum puerperæ feſtinus apportat, ac ſimul redijt, macti, inquit, animo eſtote, certius remedium affero, Bernardini autographum, qui puerperis patrocinari propriè conſueuit: agite, & Auguſtiſſimam Trinitatem omnes recitata ſemel prece Dominica cum Angeli ſalutatione deueneremur; quod dum peragitur, interim fœmina dilutum ſacrorum pignorum piè hauſit, & autographum Senis admouit vtero. Domeſtici nondum preces abſoluerant, cùm Hippolyta elegantem puellam facillimè

mè enititur, quo facto mater ſtatim periculo, & doloribus exempta eſt: cuius vt extaret miraculi memoria, pater publicas tabulas chirographo ſuo ſubſcriptas per tabellionem fieri iuſſit. Cæſar Mareſcallus domo Lupienſis, mari iter faciens Siciliam petebat, cùm ecce tibi ſæua tempeſtas orta certum vitæ diſcrimen intenderat, & nautæ ſalutem deſperabant; ſed ille Bernardini lipſanis aliquot in mare proiectis, inſanorum fluctuum ferociam momento temporis fregit. Idem hic mox ab Sicilia ſoluens nauigabat in Melitam, cùm iterum turbari cælum atrociùs, & fluctus intumeſcere, atque ille iterum ad Bernardinum confugiens, Senis opem in præſenti nequicquam implorare viſus, quin potiùs ventorum rabies tantò efferari atrociùs, quantò ille magis ſenem precibus fatigabat; igitur nautæ increpare vectorem quòd Bernardinum non modò fruſtrà, ſed cum maiore periculo vocare pergeret. Cæterùm in ſucceſſu diſpari eandem Senis præſentiam expertus eſt, nanque vbi tandem Melitam non ſine ingenti conatu & periculo tenuit, exceptus à familiari equite hæc audijt; tu verò hanc cæli, mariſque inclementiam non modò æqui, bonique facere debes Cæſar, ſed pro ea ingentes Numini gratias agere, niſi enim turbaſſet mare, nunc Turcis prædonibus ſeruitutem ſeruires, à quibus per hoſce dies quot quot hanc inſulam petebant naues, depopulatæ, captæque ſunt, cùmque has dictas oras inſediſſent, non niſi procella iſta demum exacti ab mari noſtro exceſſere. Lupijs P. Annibal Vitalis è Societate, ſtomachi, ac laterum doloribus vehementer afflictus ſeptuagenario maior in lectulo erat. Per noctem verò aliquando ità illi latus dolere, vt penè animam ageret: ſtetit venarum pulſus, ac frigido cepit ſudore diffluere; igitur cùm confici ſe momentis ſingulis cerneret, acciri iuſſum ad ſe Antonium Beatillum rogat vti de Bernardini lipſanis aliquid ſibi admoueret:

ueret: ille laboranti dictò audiens, author etiam Annibali fuit vt Bernardino votum piè aliquod nuncuparet; paruitque æger, ac ſecundum votum admotis lipſanis repentè conualuit, adeò vt è lecto proſiliens in ædem ſeſe ad confeſſiones audiendas illo planè ipſo temporis puncto contulerit. Puella annicula febri vehementiore correpta, vitæ expes nec lac quibat ſugere, & hauſtum illicò regerebat; accitus interim Sacerdos è noſtris vt de Bernardini reliquijs puellæ aliquid apponeret, præſtò fuit idem Beatillus, qui ſimul ac ſacra Senis pignora admouit, ſtatim puella conualuit. Lycium per æſtatem tenuit aliquando Franciſcus quidam è Societate cognomento Seluagius, cui in cubiculo de nocte ſoporem captanti infeſtiſſimi culices confeſtim aderant, ſomnumq; rumpebant; plures itaque noctes egit inſomnis: verùm Bernardini lipſanis ceruicali ſuppoſitis, ita fugauit ingratum agmen, vt ex ijs ne vnum quidem totam æſtatem ſenſerit ſibi negotium faceſſere. Infans, cui Franciſci Mariæ nomen è Rogeria familia, integras noctes ciulans non leues altrici ærumnas creabat, quibus prohibendis illa, expeditum ſcilicet conſilium nacta, opium puerulo propinauit; ergò infans lethali ſopore correptus obriguit, ac nullis ſentientibus propemodum eſt extinctus. Iam medium noctis effluxerat, cùm mater quendam ſibi imperantem audijt, ſurgeret ſi ſaluum filiolum vellet; illa ſomno excita nutrici mandat vt ſugendas puero mammas daret: ad hæc verò nutrix bellè ſoporatum quieſcere filium cauſata, nihil addidit ſupra; redijt itaque ad ſomnum mater, ſed interpellauit iterum dormientem eadem vox: quare non de nihilo ſe bis admonitam reputans, quid filio factum explorat, eumque tantùm non exanimem reperit, quamobrem dolore ſollicita, trepidare, ſatagere, omnia remedia conquirere, adhibere, ſed fruſtrà, tandem inops conſilij Bernardini reliquias

ſiquias adhibet,quibus ſtatim puer reuiuiſcere,& meliùs habere cepit; hìc verò mater Bernardini præſentiam reuocare animo in dubium cępit, ſecum reputans id fortaſsè nullo miraculo factum, medicatæ potionis vi eo ipſo momento temporis vltrò ſcilicet exarmata; ſed vix ea ſecum volutauerat, cùm iterum ſoporari infans, & pro exanimi iacere viſus: tum verò fœmina conqueri, ſeque filij paricidam dicere, quòd miraculi fidem temerè abrogare ſit auſa, dein ad Bernardinum conuerſa infimis precibus, & veniam temeritatis expoſcit, & opem efflagitat,lipſanaque iterum admouet;mirum dictu,reuocatus iterum è veſtigio ab veterno infans redijt ad ſe ſe, integrèque conualuit. Neapoli tyronem è Societate ſuſcepti piè conſilij pœnitere vſque eò cœpit,vt domuitionem, & ſæculum coqueret; quare abeundi poteſtatem verbis liberioribus importunè efflagitabat; hanc adeò veſani dęmonis intemperiem frangere ſaniore conſilio conati nequicquam multi, ſed tandem neſcio quis, age, inquit, & quo minus abeas te nihil moror,tantùm illud rogo, vt recitata ſemel Dominica prece cum Angelica ſalutatione Bernardinum inuoces, eiuſq; tibi hæc lipſana admoueas,& ſi quidem interim mens tibi in melius verterit,maneas,ſin minus,vt voles,hinc abeas.Ergò ille iam certus eundi, vt ſe ab his interpellatoribus expediret, morem roganti gerere non abnuit. Paruit itaq; ac tantùm quòd preces abſoluerat, cùm repentè tetra ea nubes ex animo euanuit,victuſque veterator dæmon abſceſſit, & tyro quàm ſibi peſſimè eſſet illuſum aduertens, non modò in ſuſcepto religioſæ vitæ propoſito perſtitit, verum etiam magnos in virtute progreſſus fecit. Puellæ caput ita læſerant papulæ, vt in amentiam adegerint,ægraque ab dolore ſui impos nunc ad terram, nunc ad parietem caput allideret,certumque ſibi creaſſet exitium, niſi furentem domeſtici prohibuiſſent. Cæ-

terùm

terùm applicitum miſerę ſalutatorium Deiparę ſertum, quod exanimem Senem attigerat, mentem quidem illicò,mox etiam breui ſanitatem reſtituit: ea re argenteum anathema de Bernardini ſepulcro grati animi ergo ſuſpendit. Adoleſcens,qui in Americam nauigabat,in mari febre correptus proximè aberat ab interitu;ſacris itaque ſupremis procuratus,& oleo ſupremo inunctus inibi erat vt expiraret;verùm ſic laboranti coronarios calculos,qui ſeni olim fuerant appliciti,è Societate quidam admouit eo ſucceſſu, vt cùm iam ſero diei penè exanimi adhibuiſſet,mane poſtero æger ſoſpes,ac ſanus in naui ſit expatiatus. Eodem in itinere cùm iam nauis penè portum teneret, prope fuit vt cęcis fluctibus obrueretur, etenim atræ nubes momento diem eripientes, tam ſæuam procellam excitauerant, vt exanimati vectores actum de ſalute ſua conclamarent. Sed periclitantibus præſtò fuit Bernardinus,cuius precarios calculos in mare demiſſos primùm,dein aperto cælo expoſitos, tanta repentè ſequuta cæli, vndarumque tranquillitas eſt, vt nauim ſecuri magiſtri ad portum nullo negotio appulerint. Ioannes quidam cognomento Pinarius eques, domo Luſitanus, ob mutati intempeſtiuè cæli inclementiam Neapoli lethali morbo correptus eſt,cui etiam lethargia grauis acceſſerat, ſopitis tam altè ſenſibus, vt morbi vis nullis medicorum conſilijs euinceretur, etenim altè ſuſpenſus, excuſſuſque non continuò excitari poterat. Igitur continens triduum ſopitus egit ſtupentibus medicis ſupereſſe tandiù. Cæterùm inexpugnabilem hanc naturæ viribus dormiendi neceſſitatem Bernardini præſentia facile vicit.Ob oculos veternoſi tabula,in qua Senis effigies,eſt appoſita cum eiuſdem epiſtola,quæ ſtatim ſomnum excuſſere, ac poſtridie æger febri in totum eſt releuatus. Monopoli appetebat fœminæ partus,quæ vterum verita, à Sacerdote quodam noſtra-

te preces efflagitauit; at hic icona, in qua Bernardinus erat expreſſus,roganti dono dedit monens,vt in eius interim fidem, tutelamque concederet. Mulier domi munus de pariete ſuſpendit;verùm in partu monentis oblita,penè ad vitæ exitum laborabat: interim ſublatis oculis fortè in Senis effigiem incidit, eiuſq; opem efflagitauit: mirum dictu; Senex tanquam annueret roganti,demiſit caput, quo ſtatim illa feliciter eſt enixa. Neapoli Cæſar Piſacanius in arcta cuſtodia habitus, luctu, & ſqualore miſerè contabeſcebat, etenim carcer ille tenebricoſus omnem aditu excluſerat diem; is itaq; aliquando ſeueriùs in ſe inquiri cognito, ad Bernardinum verſus, cuius apud ſe ſeruabat imaginem, eius opem cœpit enixiùs implorare; tum verò Senex in icone expreſſus explicato ad hilaritatem ore,quaſi preces exciperet, arridere homini viſus eſt. Bonæ igitur ſpei plenus,rei exitum expectabat,nec ſanè fruſtra; etenim haud ita multò poſt laxata cuſtodia, multò liberaliùs, atque humaniùs eſt habitus, breuique in totum omni crimine abſolutus dimittitur. Mutinæ aſcetriam nobilem decennio lateralis dolor ſic afflictauerat, vt quotidie magnos illi circa cor dolores excitaret; ſed autographũ Senis adhibitum morbum fugauit. Neapoli fœminam medici depoſuetant, quam peſtilens febris, ac delirium, aliæque peſtes peſſimè habebant; ſed vix ſibi Bernardini ſyngrapham adhibuit, cùm illi melius eſſe ſic, vt nullis medicorum alexipharmacis indigeret, breuique ſanitati ſit reddita. Huius verò filiam angina corripuit, quæ lues graſſata Neapoli ſuperioribus annis centena ipſa mortalium millia confecit, ſed eiuſdem contactu ſyngraphæ rupta illicò vomica eſt,& puella probè conualuit.

Nun-

Nuncapatis votis praſtò eſt vocantibus Bernardinus. Caput XXV.

NEc vota ſucceſſu caruere. Mulier, cui vocabulum Adriana, vteri doloribus quinquennium ipſum exercita, quanquam pluribus remedijs adhibitis, operam luſerat; erat huic ſoror, quæ germanæ vicem ſolicita, argenteam laminam ad Bernardini tumulum ſeſe laturam vouit ſi intra decimam lucem Adrianæ vterus conualeſceret: vix nona dies illuxerat, cùm omnis ab ſorore morbus abſceſſit, ſtupente medico tantam morbi contumaciam, quam diuturna artis induſtria vix fregerat, tam breui, tamque de facili edomitam; & ſoror voti damnata, argenteum anathema ſeni volens, & grata perſoluit. Puerum, cui Hieronymo nomen, Federici Verardi viri nobilis filium, Ilias malorum in ipſis cunis inſederat, nam & ſtrumæ fœdabant fauces, & ſcrotum epiploocele vitiauerat: ad hæc, retorta in ventrem crura, monſtri ſimilem fecerant, acceſſerantque aliæ peſtes veluti auctarium malorum; quare medici, aut maturum puero funus, aut perpetuam debilitatem, nec ex vano præcinebant; pater itaq; ad Bernardini cineres in ædem Societatis ſe contulit, eoque loci flens, ſi infantem ſibi ſeruaſſet incolumem, argenteam illi laturum tabulam ſpondet: mora nulla interceſſit; vbi domum redijt, ecce tibi ab nutrice nuncius, filiolum ſoſpitem agere, peſtes omnes exceſſiſſe, correcta in officium crura, nec ſtrumas, nec delapſi omenti vitium vſquam apparere; quare ſtatim ad templum rediens, Bernardino gratias agit, ac voti religionem mox lætus exoluit. Neapoli Atrienſium Dux Ioſias Aquauiua iſchuria graui correptus ob accenſum veſicæ os, periculoſo ſanè morbo conflictabatur, & ſequuta febris, & creber rigor, atque ingens la-

borantem peſſimè habebant; ad hæc faſtidiens ſtomachus cibum, & medicamenta omnia pariter reſpuebat: ea propter medici rem non vacare periculo pronunciãt. Interim Iſabella Aquauiua amita Scyllenſium Princeps, cognito quàm ſtudioſè Dux Bernardinum coleret, eius ad ægrotum imaginem attulit, quam ille piè deoſculatus capiti impoſuit, votumque Bernardino nuncupat. Rem ſanè miram, è veſtigio omnem ab ſe æger morbi inſolentiam prohibuit, nam & febris, & rigor illicò excuſſus, vrinamque facilè reddidit, firmoque ad cibum ſtomacho cœpit vti, omnis denique integrè, perfectèque conualuit. Igitur oloſericum pannum, quo Bernardini tumulus ſterneretur, voti reus Lupias miſit. Lupijs cuidam inanes, atque omninò de nihilo religiones quædam iniectæ ita mentem agitauerant, vt illam de ſede ſua, ſtatuque tandem excuterent; ea re coërcendus vinculis domi fuit, ne foras erumpens, vt erat furioſus, & vecors, periculum cuipiam faceſſeret. Quinque ipſos menſes egit inſanus, at mater tandem mentis naufragium miſerata, Bernardino tabulam vouit ſi filio ſanitas, veluti poſtliminio rediret; vix votum conceperat, cùm reddita veſano mens eſt, & mater votum exoluit. Infantis vix dum anniculi fauces angina inſederat, quamobrem ſcalprum medici depaſcendæ peſti bis, ſed fruſtra adhibuerant. Mater vbi imminere ſupremum exitium filiolo videt, Bernardino expreſſum in argentea lamina puerum eſt pollicita, ſtatimque puerum valeſcere ſenſit, & mox promiſſi fidem impleuit. Puerum octennem Bernardini lipſanis mater, votoque eidem concepto, puncto temporis perſanauit, quem perpetua febris quatuor ſupra viginti dies miſerè emaciauerat; cæterùm ſoluendæ fidei diu negligens reuocauit filio priſtinam inualetudinem, qua veluti officij magiſtra demum mater admonita, inſtaurato eidem voto iterum filij morbum abſtinuit, pro-

miſſiq;

miſſiq; fidem, ſuſpenſa de tumulo argentea tabula liberauit. Beatricis Liſgaræ oculos grauis epiphora ſic inſederat, vt ceca per quadriennium vixerit; quanquam verò ſubinde, quarto ſcilicet quoque menſe miſeræ neſcio quid lucis rediret, id ipſum tamen & oppidò exiguum, & fugax experiebatur: nam neque acum tùnc tractare, neque vllam fœmineis laboribus nauare operam quibat. Ergò ſe tandem ad Bernardini opem conuertit, oculos argenteos pollicita ſi valeſceret; tantùm quod preces abſoluerat, cùm colluſtrari ſibi aciem vtranque ſenſit, cùmque annum ipſum ſuendo, nendoque præſentiam Senis propriam experta eſſet, voti religionem ſuſpenſo demum anathemate exoluit. Idem morbus fęminæ etiam alterius vitiauit oculos, quæ medicorum remedijs accurata leuauit quidem alterum, cæterùm dum eaſdem alteri ſuppetias ferret, vtrunque miſerè perdidit. Ea re Bernardinum, præſentiorem ſcilicet medicum ſibi vocat, conflatoſque illi ex auro oculos ſpondet, quo facto cœpit vtroque belliſſimè vti, ac mox ſupra aureum anathema cereum auratum addidit, atq; vtrunq; de ſenis tumulo voti potens ſuſpendit. Argenteam laminam auro oblitam Neapoli vouit Felix Pappacoda ſi graues, quibus affligabatur diſtillationes Bernardinus prohibuiſſet, votiq; compos, votum reddidit. Haud ita Lupijs procul Caſtellum eſt, quod vulgò Mallianum nuncupant. Hic fœminæ neſcio cuius pollicem morbus exederat, vt non carnes illi modò, ſed oſſa etiam putreſcerent; neq; vllum chirurgi accurando pretium operæ fecerant. Octo itaque menſes digiti doloribus eſt exercita; aſt vbi Bernardino argenteum pollicem vouit, è veſtigio ſanitas ſequuta eſt. Cæterùm, vt erat domeſticæ difficultati maximè obnoxia, oblita fidei liberandæ alia omnia cogitabat: verùm à familiari quadam admonita, ad rem quidem adiecit animum, ita tamen vt dum

omnia

omnia cautè nimis exigit, cœperit de voto ipſo ambigere. Hæc illa agitāte, redit pollici morbus, quo demum admonitore certior, & votum inſtaurauit, & vitium iterum repentè expulit, & promiſſis denique ſtetit. Neriti mulier, cui Camillæ nomen, duodecim ipſos annos morbo comitiali laborans, in ignes interdum affligebatur: huius verò vicem amita miſerata, de Bernardini tumulo tabulam ſe ſuſpenſuram ſpopondit, in qua miraculi fidem pictura faceret, ſi per eius præſentiam neptis valeſceret: vix votum conceperat, cùm ſoluta repentè morbo propinqua eſt ſic, vt nunquam aliàs huiuſmodi illam peſtis affligeret.

De Bernardini ſepulcro mira quædam.
Caput XXVI.

PAr etiam rebus admirabilibus patrandis gloria Bernardini cineres ſequuta eſt. Infans, cui Ioannis nomenclatura, malè cohærentibus vertebris luxata ſpina in lucem editus, ſtare ſcilicet nulla ratione poterat, ſed aliorum manibus erectus ſi fultura deficeret, in caput prolabebatur. Poſt triennium mater ad Societatis ædem deductum ſupra Bernardini tumulum ſtatuit, eius opem precibus enixè poſtulans. Audijt ex parte precantem Senex, infans enim paulò poſt erigi, ac ſtare ipſe viſus, cæterùm ingredi nondum quibat; læta ergò ſucceſſu mater ſperare meliora, nec verò fruſtra, altero enim menſe iam circumacto ſtatuit iterum infantem ad tumulum, atque ille paulatim mouere pedes, vtpote nondum ſciens ambulandi, ſed relatus domum non ſtare modò, ſed ingredi liberè, & diſcurſare cum æqualibus cœpit. Alia quædam tumulum piè deoſculata, molarium, quo tunc maximè excruciabatur dolorem repentè fugauit.

gauit. Marcellus quidam cognomento Corteſius graui epiphora preſſus, dextero peſſimè oculo laborabat: agebat porrò vir in oppido vnius diei iter ab Lupijs, vbi mali pertinaciam veritus, quanquam ſæuiente per æſtatem canicula, eò ſe, vt ſi qua poſſet medentium opera leuaretur, contulit; cæterùm & longinqui labor itineris, & anni feruidioris æſtus affectum oculum tam malè habuere, vt malè medici ominarentur. Hoc vbi cognouit æger, poſtridie ſe è veſtigio ad Bernardini cineres tulit, vbi in preces effuſus, iam abiturus laborantem oculum clatris ſepulcri ferreis apprimit, ſtatimque cælesti veluti collyrio vſus, reſidere tumor, diſcedere pituita, exiccari lacryma, inflammatio euaneſcere, denique totus probè accuratus domum reuerſus eſt. Fœminam tumentis coxæ dolor grauiter lectulo affixerat, nec moliri ſe ſine aliorum opera poterat: ſic hærentem Bernardinus expedijt, ſimul enim ac laboranti tapetis fruſtulum, quo Senis arca inſtrata fuerat, de ſepulcro eius allatũ eſt, eo ad femoris vitium adhibito, ſtatim conualuit, ac mox in æde noſtra Lupijs rei ſucceſſum Antiſtiti Gallipolitano Gonzalio de Rueda narrauit, qui tunc ipſum Pontificis Maximi iuſſu de Bernardini miraculis publica inſtrumenta conficiebat. Iam folijs, floribuſque, quos frequenter ad viri tumulum mortales ſpargunt, eadem vis ineſſe viſa aliquando. Nobilis fœmina, cui Anna nomen, domo Mettola, abſceſſum in ore, quo grauiter excruciabatur, adhibitis Bernardini tumuli folijs, repentè ſanauit. Prægrauis diſtillatio Scipionis Capouillæ naſum ita vitiauerat, vt exeſis putredine carnibus, quindecim ipſa viſu fœda, atque informia in naribus foramina illi hiarent, periculumque non leue ſuberat ne inhoneſto vlcere ſine naſo facies peſſimè deformaretur. Hoc verò cùm à medicis audiſſet vxor, ad Senis tumulum tota in lacrymas, ac preces effuſa, mariti valetudinem enixo

ſtudio

ſtudio commendauit, raptoſque indidem floſculos ad virum attulit monens, vt affectis naribus admoueret, & Bernardini præſentiam poſceret: paruit vxori æger, præſentique florum tactu ita conualuit, vt omnes vltrò hiatus occluderentur, neque vllum abactæ peſtis veſtigium ab eo die animaduerteret. Puellæ oculos corruperant papulæ, quare menſibus quatuor cæca in totum egit; verùm non deſponderat animos, quinimmò ſæpè domeſticis teſtata eſt, viſum ſibi aliquando per ſpeciem Bernardinum valetudinem promiſiſſe. Hoc puellæ ob candorem animi fallendi neſciæ teſtimonio mater animi macta, de lampadis oleo, quæ ad tumulum Senis ardebat penſilis, filiæ oculos oblinit Senem vocans: nulla mora, reddita ſtatim oculis die, puellæ verbis fidem ſucceſſus fecit. Alia quædam ab dextera aure vitium, quod audiendi vim hebetauerat diu, ſuperfuſo eiuſdem lampadis oleo, momento temporis ex toto fugauit. Mulierem angina mēſes quatuor grauiter vexabat obnoxiam, & mali vis medicorum induſtriam peruicerat. Cæterùm, quæ ſupra præſidium artis fuerat, ceſſit fomento Senis, Bernardini enim oleo delibutis faucibus cępta nocte, mane poſtero exceſſit. Geminum huic illud. Puellam, cui Lucretia nomen, idem in faucibus vitium adeò confecerat, vt iam ſupremis myſterijs expiata animam ageret, plures interim, qui ſolennes Eccleſiæ preces morituræ dicerent Sacerdotes præſtò fuerant; ſed pater deſiderium filiæ non ferens, deſperatæ affectas fauces eiuſdem oleo lampadis oblinit, cùm ecce tibi ægra de repentè conſedit in lectulo ipſa, ſuperſtites affatur, cibum capit, atq; ita demum ualeſcit, ut quam ſe fuiſſe poſtridiè elaturos propinqui credebant, eam incolumem ex toto agere non ſine communibus familiæ gaudijs deprehenderint. Antoniæ Tafuræ grauis epiphora gingiuas corruperat ſic, ut laxis radicibus dentes illi omnes emoue-

rentur.

rentur. Cæterùm ſenis oliuum gingiuis adhibitum, ſua ſtatim quemque in ſtatione firmauit. Olitori cuidam, dum hortos ſuos coleret, rupto per laborem omento, inteſtinum in ſcrotum decidit; hoc adeò illi maximos dolores creauit, & medicus nullis opibus iri poſſe obuiam, ſed breui malo ſuccumbēdum prædixit: ſed amita ægroti de Bernardini lampade olei guttulas affectæ parti aſpergit, ſtatimque ſomno vterque corripitur: interim inter dormiendum fœminæ vox quædam ad aures accidit (erat autem ea vox hominis, quem illa ardentem geſtare manu lampadem videbat) hic itaque ſurgeret imperauit, nepotemque inuiſeret iam accuratum probè. Excita protinus è ſomno mulier laborantem interrogat ecquid bellè ſe habeat; ille verò ſibi iam melius eſſe reſpondit, ac mane proximo medicus vltrò in ſtationem ſuam inteſtinum rediјſſe, ægrumque omninò ſoſpitem agere non ſine ſtupore ingenti reperit. Neapoli Matthæus quidam Acuntius biennium tabe hectica peſſimè emaciatus acciſis viribus expuitione maximè ſalſa, aliјſque peſtibus laborabat: & quanquam omnia medicorum ingenia fatigauerat, non continuò pretium vllum fecerat operæ. Hic adeò cùm de mira Bernardini in perſanandis ægrotis præſentia fando plurima audiſſet, Lupias trium, ac viginti dierum itinere, tardante ſcilicet viam morbo, contendit. Ergò ſimul in vrbem eſt illatus, è veſtigio ſe ad Bernardini tumulum contulit, vbi omnis in preces effuſus, certum iam ſibi exitium enixè deprecabatur. Interea loci Sacerdotem quendam è noſtris, vt ſibi de Bernardini lipſanis aliquid admoueret, etiam atque etiam rogat; ille continuò morem gerens, vnà cum Senis reliquiјs Diuæ etiam Irenes goſſipium laboranti adhibet, nec ſua precãtem ſpes fruſtrà habuit; etenim à contactu ſacrorum pignorum, ſtatim ægro melius eſſe, nam & caput, quo grauiter æſtuabat refrigera-

 ri, &

ri, & præſalſum ſaliua os fieri dulcius: demùm vſque eò conualeſcere, vt & rediret exangui color, & ſe iam ſanum, & ſoſpitem inclamaret; quare Neapolim reuectus, omnibus medicorum placitis valere iuſſis, pro ſano agere, & viuere arbitrio ſuo in poſterum cœpit; nec tamen vlli ſe morbo obnoxium ſenſit, ac beneficij memor argenteum anathema ad Bernardini tumulum redditæ valetudinis, & animi grati argumentum indidem Lupias miſit. Nobilis fœmina Vrſula Fornaria graues capitis iniurias paſſa aliquando, ad Bernardini cineres poſitis genibus, ipſius opem magnis precibus efflagitauit pollicita ſi ſaneſceret, ſe illud ipſum, quod in præſenti geſtabat velamen capitis oloſericum argento intertextum de ſepulcro ſuſpendere. Dictum factum, ſecundum hæc vota dolor omnis è capite abſterſus eſt, & mulier ipſo illo temporis puncto voti rea promiſſum exoluit. Iam de alijs, quæ Bernardinus ſingulari in laborantes patrocinio mira edidit, ſingulatim exponere, vt ſuperuacaneum, ita penè infinitum ſit, nam præterquam quòd longè plurima ab idoneo authore in iuſtum volumen collecta in Neapolitanæ prouinciæ tabulario aſſeruantur, vnde nos aliqua excerpſimus, plura etiam patrantur in dies, quæ ſi in medium afferrem, & legentium otio abuterer, & ſuccumberem operæ; quare volens ſuperſedendum pleriſque duxi.

Pluribus ſe ab obitu Bernardinus palàm viſendum oſtendit. Caput Vltimum.

VErùm ne inter tot egregiæ virtutis argumenta illud vnum Seni noſtro defuiſſe credamus, quo viri ſanctitate illuſtres aliquando floruere, ſe ſcilicet interdum ſpectandum ab obitu dare, libet in affecto iam

opere

opere viſa quædam illuſtria curſim attingere, atque ita demum labori noſtro imponere ſupremam manum. Mulier Cæcilia nomine, quo tempore Bernardinus oppetijt, graui morbo afflicta, ante biduum quàm etiam ipſa è viuis excederet, preſſam ſe ſolicitudine aliqua, & ſanè ingenti oſtendebat; hanc vt auerteret ſoror, admonuit vt inuiſentes ſe officij cauſa reſalutaret; at illa alijs ſcilicet longè maioribus in præſens diſtineri ſe curis reſpondit, cauſam ſuam agi, & ſuperſtites quid ſibi vellet, minimè intellexere: cæterùm mox hilarior ad aſtantes verſa, iam mea, inquit, apud Superos peracta cauſa eſt: adfuit patronus mihi Bernardinus, quem maxima circunfuſum gloriæ luce conſpexi, & ipſe mihi cauſam obtinuit eò quòd ante plures annos apud ipſum vniuerſæ vitæ labes ſacra homologeſi deleui; ab his dictis biduo exacto placidiſſimè expirauit. Exceſſerat item haud ita pridem è viuis Bernardinus, cùm nobilis fœmina Hippolyta Piſacania, quæ tum fortè ferebat vterum, rata ſe præſidio Senis deſtitutam, quem aliàs cùm viueret, in partionibus præſentem experta erat, ingenti mœrore contabeſcebat, ſeque in puerperio morituram prò certo ſibi perſuaſerat; ergò cùm hæc, & talia triſtis verſaret animo, ſomno per noctem arctè complexa videt ſibi explicato ad hilaritatem ore adeſſe Bernardinum, atque animos facere, & infantem puerum manu geſtare, nec vana ſomniaſſe ſucceſſus oſtendit: etenim haud ita multò poſt marem feliciter eſt enixa. Sed illud illuſtrius. Nondum planè euigilauerat Olympia de Docc Iacobi Treſcæ viri nobilis vxor, quæ nonum iam menſem ferebat vterum, cùm appetente iam die vocem neſcio cuius exaudijt, qui ſe nomine compellaret: excita itaque Senem videt cum bacillo aſtantem ſibi, iubentemque vt è lectulo ſurgeret, hac enim ipſa luce, inquit, maſculam ſobolem gignes: mulier ſtupore correpta, ac ſimul dicto

audiens cùm ſurrexiſſet, in ſacram ędem perrexit, ac poſt ſacram homologeſim ad ſynaxim acceſſit; mox vbi domum reuenit, vteri laboribus tentari cœpta marem edidit, cui Franciſco nomen indidit, rata ſcilicet, quem cum bacillo viderat Senem, eum Diuum Franciſcum Paulæ ciuem, Minimorum parentem, fuiſſe. Haud ita multò poſt iterum prægnans, cùm iam partus appeteret, ſummo adhuc mane in lecto cubans, denuò compellari ſe nomine audijt, excitaq; eundem Senem eodem loci, vbi antea viderat cum arundine conſpicatur, qui vt ſurgeret imperans, eodem die daturam viro ſuo marem prædicit; cęterùm monet ne iterum ſenis, ac bacilli ſpecie decepta Franciſcum crederet, ſe enim Bernardinum eſſe, qui ſe illi, vt in præſenti, ſic antea videndum exhibuit, ea propter puerum, Bernardinum ſibi cognominem diceret, ac ſtatim diſceſſit. Igitur mulier è lecto proſiliens conceſſit in templum, ibique poſt confeſſionis myſterium ritè obitum, ſe Euchariſtiæ epulo munijt, domumque rediens infantem enixa eſt, cui Bernardino vocabulum indidit, qui hæc ipſa de ſe iam vir, Lupijs ad me Neapolim humaniſſimè ſcripſit. Quædam pleuritide afflicta, ſic laborabat, vt eam pro depoſita medici conclamauerint, quare ſupremis expiata myſterijs, ac ſenſibus deſtituta mortem opperiebatur, ſed vix ipſius capiti ſuppoſitum eſt ceruical illud ipſum, in quo Senex iam agens animã, acquieuerat, cùm repentè redijt ad ſe ſe ægra, eique improuiſum ſiſtit ſe Bernardinus cum arundine, affatuſque humaniſſimè laborantem, ex oculis rurſus euanuit; quo viſo illi tam benè eſſe, vt breui morbum ab ſe omnem excuſſerit. Igitur beneficij memor de Bernardini tumulo tabulam cum argumento redditæ ſanitatis appendit. Syluia Mareſcalla graues capitis moleſtias paſſa, cępta nocte Bernardini reliquias puluillo ſuppoſuit, ac ſomnum cępit, cùm ecce tibi inter dormiendum Senex apparuit,

paruit, ac macte eſto, inquit, filia, en adſum tibi præſens, ac morbum faceſſere iuſſi, & illa mane euigilans perſanatam ſe ſcilicet ex toto ſenſit. Annæ Boziæ vehemens febris vitæ periculum intenderat, & iam ſacris piacularibus procurata, inibi mortem opperiebatur: interea loci Bernardino ægra argenteam laminam vouet, nec tamen viſa hilum proficere; etenim ſecundum vota veterno grauiore preſſa, penè fuit vt emitteret animam, quam ſacerdotes ad id locorum ſolennibus Eccleſiæ precibus Deo commendatum ibant. Verùm in agone ſupremo laboranti Senex adfuit, ſeque palàm viſendum fœminæ dedit, manuque apprehenſam iubet ſecuram agere, illi morbum proſperè caſurum pollicitus. Senis viſum iuxtà & promiſſum probauit euentus, nam ſtatim ægra ſui compos aſtantes alloqui, Senem ſibi viſum dicere, valetudinem promiſiſſe; nec diu poſt integra virium, votum exoluit. Adoleſcentem, cui Ioannis Franciſci nomen, cognomento Grandem peſtilens febris corripuit, & medici ſeptimo die occaſurum prædixerant; ad hunc è noſtratibus quidam officij cauſa ſalutatum conceſſit, & Bernardini galericulum tulit, quem cùm capiti æger admouiſſet, illicò effluuium ſanguinis ingens è naribus vltrò elici, vnde aliqua medicis ſpes ſanitatis effulſit; nihilominus tamen vbi lux ſeptima illuxit, morbus ingraueſcere ſic, vt poſtero die animam ageret: ſic laboranti Bernardinus apparuit, tactumque adoleſcentem arundine, valiturum prædixit, & ille ad ſe rediens animi plenus viſa domeſticis cum fide narrat, & nihil ex vano narraſſe ſequuta poſtmodum, quanquam reluctante diu morbo, ſanitas probauit. Lubra peruetus oppidum eſt in promontorio Mineruæ vnius diei iter ab Neapoli, quõdam Sirenum fabulis nobile, nunc Maſſam Lubrenſem dicũt. Hìc Lubrenſis Deiparæ, ab ipſo ſcilicet vrbis nomine nuncupatum templum viſitur, quod olim Mineruæ delubrum

lubrum fuiſſe multi nec ex vano autumant. Hìc itaque Sacerdos quidam pareciæ præfectus cùm ageret, aggreſſi de nocte aliqui præacutum illi veru altè in viſceribus condunt, & quatuordecim ipſis vulneribus capitis oſſa comminuunt: ergò accitus properè Sacerdos è noſtris vt confeſſionem expirãtis exciperet, fruſtrà fuit, etenim reiecti ex ore vis ſanguinis fandi copiam miſerè intercipiebat. Sacerdos itaque deſperato Bernardini pileolum tradidit monens vt eius ſe fidei, & clientelæ committeret: æger, quanquam in ſupremo anhelitu, tamen quod erat admonitus facit, cùm ecce tibi ſub auroram crepero adhuc ſopore vinctus, hinc aſtare ſibi Lubrenſem Virginem, illinc prouolutum in genua Bernardinum pro ſe orantem aſpicit, mox vtrunque ſibi valetudinem pollicentes audit: ab his ille viſis redit ad ſe, eque Lubrenſis Deiparæ lychnuco penſili oleum, vt erat à Virgine imperatum, fouendis vulneribus adhibet, quo ita releuari cœptus, vt octaua luce in totum ſoſpes euaſerit. Lupijs Claudius quidam cognomento Recuperus per æſtatem intempeſtiua cæli mutatione in morbum incidit, quo tam periculosè eſt afflictus, vt ſupremis ritè myſterijs inſtructus, vitæ exitum expectaret. Interim Bernardini imagine, ac lipſanis, quæ apud ſe domi erant excitus, ad Senis opem implorandam conuertitur, ſtatimque aſtare ſibi, & coram alloqui Senem videt, atque animos facere, neque falſa ægrum deceptum imagine ſucceſſus oſtendit; nanque ſecundum hæc viſa omnem, quę illi creabat exitium, per os peſtem euomuit, ac momento conualuit. Neapoli aſcetria nobilis, cui Dorotheæ nomen ex Albertina familia, ſcalarum prolapſione afflicta dexterum brachium plures in partes fregit, ſiniſtrãq; luxauit manum: ad hæc vehemens dolor grauem miſeræ epiphoram excitauit. Agebat itaque non omnis ſecura periculi, nempe inſomnis octiduum, & doloribus

ſanè

ſanè maximis excruciata: tandem ad Bernardinum conuerſa, cuius illa in fide iam multò ante conceſſerat, illius opem enixiùs efflagitare inſtituit, nec verò fruſtrà, etenim ſtupore graui correpta, inter quietem adeſſe ſibi Bernardinum videt ore explicato, ac ridenti, qui reducto conopæo affectum brachium tangens, integritati ſe redditurum recepit, & illa ſtatim euigilans, vſque eò ſe releuatam doloribus ſenſit, vt intra paucos dies integrè perſanata ne mali quidem veſtigium reliquum vllum viderit. Quendam Franciſcum nomine, dum vnà cum coniuge animi cauſa in hortis expatiaretur, apoplexia tam fędè corripuit, vt humi ſopitum afflixerit, vbi diù penè exanimis iacuit. Interim vxor Bernardinum inuocans præſidio fuit, dum enim hæc abit in preces obtulit ſe laboranti viſendum Senex, ac citam incolumitatem ſpopondit; viſum ſequuta repentè ſanitas comprobauit. Neque vxori ipſi minùs benignè facere eſt viſus, cui aliquando præ graui morbo laboranti idem Bernardinus apparuit, ſecuroq; eſſe animo iuſſam, biduo integrè perſanauit. Iam quod hi coniuges iureiurando teſtati ſunt, non eſt hìc ſilentio prætereũdum; nimirùm quoties aut alteruter, aut vterque piaculo ſe ſe aliquo obſtrinxiſſent, Senem, quem in tabula expreſſum habebant domi, ore ſubtriſti, atque ad ſeueritatem compoſito, rurſus hilari, & explicato; vbi egregij, ac pij operis aliquid ſupra cæteram conſuetudinem aggreſſi eſſent, apparere illis conſueuiſſe. Lupiæ, quæ ob ingenium ſoli mitiſſimum lapides etiam ipſos erudiri ferro faciles gignunt, crebras habent ob id lapidicinas, ac foſſas, quæ vel ad ponẽda ædificia, vel ad ſeruandum frumentum diù penitiſſimè excauantur. Fortè infans trimus Leonardus nomine ipſo annuo Bernardini funeris die in ſcrobem vnum ex his altè defoſſum decidit, caputque lapidi illidens iacuit pro exanimi diù. Aduerterat hic fortè caſus auiam infantis,

cui

cui cùm aliter opitulari non eſſet, Bernardinum puero præſentem vocauit: at mater, quæ tum fortè ipſum in æde Societatis Chriſtianis myſterijs nauabat operam, certior facta, conſternata animo ad Bernardini tumulum ſupplex filiolo opem expoſtulat, mox ſeſe inde proripiens perrexit ad foſſam, ac tempori adueniens demiſſum per funes hominem reperit, qui puerum omnium iudicio exanimem commodùm indidem educebat. Et verò cùm puer ita malè habitus horam ipſam iacuiſſet inibi afflictus, vbi euocatus ad ſuperas auras eſt, ita rigebat, vt nullis veſtigijs eius vita ſe proderet; quin etiam in mactatum recèns veruecem inſutus, planè vt fuerat rigens, & exanimis in eum incluſus, ita nihilò melior eductus indidem eſt. Ergò cùm exanimem omnes conclamarent, unus inuentus eſt medicus, qui infantem uiuere, tenuemque adhuc in præcordijs agitari ſpiritum diceret, cæterùm hunc ipſum breui cum vita exceſſurum. Noctem mater egit ad pueri cadauer inſomnem; demum lacrymis fatigata, defeſſa lumina tacito ſopore compoſuit, & tantùm quòd conniuere occeperat, cùm adeſt illi per ſpeciem Bernardinus, qui luctum abſtergens, filium illi incolumem oſtendebat: ab his mulier euigilans, ſtatim ecquid puero factum explorat, at is iam ſoſpes blandè matrem compellans iubet eſſe ſecuram, ac Senem puerili vocabulo nuncupans, en Pappum, inquit, mamma, cum arundine, quo plane eſt intellectum, quo tempore ſe matri viſendum dederat, eodem infanti pariter Senem noſtrum apparuiſſe. Igitur puer ne veſtigio quidem morbi ſuperſtite, iam probè accuratus omninò ſoſpes euaſit; quod medici pro ingenti ſanè miraculo habuere. Aſcetriæ cuidam, cui Virginiæ nomen, Lupijs adnata ſiniſtræ nari caro, ſic illam clauſit, vt reciprocare inde animam, & ſomnum capere vix poſſet. Huic verò abigendæ peſti cùm fruſtra diù omnia

medi-

medicorum ingenia deſudaſsēt,nihil profecerant. Quare inquies, & doloribus exercita mulier, quid faceret amplius non habebat.Ergo trimeſtres morbi moleſtias paſſa ad Bernardinum nuperrimè extinctum conuertitur, rogans vti ſibi à Deipara valetudinem impetret. Audijt precantem Senex, ac tribus deinceps noctibus ſe illi præſentem ſiſtit, ſanitatemq. afferre ſe à Sanctiſſima Virgine dictitans affectam imi naſi partem expiat crucis ſigno.Mulier vbi prima nocte euigilauit,odorem longè ſuauiſſimum ſenſit, qui quatriduum tenuit: Demum nocte tertia, vbi ſomnum excuſſit agnatam nari carnem ita auulſam reperit, vt vix hærentem facili negotio euellerit, atq; ita demum experta tot irritos medicinæ artis conatus cœleſti ſenis ope conualuit. Quo tempore Summi Pontificis iuſſu Antiſtes Gallipolitanus Gonzalius de Rueda de Bernardini rebus geſtis publicas tabulas conficiebat, quibus poſtea cœleſtes honores ab Hierarcha ſummo ritè illi decerni poſſent, in cæteris Aurelia Ventura ad examen vocata eſt. Hæc vero, ſeu verita ne quid falſi per obliuionem excideret, quod poſtea iure iurando ſanciret: ſeu quid aliud ex vano metuens, cum tamen noſſet plurima, pro teſtimonio dicere nihil volebat: Verum reſtitantem cœleſtis vox impulit. Etenim per noctem excita neſcio quem voce contenta imperantem ſibi compluries audijt: Age Aurelia, & ſimul diluxerit, quæcumq; in te Deus per Bernardinum miracula edidit, apud legitimum quæſitorem enarra: quo illa imperio exterrita, ſtatim mane poſtero. & hanc ipſam imperij vocem, & cuncta, quæ ſibi mira Bernardinus patrauerat iure iurando euulgauit. Contra Sacerdoti cuidam, qui primus publico inſtrumento de Bernardini rebus teſtis iuratus acceſſerat.Senex de nocte ſe ſe viſendum obtulit, egitq; pro ſuſcepto labore gratias, ac ſtatim

ex oculis abijt. Demum illud libet attexere, quod Bernardini nomine patratum eſt. Illuſtrem fœminam Ioãnam de Capua Altauillenſium Comitem, & Campani Collegij noſtri Parentem morbo correptam aliquando diuturna quidem, cæterùm minimè capitali valetudine conflictandam prædixerant medici. Verum ægra, & hoc ipſum fortaſſe verita, quo ſe maturius è morbo expediret, Bernardini opem enixiùs efflagitauit. Haud multũ intercesſerat temporis, cùm adoleſcentes duos formā admodum ingenua ac liberali inferre ſe in cubiculum ſuum videt, veſte omnino, qua Societas vtitur indutos: Qui vbi proximè decumbentis lectum aſtitere, eorum alter in hunc modum affari heram ingreſſus eſt. En adſumus huc, ad te à Bernardino nuncij, tibiq; eius verbis edicimus eò vt abire pares, vbi æuum degit ipſe; erit enim tibi regio illa multò quàm tua iſta commodior. Mulier id loci Lupias interpretata, negauit licere ſibi per valetudinem eò concedere: at ille excipiens nullas ſe Lupias dicere addidit, ſed locum longè amœniorem, vbi ſenex ipſam opperiretur: ac ſtatim euanuere: Tum ægra; at at, teneo te inquit Bernardine, ad cœlum ſcilicet vocas, tantaq. ſecundum hæc viſa geſtire lætitia cæpit, vt Dauidicum illud accepiſſe auribus videretur, *Lætata ſum in his, quæ dicta ſunt mihi, in domum Domini ibimus.* Neq; ita multo poſt placidiſſimè expirauit. Hæc ſunt, quæ de Bernardino habui ſcribere, quæ ſanè eorum, quæ ſcribi poſſent, vix portio minima dici debent. Nunc illud ſupereſt, vt non tam rerum admirabilium, & ſupra Naturæ vim effectarum magnitudinem demiremur; quàm egregiam viri ſanctitudinem, præclariſſimaſq; virtutes in omni vitæ ratione ineunda exprimere, & mores moribus aſſequi ſtudeamus.

FINIS. L. D. B. Q. M. V.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

LEctor aduerte in hac vita P. Bernardini Realini,& in Elogijs Virorum Illuſtrium, quos hoc libro complexus ſum, nonnulla me obiter attingere, quæ sãctitatem ipſis videantur adſcribere, perſtringo nonnunquam aliqua ab ijs geſta, quæ cùm vires humanas ſuperent, miracula videri poſſunt: Præſagia futurorum, Arcanorũ manifeſtationes, reuelationes, illuſtrationes, & ſi qua ſunt alia huiuſmodi: Beneficia item in miſeros mortales eorum interceſſione diuinitus conceſſa; Demum nonnullis ſanctimoniæ, vel martyrij videor appellationem tribuere. Verùm hæc omnia ita meis lectoribus propono, vt nolim ab illis accipi tanquam ab Apoſtolica Sede examinata, atq; approbata, ſed tanquam quæ à ſola ſuorum Authorum fide pondus obtineant, atq; adeo non aliter, quàm humanam hiſtoriam. Proinde Apoſtolicum S. Congregationis S. R. & Vniuerſalis Inquiſitionis Decretum anno 1625. editũ, & anno 1634 cõfirmatum, integrè, atq; inuiolatè iuxta declarationẽ eiuſdẽ Decreti à felic. record. D.N.D. Vrbano Papa VIII. anno 1631. factã ſeruari à me omnes intelligant, nec velle me vel cultum, aut venerationem aliquam per has meas narrationes vlli arrogare, vel famam, & opinionẽ ſanctitatis, aut martyrij inducere, ſeu augere, nec quicquam exiſtimationi adiungere, nullumq; gradum facere ad futuram aliquando vllius Beatificationem, vel Canonizationem, aut miraculi comprobationem, ſed omnia in eo ſtatu à me relinqui, quem ſecluſa hac mea lucubratione obtinerent, non obſtante quocumq; longiſſimi temporis curſu. Hoc tam ſanctè profiteor, quàm decet eum, qui ſanctæ Sedis Apoſtolicæ obedientiſſimus haberi filius cupit, & ab ea in omni ſua actione & ſcriptione dirigi.

Ego Leonardus de Anna.

Index Capitum Lib. I.

PArentes,& educatio Bernardini. Cap.I.
Bernardini literarum ſtudia. Cap.II.
Iuriſprudentiæ operam nauat. Cap. III.
Mediolanum profectus præſentiam Angeli ſentit, & Felizano præficitur. Cap.V.
Bernardino Chriſtus apparet, ac mærentem placidè affatur. Cap.V.
Bernardinum Claræ obitu afflictum viſa cœleſtia erigunt. Cap.VI.
Viſa Bernardino Deipara ad Religionem inuitat. Cap. VII.
Caſtri Leonis Præturam init.Cap.VIII.
Bernardini geſta Neapoli.Cap.IX.
Chriſti, ac Deiparæ monitis Societatem Bernardinus ingreditur.Cap.X.
Bernardini Tyrocinium.Cap.XI.
Bernardini ſtudia literarum in Societate, & caſtitatis donum inſigne in eundem cælitus collatum. Cap.XII.
Bernardinus Neapoli ad proximorum ſalutem diligenter incumbit.Cap.XIII.
Diſcedit Neapoli Lupias, vbi proximorum commodis vacat.Cap.XIV.
Lupijs profeſſorum domus erigitur.Cap.XV.
Collegium Lupijs annuo redditu ſtabilitur.Cap.XVI.
Infidelium conuerſioni egregiam operam nauat. Cap.XVII.
Bernardinus audiẽdis cõfeſſionibus ſtrenuè uacat.Cap.XVIII
Suprema Chriſtianæ charitatis officia morientibus exhibet, & malos dæmones fugat.Cap.XIX.
Multos à nefarijs ſceleribus reuocat Cap.XX.
Fæminis uita, famaq. periclitantibus, præſto eſt Bernardinus.Cap.XXI.
Conciliatæ à Bernardino ciuium ſimultates, & uerborum eiuſ-

eiuſdem efficacitas. Cap. XXII.
Conſultoribus longè plurimis prudenter reſpondet Bernardinus. Cap. XXIII.
Lupienſi Collegio Rector præficitur Bernardinus. Cap. XXIV.
Paratis cælitus epulis recreat ſuos. Cap. XXV.
Qua ſe cum exteris ratione geſſerit Rector. Cap. XXVI.
Bernardinus Lupijs compluries auocatus, manifeſto Dei numine nunquàm potuit diſcedere. Cap. XXVII.
Quid in excipiendis geminæ IreneſV. ac M. reliquijs geſſerit Bernardinus. Cap. XXVIII.
Bernardinum grauiter è ſcalarum prolapſione afflictum viſis illuſtribus Chriſtus recreat. Cap. XXIX.
Extrema Bernardini ſenecta. Cap. xxx.
Bernardinus ſanctiſſimè moritur. Cap. XXXI.
Forma corporis, & ingenij monumenta. Cap. XXXII.
Bernardini funus. Cap. XXXIII.
Mira quædam in Bernardini funere. Cap. XXXIV.
Quoties ſibi mortem prædixerit Bernardinus. Cap. xxxv.
Quod fuerit aliorũ de Bernardini uirtute iudiciũ. Cap. xxxvj.
Quanti Bernardinum Lupienſes fecerint. Cap. xxxvij.

Index Capitum Lib. II.

BErnardini amor in Deum. Cap. I.
Caritas eius in proximos. Cap. II.
Orandi ſtudium, & aſſiduitas. Cap. III.
Afflictatio corporis, & patientia. Cap. IV.
Animi modeſtia, & demiſſio. Cap. V.
Præclara Bernardini de alijs exiſtimatio. Cap. VI.
Paupertas, & caſtimonia Bernardini. Cap. VII.
Parendi amor, & domeſticæ diſciplinæ cuſtodia. Cap. VIII.
Singularis Eucharistiæ cultus, ac ſtudium ergà Deiparam ingens. Cap. IX.

In

In ſanctos Angelos,& Irenen Virginem,ac Martyrem obſeruantia.Cap.X.
Bernardini in reliquos Cælites cultus,& religio, necnon quāti ab eo Societas fieret.Cap.XI.
Fides,ac Spes Bernardini.Cap.XII.
Virtutes reliquæ Bernardini.Cap.XIII.
Abſoluta vita, morumq. perfectio. Cap.XIV.

Index Capitum Libri III.

Bernardini viſa quædam illuſtria. Cap.I.
Multis inſolenti lumine circumfuſus aſpicitur. Cap.II.
Abdita quædam, & occulta diuinitus aperit Bernardinus. Cap.III.
Multa diſtantia procul enunciat.Cap.IV.
Futuræ ſanitatis oracula.Cap.V.
Mortis præſentiones.Cap.VI.
Futura rerum euenta longe plurima præcinit Bernardinus. Cap.VII.
Affixa certis temporibus Bernardini oracula.Cap.VIII.
Certis affixa legibus Bernardini reſponſa.Cap.IX.
Præmonita quædam itinerum euenta.Cap.X.
Bernardini imperium in dæmones.Cap.XI.
Bernardinus D. Irenes *Lipſana patrandis miraculis adhibet*.Cap.XII.
Cælitum aliorum reliquijs, ac rebus ſacris ad occultanda miracula vtitur Bernardinus.Cap.XIII.
Patrata Crucis ſigno Bernardini miracula. Cap.XIV.
Bernardini precibus, tactu, alloquio, aſpectu oris mira quædam edita. Cap.XV.
Nonnullis per quietē viſus præſto eſt Bernardinus.Cap.XVI.
Icones, coronæ, ſcripta Bernardini mirè nobilitantur. Cap.XVII.

Pi-

*Pileoli, ſedes, arundines, ac reliqua Bernardini adhuc viuẽtis pignora ſalutaria.*Cap.XVIII,
*Extrema Bernardini ſenecta miraculis longe pluribus claret.*Cap.XIX.
*Morte obita multis opem ipſius implorantibus præſto eſt Bernardinus.*Cap.XX.
Bernardini veſtes miris ſucceſſibus nobilitatæ. Cap.XXI.
Bernardini Lipſana libidinem arcent. Cap.XXII.
*Corporis præſegmina, & ſanguis rebus admirabilibus illuſtrantur.*Cap.XXXIII.
Mira in reliquis Bernardini *Lipſanis virtus.* Cap.XXIV.
Nuncupatis votis præſto eſt vocantibus Bernardinus. Cap.XXV.
*De Bernardini ſepulchro mira quædam.*Cap.XXVI.
*Pluribus ſe ab obitu Bernardinus palàm viſendum oſtendit.*Cap.vlt.

Er-

	Errata	*Corrige.*
Pagina 14	expectant	expectant
14	11 Kal.Oct.	XI Kal.Oct.
17	15 kal.Maij	XV Kal.Maij.
40	latiùs obſonaret	lautiùs opſonaret.
48	difficiliorem aſceterijs	difficiliorem Virginum aſceterijs.
59	cognitum nondum	cognito nondum.
61	ſie	ſic.
70	exitijſq.	exitijq.
74	precipus	precibus.
76	mutrire ſecum	mutire ſecum.
85	dies appetebant	dies appetebat.
88	negare illi	negare ille.
89	humaniter reſpondens	humaniter rependens.
101	ergatae	ergatà.
101	ſuis muneris	ſui muneris.
105	quærelarum	querelarum.
106	pomario	pomœrio.
113	corporis luce	corporis lue.
119	purè ſordidis	pure ſordidis.
125	III.kal.Iun.	III. Kal.Iul.
135	ſpectandum omnia	ſpectandum omnibus.
138	laxitudine fractus	laſſitudine fractus.
140	porrexit ad templum	perrexit ad templum.
144	perſuaſerat	peruaſerat.
144	monitum	monitus.
145	MDLXXXV	MDLXXXVII.
146	extenſis	eſtenſis.
170	è longiquo	è longinquo.
182	vt cum noſtri diu	vt cùm diu.
204	Lupijs literas profiteretur	Lupijs humaniores literas profiteretur.
255	Lutium	Lucium.
283	Barnardinus	Bernardinus.
297	aeris diſtillatio	acris diſtillatio.
327	redditæ ſenis literis literæ	redditæ ſenis literæ.
355	Zimaræ damnum fecit	Zimara damnum fecit.
356	procul Lupijs agentem	procul Lupijs agenti.
368	vt alius præter	vt vllius præter.

Reliqua humaniſſime lector ipſe corriges.

Liber abſente Authore Typis excuſus mendis carere non potuit.

Er. 13 res tulere acceptas. *Corr.* res retulere acceptas.
43 Neritanas: Neritinas.
55 quo non illud. quo non illum.
66 propiùs adeſſent propriùs adeſſent.
67 in confesſionibus diſtinebatur. ita confesſionibus diſtinebatur.
92 cũBernardino cùm Bernardino.
97 Neritanus. Neritinus.
97 Neritano. Neritino.
98 difficultate nõ tam. difficultatem non tam
112 fragantiam. fraggrantiam.
200 efflari odorẽ. afflari odorem
279 animos faceret. animos facere
305 reſipiſcens pudere. reſipiſcẽtem pudere.
347 inibi expiraturo. inibi expi-
raturi.
383 veluti collyrio vſus. veluti collyrio eſſet vſus.
391 cuius illa in fide. cuius illa in fidem.